

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Sectio I. Historica Exponens occasionem [...], & disputationes scriptaque
Papae opposita.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden. Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha53-1-211445



LOCUS I.
DE
ANTICHRISTO
EJUSQUE REGNO,
A B. LUTHERO IMPUGNATO & EXPUGNATO.
SECTIO I. HISTORICA
*Exponens occasionem ἀντιχριστίας, & disputationes
scriptaque Papæ opposita.*

§. I.



Um bene sapienterque observatum dictum- *Historia &*
que esse censam à Casparo Crucigero & Geor- *doctrina in*
gio Rovario, in Epistola, Actis in conventu Au- *certamini-*
gustano A. M. D. XVIII. & deinceps, quæ stu- *bus Eccles.*
diose collegerunt, præfixa: ut semper inde us- *simul obser-*
que ab initio mundi in certaminibus Eccle- *vanda.*
siae simul historiam & doctrinam considerari
necesse est (nam historia multa monet, qualia sunt Ecclesie peri-
cula, qui hostes, qualis defensio dogmatum & confitentium,
qualis instauratio) ita in lectione librorum Reverendi Pa-
tris D. Martini Lutheri magnopere prodest posteritati, con-
siderare historiam & doctrinam; operæ pretium me fa-
cturum esse putavi, si idem in præsentis tractatione ob-
servavero, quantum fieri potest. Hinc enim patebit, qua
ratione Noster paulatim ad patefactionem regni Antichristiani,
A di-

divina opitulante gratia, & advigilante providentia, pervenerit.

Tom. I. fen. Lat. fol. 187. a, b.

§. II.

*Antilogia
Papæ apud
Lutherum per
gradus pro-
cessit. An.
1517.*

B. *Lutherus* de se ipse scribit (a) quod cum causam indulgentiarum aggressus esset, Monachus & Papista insanissimus, ita ebrius, imo submersus in dogmatibus Papæ, ac proinde paratissimus fuerit, omnes, si potuisset, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ vel una syllaba obedientiam detrectarent; non ita frigus aut glacies, sicut fuerit Eccius ejusque similes, qui verius propter suum ventrem Papam defendere videbantur, quam quod serio rem agerent. Hinc in scriptis suis prioribus, quam multa & magna humillime concesserit Papæ, quæ posterioribus pro summa blasphemia & abominatione habeat & excretur. Eam ob rem cum Anno M.D.XVII. Indulgentiæ in Saxoniam venderentur turpissimo quæstu, se cepisse dissuadere populis, & eos dehortari, ne Indulgentiarum clamoribus aurem præberent, habere eos meliora, quæ facerent, inque his certum sibi visum, se habiturum patronum Papam, cujus fiducia tam fortiter nixus fuerit, quippe qui in suis decretis clarissime quæstorum (s. indulgentiariorum prædicatorum) immodestiam damnaverit. Mox scripsisse duas Epistolas alteram ad Moguntinensem Archiepiscopum *Albertum*, alteram ad *Ordinarium* loci, *Episcopum Brandeburgensem*, ac rogasse, ut quæstorum impudentiam & blasphemiam compescerent; sed se pauperculum fratrem contemptum, edidisse disputationis schedulam, simul & Germanicam Concionem de Indulgentiis, pauloque post etiam *Resolutiones*, in quibus pro honore Papæ hoc egerit, ut Indulgentiæ non damnarentur quidem, sed bona opera charitatis illis præferrentur. Hoc vero ita acceptum habitumque esse, ac si cælum deturbasset, & mundum incendio consumpsisset; unde se apud Papam accusatum & ad urbem citatum

tatum

citatum esse, totumque Papatum in se unicum consurrexisse, Electorem tamen *Fridericum* in Comitibus Augustæ anno M. D. XVIII. celebratis, impetrasse à *Cajetano* Cardinale, Pontificis Legato de latere, ne Romam ire cogeretur, sed ipse Legatus rem cognosceret & componeret. Quid hic actum effectumque fuerit, cum aliunde constat, tum ex ipsius *Lutheri*, brevi commemoratione, & Epistola ad *Fridericum* Electorem, (b) in qua refert, Cardinalem noluisse secum disputare, sed suaviter & patenter componere, ac tria sibi de mandato Papæ proposuisse, 1. ut errores suos revocaret, 2. ab eisdem, & 3. ab omnibus, quibus Ecclesia perturbari possit, in futurum se abstinere promitteret. Ad quæ responderit, se sibi non esse confcium ullius erroris, eumque petiisse doceri, se Scripturis nitens, præferendis Extravagantibus à Legato objectis. Legatum tunc adversus se potestatem Papæ commendasse, quoniam supra Concilium, supra Scripturam, supra omnia Ecclesiæ sit: ac ut illud persuaderet, reprobationem & abrogationem Concilii Basiliensis recitasse, & *Gersonidas* quoque una cum *Gersone* damnandos censuisse. Hæc vero cum nova fuerint in auribus suis, se negasse contra, Papam supra Concilium, supra Scripturam esse, & postridie protestatum se esse, adductis Notario & testibus, coram *Cajetano*, quod disputasset, veritatem quæstivisset, quærendo non delinquere, multo minus ad revocationem compelli potuisset, non auditus, nec convictus; nihilominus tamen, cum errare possit, submittere se iudicio & determinationi legitimæ sanctæ Ecclesiæ & omnibus melius sentientibus, & offerre se personaliter, in publico reddere rationem dictorum, paratumque esse vel in scriptis ad objectiones respondere, & super illis audire sententiam Universitatum Imperialium, Basiliensis, Friburgensis, Lovaniensis, & Parisiensis. Obtulit quoque Responsum scriptam *Cajetano* & à Papa male informato, ad Papam melius informandum provocavit. Ni-

hil hic peccavit *Lutherus*, nisi quod nimium Papæ indulserit; quod tamen vel ex ignorantia, vel timiditate quadam pro eo tempore fecit. Interim satis se ipsum exposuit & testatus est, licet posteriorem suam responsionem, cum multa reverentia dedisset, ac velut in arbitrium summi Pontificis reposuisset, non tamen id se propterea fecisse, quod de re ipsa dubitaret, aut animi sententiam unquam mutaturus esset, cum *veritas divina sit, & Papæ etiam domina*, non enim se hominis iudicium expectare, ubi divinum iudicium cogoritur, sed quia oporteat reverentiam servare ei, qui vice summi Pontificis fungatur, tum quod etiam verissime dicta cum humilitate & timore asserere ac tueri necesse sit. Ad *decretalem*, verba Pauli: *translato Sacerdotio, necesse esse ut translatio legis fiat*, à Mose in Christum, à Christo in Petrum & Papam, torquentem, regerit, hanc intelligentiam esse abusivissimam & superbissimam, & se quidem honorare sanctitatem Papæ, sed adorare sanctitatem Christi & veritatis.

Item, inquit, si illud Matth. XVI. 16. *tu es Petrus, & tibi dabo claves regni* &c. tractarem in scholis, vel in suggesto, & ponerem hanc propositionem: istis verbis non potest probari, Romanam Ecclesiam esse cæteris per totum orbem Ecclesiis prelatam, & mihi R. Dn. Legatus opposuerit Dist. XXI. ubi *Pelagius Papa* tanta voce clamat, non Synodicis decretis, sed Evangelica voce, (bene voce, sed non sensu) Romanam Ecclesiam cæteris Ecclesiis esse prelatam, & ad id inducat hunc Matthæi locum, credisne, me relicturum Evangelicum sensum, & non nisi Pelagii sensum amplexurum, qui vocem non sensum Evangelii sese jactat sequi? Non quod novam Monarchiam nostri seculi Romanorum damnem aut negem, sed quod vim Scripturæ verbis fieri nolim, & insulsissimorum quorundam hominum stultitiam reprobem, qui nobis Ecclesiam Christi tempori & loco affixerunt, contra verbum Christi, dicentis: *non veniet regnum*

gnum Dei cum observatione, Luc. XVII. 20. & Christianum esse posse audent negare, qui non sub Rom. Pontifice decretisque ejus oppressus fuerit. Ac sic plus quam octingentorum annorum Christianos, totius Orientis & Africae, nobis ex Ecclesia Christi ejiciunt, qui nunquam sub Rom. Pontifice fuerunt, nec Evangelium unquam sic intellexerunt. Nam adhuc S. Gregorii tempore Rom. Pontifex, universalis Episcopus non salutabatur: imo ipsemet Gregorius, licet Rom. Episcopus, acerrime persequitur nomen universalis Episcopi, & totius Ecclesiae Pontificem, plus fere sex Epistolis, ut non dubitet vocabulum ejusmodi profanum appellare, quod nostro seculo & solum appellatur sanctissimum. Sicut enim Petrus ceteros Apostolos non creavit, (sic enim hodie vocatur Episcopus ordinare) ita successor Petri nullum successorem aliorum Episcoporum creavit. Denique non nisi fratrem & coepiscopum & collegam vocaverunt Romanum Pontificem ceteri Episcopi, ut Cyprianus Cornelium, & Augustinus Bonifacium & alios. Unde SS. Patres illud Matthæi: *tibi dabo*, non intellexerunt ad sensum sacri istius Canonis, super ceteros fuisse Petro dictum, sed *unus*, inquit, *pro omnibus*, ut æqualitas una omnium exprimeretur; dum quod Petrus responderet, omnes & singuli respondent. Unde & alio in loco in plurali numero eandem sententiam dicit: *quodcumque ligaveritis* &c. & quod uni dicitur, omnibus dicitur. Denique non primum super Petrum descendit Spiritus S. in die Pentecostes, nec in terris primum legitur insufflasse in Petrum, quod tamen si quam maxime factum fuisset, non ideo Petrus Monarcha præ ceteris fuisset Apostolis. Igitur Canon ille sit verus, admitto, abusive, mea Evangelico & proprio sensu conclusio vera est. Quod si Monarchia Papæ probari potest, potius ex illo Apostoli Rom. XIII. 1. probabitur: *omnis potestas à Deo est*, & quæcunque à Deo sunt, ordinata sunt, hujus, inquam, virtute (proprie loquendo) subicimur sedi Ro-

manæ, donec Deo placuerit, qui solus, non etiam Rom. Pontifex, transfert regna atque constituit. -- Sat igitur sit pro hac vice ostendisse, non in omnibus decretis Pontificum haberi verum legitimum sensum Scripturæ, ideoque citra eorum injuriam posse aliter dici, teneri, sentiri, quam ipsi habent. Siquidem ipsimet Scripturæ interpretandi autoritatem Doctoribus tribuunt, sibi vero judicium descendendarum causarum. Deinde alia est facultas Juridica, quam Theologica: multa permittuntur in illa, quæ in hac prohibentur. Elevent Juristæ suas traditiones, multo magis nos Theologi puritatem Scripturæ servemus, eoque magis, quo videmus nostro seculo, surgere nocentissimos adultores, qui summum Pontif. ultra Concilia elevent, scilicet ut uno Concilio per alterum reprobato nullum nobis certum relinquatur, tandem omnia simul conculcet unus homo, Papa, idem super Concilium, & infra, supra, dum potest damnare, infra, dum accipit à Concilio autoritatem, tanquam à majori, quæ fiat supra Concilium. Sunt quoque qui Papam non posse errare, & supra Scripturam esse, impudentissime jactitent; quæ monstra si admilla fuerint, Scriptura perit, sequenter & Ecclesia, & nihil reliquum erit nisi verbum hominis in Ecclesia. Sed quærunt hi adultores invidiam, deinde ruinam & perniciem Romanæ Ecclesiæ.

Quare ego coram te, lector, protestor, me colere & sequi Romanam Ecclesiam in omnibus; solum illis resisto, qui nomine Ecclesiæ Romanæ Babyloniam nobis statuerere moliantur, volentes quidquid cogitare poterint, modo linguam tantum movere possint, ut Rom. Ecclesiam nominent, totum statim pro Romanæ Eccles. sententia accipi, quasi non supersit Scriptura S. per quam (ut Augustinus ait) de omnibus judicamus, contra quam sine dubio Rom. Ecclesia (vera) nunquam sapit aut statuit.

(a) *Præf. ad Tom. 1. Jen. Lat. scripta A. M. D. XLV.* (b) *Tom. 1. Jen. Lat. fol. 194. a, b. 196. a, b. = 201. b.*

§. III.

Hæc initia & veluti rudimenta fuerunt *Lutheri*, quibus pertractus fuit paulatim ad altius inspiciendum mysterium iniquitatis; ubi sane, illustri *Seckendorffio* (L. I. p. 58.) notante, magnam in *Luthero* luctam, nec exiguos defectus (ipsum et ingenue fatente) deprehendimus. Crevit tamen animus, quo magis tyrannis Pontificia sævire contra bonum virum perrexit: nec dubium est, quin divina providentia, laudato *Seckend.* observante, (p. 52. & 59. a.) ex obstinatione & præcipitatis callidissimorum alioqui hominum consiliis, id produxerit commodi, ut non intra unum alterumve articulum staret emendatio, sed confirmatæ ac edoctæ magis magisque *Luthero*, tantus progressus fecerit, qui in tot regnis & provinciis intra breve tempus cum summa admiratione orbis secuti sunt. Quia enim *fessi* (c) erant *Germani* omnes ferendis *expilationibus*, *nundinationibus* & infinitis imposturis *Romanensium* nebulonum, suspensis animis expectabant eventum tantæ rei, quam nullus antea neque *Episcopus*, neque *Theologus* ausus esset attingere, fovebat *Lutherum* utcunque aura ista popularis, quod invisæ jam essent omnes artes & *Romanationes* illæ, quibus totum orbem impleverant & fatigaverant. Hinc *Carolus Militius*, Eques Saxonicus, à Pontifice, cujus cubicularius erat, in Germaniam eo nomine cum aurearosa ad Elect. *Fridericum* missus, ut *Lutherum* captum Romam deduceret, instructus hanc ob rem septuaginta *Brevibus*, ut vocant, *Apostolicis*, cordis sui consilium coram *Luthero* aperuit, dixitque, se, licet haberet XXV. millia armatorum, non confidere, eum Romam perducere posse, quia exploraverit per totum iter animos hominum, quid de *Luthero* sentirent, & ubi unum pro *Papa* stare invenerit, tres contra *Papam* pro *Luthero* stare deprehenderit. Unde rogavit, ut *Megalander* consulere ea, quæ pacis essent, seque omnem operam daturum promisit, ut *Papa* idem faceret. *Texelinum* quoque, primarium tragediæ autorem

A. 1518. *Seckendorffii* observatio.

Germanis artes Romanens. invisæ.

Car. Militius *Lutherum* frustra ad palinodiam sollicitat.

torem

torem ad se vocavit, & verbis minisq; Pontificis ita eum fregit, ut inde contabesceret, & tandem ægritudine animi conficeretur. Adhæc *Lutherum* blanditiis, lachrymis & osculis eo adegit, ut ad Pontificem submissas literas daret, (d) quibus doluit, officiosissimum officium suum tam infœlix fuisse, ut quod pro tuendo honore Ecclesiæ Rom. suscepisset, in irreverentiam etiam apud ipsum verticem ejusdem Ecclesiæ ac plenam omnis mali suspicionem venisset. *Revocare* tamen ideo se haud posse affirmabat, quod & profundius hæserint plurimorum animis, quam ut revocari possint, & nihil istud revocare fieret, nisi Ecclesiam Romanam magis magisque fœdare, & in ora omnium hominum accusandam tradere. Quæstores contra Eccles. Romanæ infamiam istam intulisse insulsißimis suis sermonibus, & sub nomine Pontificis nonnisi deterrimam avaritiam coluisse, à se vero hoc unicum quæsitum, ne avaritiæ alienæ fœditate pollueretur Ecclesia Rom. neve populi seducerentur in errorem, & charitatem discerent posthabere indulgentiis: cætera omnia ut sint neutralia, à se vilius æstimari. Testatus insuper est sancte, se neque voluisse, neque velle ullo modo tangere, aut quacunque versutia demoliri Eccles. Rom. & Pontificis potestatem, quin plenissime confiteri, hujus Ecclesiæ potestatem esse super omnia, nec ei præferendum quidquam s. in cælo, s. in terra præter unum Jesum Christum Dominum omnium: & pollicebatur, se materiam istam de *indulgentiis* deinceps relicturum, penitusque taciturum, modo & adversarii suas vanas ampullas contineant. Verum surdas pulsavit aures *Lutherus*, & cum *Leo* rugire non desineret per *Bullam* (e) s. *novam decretalem*, qua indulgentias ab immemorabili tempore (i. e. à *Bonifacio VIII.* ejusque Jubilæo, quod *Clemens XI.* pro fundamento habuit, paulo plus quam CG. annos.) à Romanis Pontificibus concedi solitas, sine omni moderatione sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, approbavit & prædicare jussit, & *Lutherus* videret,

Lutherus
per *bullam*
irritatus à
Papa ad
Concil. pro-
vocat mode-
ste & reve-

deret, se nihil efficere *appellatione* sua à Papa ad Concilium, *li-* *renter adhuc*
 cer ei præmississet solennem protestationem, quod contra unam, *habet Papā.*
 sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, & sedis Apo-
 stolicæ autoritatem, Papæque potestatem nihil intendat dice-
 re, animosior factus est, præsertim cum indulgentiæ jam valde
 invisæ, potissimum in Saxonia essent, hincque fieret, ut quem-
 admodum *Maimburgius* haud diffitetur (apud *Seckendorf. L. I.*
sect. 21.) Bulla isthæc saltem pro utilitate Papæ & quæstorum
 esse videretur, neque fere esset, qui quidquam pro indulgentiis
 solvere cuperet. Maxime vero effectum Bullæ impedivit mors
 Imperatoris *Maximiliani*, & vicariatus Imperii ad Ducem *Fri-*
dericum jure devolutus; tum enim desit, ut *Lutherus* scribit, (f)
 paulatim sævire tempestas, & sensim obrepit contemptus ex-
 communicationis, seu fulminis Papistici. Nam cum *Eccius* &
Caracciolus ex urbe (Roma) attulissent Bullam damnatricem
 Lutheri, eamque insinuassent, ille hic, iste illic, Duci *Friderico*,
 qui Colonix tum erat, *Carolus* recens electum cum aliis Princi-
 pibus suscepturus, indignissime tulit, & magna fortitudine &
 constantia objurgabat Pontificium illum nebulonem, quod se
 absente perturbassent ipse & *Eccius* ditiones fratris *Johannis* &
 suam, & exagitabat eos magnifice, ita ut cum rubore & dede-
 core ab eo discederent. Intellexit quoque *Lutherus* progressu
 temporis, quo Pontificiorum artes spectarent, nempe, ut nova
 illa & admiranda regnet libertas Christianorum, (g) qua cæte-
 ris omnibus impune habentibus, una tantum lex sit reliqua, in
 quam peccari possit, scil. *potestas Papa, & privilegium Rom. Ec-*
clesia. Hinc, inquit, connivere, consentireque in omnes flagi-
 tiorum & corruptelarum lernas, quæ ex urbe Roma, sub inno-
 xio & sacro Papæ, & Romanæ Ecclesiæ nomine, in omnem ter-
 ram sine fine exundant, sanctum est laudasse, ac pro virtutibus
 summis adorasse, pietas est, contra mutuisse, sacrilegium. Effu-
 tivi nugas aliquot de indulgentiis, res sane leviculas, de rebus

B

(sicut

(sicut mihi videtur) leviculis; verum, ut nunc expertus sum, res omnium maximas, de rebus omnium maximis. Ego enim mire stultus, & errans gravissime, peccata & errores metiebar mandatis divinis, & sacrosancto Evangelio Christi. Illi vero amici mei, pro gloria sapientiae suae, non nisi potestate Papae, & privilegiis Rom. Ecclesiae, metiuntur quodlibet operis genus. Tamen si enim *Lutherus* satis reverenter, imo plus satis de Papa loquebatur, non potuit tamen effugere castes adversariorum, quibus eum irretire studebant. Cum enim desperata (h) omnia salutis media videret, noluit in vehi in Curiam Romanam, sed contempnit, & dato libello repudii ad eum dixit: *qui sordet, sordescat adhuc, & qui immundus est, immundus sit adhuc*, tradens se placidis & quietis sacrarum literarum studiis, quibus prodesset fratribus circum se agentibus. (Eo pertinet inpr. Commentarius ad Galatas A. MDXIX. editus & Hispanice quoque redditus. vid. *Seck.* L. I. p. 134. a.) Hic cum nonnihil proficeret, aperuit oculos suos Satan, & servum suum *Johannem Eccium* extimulavit indomita gloriae libidine, ut ipsum pertraheret in arenam insperatam, captans eum in uno verbulo de *Primatu Romanae Ecclesiae*, illi obiter elapso. Cujus disputationis originem, modum, progressum & eventum paulo altius repetere juvabit.

(c) *Præfat. ad Tom. 1. Jen. Lat.* (d) *Tom. 1. Jen. Lat. fol. 221. b. 222. a, b.* (e) *eod. Tom. fol. 214. b. 215. a, b. 217. seq.* (f) *præfat. cit.* (g) *Tom. 1. Jen. Lat. fol. 389. b. 390. a. in epist. nuncup. Comm. Gal.* (h) *eod. Tom. f. 462. in Epist. ad Leon. X.*

§. IV.

Occasio disputationis Lipsiæ A. M. D. XIX. (i) hæc erat: *Franciscani Ordinis Minorum*, conventum in oppido Jütterbock celebrantes, Lutheri nomen foedissime conspurcabant, & XV. Propositiones s. Articulos ex ejus scriptis excerpserant, quos erroneos esse arguebant, quales erant: I. *Nihil tenet de*
Con-

Conciliis generalibus, quia non representant unam Ecclesiam. II. Papam negat vicarium Christi. III. Petrum negat Principem Apostolorum. IV. Canones dicit institutos propter avaritiam summi Pontificis &c. XI. Quod plus sit credendum simplici Laico, Scripturam alleganti, quam Papæ vel Concilio, Scripturam non alleganti. His fratribus ignorantia respondet mox Lutherus breviter, minatusque est, nisi revocent temeritatem suam, ac sibi suum nomen reddiderint, se publicaturum sparsam ab iis schedulam, adjecta confutatione inscitia eorum, quod ordini parum honorificum sit futurum. Horum Minoritarum dicta Eccius iudicio suo non tantum approbat, verum etiam Lutherum ad disputationem Lipsiæ habendam invitabat, eiq; (k) à Duce Georgio fidem publicam & copiam disputandi impetrabat, quia certam sibi gloriam propositam cernebat, propter Propositionem Lutheri, in qua negabat, *Papam esse jure divino caput Ecclesie*. Hic patuit ei campus magnus, & occasio summa plausibiliter adulandi & gratiam Pontificis emerendi, cum odio & invidia Lutherum obruendi. Quod strenue fecit per totam disputationem, nec tamen sua firmavit, nec quæ Lutherus objecerat, confutavit: ita ut ipse Dux Georgius inter prandendum ad Eccium & Lutherum diceret: sive sit jure humano sive divino Papa, ipse est Papa. Quod verbum, nisi argumentis fuisset motus, nequaquam dixisset, sed Eccium solum probasset. Eccius enim (l) per positionem suam XIII. quæ hæc erat: *Romanam Ecclesiam non fuisse superiorem aliis Ecclesiis ante tempora Silvestri, negamus; sed eum, qui sedem beatissimi Petri habuit & fidem, successorem Petri & vicarium Christi generalem semper agnovimus, & cui Lutherus hanc, vel suam Luthero Eccius opposuerat, ut ego arbitror, prius licet Seckendorsius putet, Romanam Ecclesiam esse omnibus aliis superiorem, probatur ex frigidissimis Rom. Pontificum decretis, intra quadringentos annos natis, contra quæ sunt Historia approbata mille & cen-*

sum annorum, textus Scripturae divinae, & decretum Niceni Concilii, omnium sacratissimi, Lutherum in hanc disputationem, ut ipse testatur, pertraxit, quam libens, ut agebat, pro reverentia summi Pontificis & Rom. Ecclesia non necessariam & mire invidiosam, pratermisisset. Eccius vero contra protestatus est, & Luthero in memoriam revocavit, nisi prius ipse in Resolutorio ante tempora Sylvestri negasset, Rom. Pontificem aliis superiorem, non fuisse necessarium, se tredecimam illam posuisse Propositionem. In aula quoque Electorali timuisse Spalatinum aliosque ob theses Lutheri, & cum primis XIII. patet ex literis Lutheri ad Spalatinum (m) quibus ei urgenti, ut consilia sua sibi releveret, respondet, cum sciret sibi cum subdolo, superbo, versipelle & clamoso Sophista rem esse, qui id unice spectet, quo se traducat vulgo, suis eum armis confecturum, & si Christus aspiraverit, ita involuturum hominem, ut nemo Papam scedius blasphemasse inveniat, quam summus iste Papae adulator. Ego, inquit, Pontificiam potestatem inter eas numero, quae sunt neutrales, ut divitiae, sanitas, & alia temporalia; ideo mihi vehementer displicet, res temporales in tantas contentiones vocari: Insuper & verbo Dei (quod ea contemnenda esse semper docet) eadem asseverare. Quomodo possum hanc verbi Dei perverissimam interpretationem, & contrariam sui sententiam æquo animo ferre, etiamsi ferre possum potestatem Romanæ Ecclesiae utcunque adeptam? In alia Epistola (n) rogat Spalatinum, ne nimio timeat, ne humanis cogitationibus totum cor cædat, constare enim, quod nisi Christus se & sua ageret, jamdiu in prima disputatione Indulgentiarum, Resolutionibus & Respon- sione sua ad Sylvestrum, maxime Augustana protectione, se perdidisse, cum nemo non mortalium horum singulorum non metuerit aut speraverit sibi excidium allaturum. Multa se pre- mēre, & causa Principis & Universitatis Witteb. cohibere, quæ, si alibi esset, evomeret in vastatricem Scripturæ & Eccle-
siæ

siæ Romam, melius Babylonem. Non posse Scripturæ & Ecclesiæ veritatem melius tractari, nisi ista belua offendatur. In alia rursus Epistola Dom. Invocavit scripta ad eundem (o) significavit, se versare *Decreta Pontificum* pro sua disputatione, & in aurem amico loqui, *nescire se, an Papa sit Antichristus ipse, vel Apostolus ejus.* Adeo misere corrumpi & crucifigi Christum, (id est veritatem) ab eo in Decretis. - Nasci sibi in dies magis subsidium & præsidium pro sacris literis.

(i) Tom. 1. Jen. Lat. fol. 224. b. 225. a. b. 226. a. (k) Pref. Luth. in Tom. 1. Jen. Lat. (l) Tom. 1. Jen. Lat. fol. 240. b. 241. b. (m) Tom. 1. Epist. 106. (n) ibid. Epist. 108. (o) ibid. Epist. 100.

§. V.

Ante disputationem habitam, jussu & nomine Georgii Saxonie Ducis die XXVII. Junii Orationem dixit de ratione disputandi, præsertim in re Theologica, *Petrus Mosellanus*, quæ Hagenoæ deinceps edita est à Thoma Anshelmo, ubi inter alia egregie monebantur disputaturi, ut expenderent, *quid sit in re Theologica disputare, & quatenus hoc tam ipsa honestatio suadeat, tum sanctissimorum hominum exempla permittant.* Neque enim (dicebat Orator) *ut disputatorum vulgus sentire videmus, recte disputas, si ad ingenii ostentationem quacunque calumniandi ansa arrepta, fortiter clamas: si syllogismis arte contortis, simplicem adversarium illaqueas: si præ ira subsultas: si pertinacia vincere studes, & mutui odii signa ostendis; (qua utinam in Christianorum scholis locum non haberent) sed si solo discendi ardore, tua cum alienis expendenda conferas, & tuo ipsius ingenio diffusus, alienam sententiam mansuete expectas, ac candide intelligas, intellectam, si tolerabilis sit, si verisimilis, gestienter amplectaris, & quasi de lucro gaudeas, malisque tuam ipsius tarditatem agnoscere, quam veritatis facere jacturam.* - Arma etiam exemplo Apostolorum, non ex Aristotelis organo, sed ex Scriptura S. depromi voluit. *In hoc sitis toti, inquit, non ut alter alterum rixoso clamore*

*Monita
Mosellani
ante dispu-
tationem.*

opprimat, ut in scitia infamia notabilem reddat, ut parta utcunque victoria, vulgi applausum domum referat, ut postremo apud suos triumphet, sed ut suas ratiocinationes, ex arcana Scriptura sacrario depromtas, placide committat.

*Processus &
eventus.*

Ipsa disputatio cœpta fuit IV. die Julii, A. M. D. XIX. hora VII. matutina, & finita XIV. d. ejusdem mensis. Argumenta ex utraque parte prolata, deinceps, quantum instituti ratio postulat, adferemus. Nunc ad historiam generatim sufficient, quæ Ill. *Seckend.* L. I. Sect. 24. §. 53. doctè & candidè observavit. *Leetis*, inquit, & *expensis omnibus*, atq; sequestrato præjudicio, quod ab educatione & disciplina non potui non habere, deprehendo, quæ Lutherus adversus Scripturæ dicta: *tu es Petrus &c. oravi pro te Petre &c. pascere oves meas &c.* pro Pontificis universali potestate & vicariatu adduci solita, opposuit, & quæ ad Patrum loca, & decreta Pontificum replicavit, summi ponderis, nec ab Eccio ita confutata esse, ut conscientiæ satisfieri possit. Tanto nempe Lutherus, vel unica hac præliminari declaratione rationum & argumentorum robore causam suam firmavit, tantamque Scripturarum & antiquitatis peritiam demonstravit, ut successoribus, licet plurium & tunc nondum cognitorum librorum adminiculis, multisque argumentationum subtilitatibus instructis, & creberrimis disputationibus exercitatis, parum aut nihil reliquerit, quo superare industriam ejus potuerint. Tantum abest, ut *Maimburgio* credam, qui Eccium scribit veritatem & causam Dei in partibus habuisse.

Integram historiam duplici Epistola *Spalatino* exposuit *Lutherus* (p) priore brevius, altera prolixius. Utriusque summa hucredit: *istam disputationem fuisse perditionem temporis, non inquisitionem veritatis, & Eccium Eccianosque simulare in gloria aliud, & aliud sentire in conscientia.* Scopum vero nullum ab Eccio tactum, & non nisi vulgo proculcatis argumentis certatum, se clamore gestuque tantum victos ab adversario, qui sub-

subdole pactum ruperit utrinque in initum, ut (1) libere disputaretur, & excepta per notarios in publicum totius orbis iudicium ederentur; 2. ex libris presentibus, unde loca & dicta ostenderentur, ac vel probarentur, vel refutarentur: (3) quod omnia Carolstadio de libero arbitrio disserenti concefferit, quæ in principio fortiter impugnaverit, ac celeberrimas sectas Scotistarum & Thomistarum negaverit, & mox Prothei instar jactaverit, quod in suam sententiam pettraxerit Bodensteinium. (4) Secum deinceps congressum Sophistam, de primatu Pontificis, de Purgatorio, de Indulgentiis, de Pœnitentia, in postremis non adeo dissensisse, sed de primo acrius certasse, ac contendisse, jure divino Papam Rom. esse summum Pontificem, eamque in rem multas autoritates Patrum allegasse, ambiguas & varias, tandemque ad *Concilium Constantiense* confugisse, cui duo antiquiora & celebriora *Nicenum* & *Africanum* opposuerit, nec *Constantiense* illis adversari monstraverit. (5.) Scribit, *Eccio* necesse fuisse ultimum verbum cedere, s. opponeret, s. responderet, ut sic argumenta insoluta facilius victoriam simularent. Scripsit etiam *Lutherus* deinceps *Resolutiones super Propositionibus suis Lipsia disputatis*, ex quibus majorem cognitionis fructum proventurum confidit, quam si bis septies ad hunc modum disputetur. Sufficere tamen sibi dixit, quod carnifex illa conscientiarum *Theologistra* in ista disputatione ceciderit. Eis præmissa est Epistola posterior ad Spalatinum. Vera esse hæc quæ *Lutherus* retulit de disputatione Lipsiensi, patet ex Mosellani Epistola ad *Bilibald. Birckheimerum* de eadem, qua nuntiat; *Caroloftadium* voce, vultu, gestu, incessuque modestiam Theologicam præ se tulisse, ac disputasse non ad ingenti gloriam aut victoriam, sed veri rectique inquisitionem; *Eccium* contra clamore, vultu militari ac truci, gestu histrionico pene, & incessu impetuoso, feroculum quempiam apparere: omniaque illa externa corporis signa animum parum theologicum declarare.

Di-

Dixisses *Gorgiam* quempiam disputare, non Theologum. Adeo leviter & impudenter subinde se jactabat. Magnam adeo sui nominis jacturam apud nos fecit. Levissime asserit, quæ falsa sunt: impudentissime negat, quæ pro certo vera, idque cum jactatione sui, quores sit odiosior. Contentionibus tres pene hebdomades sunt consumptæ, majore expectatione, quam fructu. - Hoc præjudicium vulgo jactatur, in Primatu Pontificis asserendo *Eccium* se turpiter daturum. Mihi hoc disceptandi genus theatricum nunquam visum est mansuetissima Christi doctrina dignum. Nec adduci possum, ut credam, Spiritum S. pacis autorem ad ejusmodi pugnas unquam se demittere. Christianæ Theologiæ veritas citius impetratur orando, quam invenitur disceptando. (Vid. *Seckendorf*. L. I. S. 26. f. 90. b. 91. a.) Cæterum confessus est ingenue, se liberalius non nihil tum concessisse, quæ postea melius inspexerit. Placet eum ipsum audire in *præfatione* sæpius citata (r) sic scribentem de hac ipsa disputatione Lipsiensi. *Atque hic vide*, inquit, *vel in meo casu, quam difficile sit eluctari & emergere ex erroribus, totius orbis exemplo firmatis, & longa consuetudine velut in naturam mutatis.* Quam verum est proverbium: difficile est, consueta relinquere. Et: consuetudo est altera natura. Et quam vere dicit *Augustinus*: consuetudo, si ei non resistitur, fit necessitas. Ego qui jam tunc sacras literas diligentissime privatim & publice legeram & docueram per septem annos, ita ut memoriter pene omnia tenerem, deinde primitias cogitationis & fidei Christi hauseram, scilicet non operibus, sed fide Christi nos justos & salvos fieri: denique id de quo loquor, *Papam non esse jure divino caput Ecclesiæ*, jam defendebam publice, tamen id, quod consequens erat, non vidi, scilicet, *Papam necessario esse ex diabolo*; quod enim ex Deo non est, necesse est ex diabolo esse. Sic absorptus eram (ut dixi) tum exemplo, tum con-

fug-

suetudine propria, ut Papæ concederem jus humanum, quod tamen si non sit fultum auctoritate divina, mendacium & diabolicum est. Nam parentibus & Magistratibus paremus, non quia ipsi præcipiunt, sed quia sic est voluntas Dei, 1. Pet. II. 13. Hinc est, quod minus iniquo animo ferre possum eos, qui pertinacius in Papatu hærent, præsertim qui sacra vel etiam profana non legerunt, cum ego tot annis sacra legens diligentissime, tamen ita hæsi tenaciter.

(p) *Tom. I. Ep. 114. § 116.* (q) *Tom. I. Jen. L. fol. 294. a. -- 336. b. (r)*
Tom. I. Jen. Lat.

§. VI.

Hæc studiose observanda sunt, ne argui queat, Lutherum sibi ipsi non satis constare, & pugnantia scribere atque dicere. Hinc ut ejus mens plenius & planius pateat, ex *Epistola Nuncupat. Commentarii ad Galat. A. 1519.* circa tempora Disputationis Lips. vel paulo ante, ut bene conjicit *Seckendorf.* (quod posterius mihi placet, quia *Eccii* nullam mentionem factam deprehendo) scripti, eam adducam. Sic autem *P. Lupinum & Caro lostadium* alloquitur: Porro, optimi viri, ut serio vobis dicam, ego *Rom. Pontifici* ejusque *decretis*, eum honorem habeo, quo nullus est superior, nec excipio, nisi Principem hujus vicarii, Jesum Christum, Dominum nostrum & omnium. Hujus verbum ita præfero vicarii verbis, ut nihil dubitem, secundum ipsum judicare de omnibus & dictis & factis Vicarii; volo enim subiectum eum esse huic irrefragabili regulæ Apostoli: *omnia probate, quod bonum est, tenete.* Ab hoc inquam jugo neminem patiat collum excutere, sive nomine Matris, sive Magistræ Ecclesiarum vel hatur. Atque id eo magis, quo nostro seculo vidimus *Concilia* reprobati, rursus alia confirmari, *Theologiam* meris opinionibus tractari, *jurium sensum* ab unius hominis pendere arbitrio, & adeo confundi omnia, ut nihil certi pene nobis relictum sit. Sed & multas *Decretales* esse à sensu

Lutheri mens de potestate Papæ, Concilii &c. uberius declaratur ex Epistola Nuncupat. Comment. in Galat. Honorem se habere dicit utrisque, sed Scripturam omnibus præferre,

Evangelico alienas, luce clarius est; ita ut necessitas ipsa rerum nos cogat, ad divina Scriptura solidissimam petram confugere, nec temere credere ullis, quicumque sint, qui citra illius autoritatem loquuntur, statuunt, aut faciunt. Nec verendum cenſeo, quid contra Card. Cajetanus, & Silveſt. Prierias adulentur. D.

*Exemplo
Augustini.*

Augustinus docet, nulli credendum, quantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleat (credo etiam ſanctiſſima) niſi divinis literis, aut ratione probabili perſuadeat, ne ſi aliter ludamus, illudamur. At hi in Chriſto boni autores, volunt nos vi cogere in

*Petrus lap-
ſus.*

hanc illuſionem. S. Petrus toties lapſus eſt, & ſemel, poſt acceptum Spiritum, graviffimo animarum periculo, erravit: & nos homines, longe infra Apoſtolicam ſublimitatem repetantes, ultra Apoſtolicas perfectiones elevamus, quaſi Chriſtus mentitus ſit, quando ſeſe promiſit nobiſcum eſſe uſque ad conſummationem ſæculi; adeo quærimus alios Chriſtos, in quorum nutu renutuque pendeat Eccleſia. Satis eſt Rom. Pontificem ſummum Pontificem eſſe, impiiffimum ſit, Chriſto æqualem ei virtutem & ſapientiam aſſingere, ſicut audent quidam. Quamquam ut ingenue confitear, ipſe pene ignoro, quæ ſit, & ubi ſit

*Nugatores
confundunt
nomina Ro-
mana Eccl.*

Rom. Eccleſia, ita ludentibus, jocantibus, confundentibus nomina Rom. Eccleſia, teterrimis illis nugatoribus. Sylveſter eam ſecat in tres Eccleſias, in Papam, in Cardinales, in Populum. Quæ diſtinctio, quia magiſtralis & ſufficiens eſt, nec membra coincidunt, facit, ut Papa & Cardinales ſint extra Eccleſiam, inter paganos habendi, ut qui in eſſentiali Eccleſia non ſint. Aut tres Chriſtos præficiet tribus illis Eccleſiis. Imo, nec Chriſtus ad Eccleſiam pertinebit tanto Autori, quum nec virtualis, nec repræſentativa, nec eſſentialis ſit Eccleſia. Cardinalis Cajetanus, paſſim ſe pro Eccleſia Rom. venditat in Germania, ſub nomine illius Brevia Apoſtolica comminſci ſatis doctus. Eſt Rom. Eccleſia, bonus ille Copiſta, qui declaratoriam illam pulcherrimam, qua Cajetanus digniſſime gloriatur, editurus
cum

cum in formulario suo, non scripturas, aut ulla rationes, sed immemorabile tempus, consuevisse & tradidisse, inveniret, hæc ipsa satis fideliter membranæ ille vit. Vendunt se ubique pro Ecclesia Rom. prout cuique libitum est, impii illi nebulones, plumbo tantum & cæra Rom. Curia totam Germaniam illudentes, & exhaurientes. Quid istis ludificationibus nominum Sanctorum Papæ, & Rom. Ecclesiæ faciunt, nisi, quod nos Germanos, meros blennones, bardos, buccones, & (ut dicunt) barbaros & bestias arbitrantur, etiam irridentes nostræ illusionis & expilationis incredibilem patientiam. Proinde, ego in tanto rerum & verborum chao, è tanta Sylvestrorum sylva, ad civitatem Augustam revertor, & iudicium interim sequar, quo Principes Germaniæ, in novissimis comitiis, recte, sancte, & auguste discreverunt, inter Romanam Ecclesiam & Rom. Curiam. Nam, quomodo licuisset eis recusare decimas, & vigesi-

Dist. inter Roman. Ecclesiam & Curiam.

mas, & quinquagesimas (i. e. medullas, totiusq; Germaniæ semel subitaneam vastitatem) quas in Concilio illo sacratissimo (ut sic dixerim) Romano, noverant sancitas, & tantis legatis Apostolicæ sedis expetitas, nisi tandem, licet sero, sapientes, intellexissent, non Rom. Ecclesiæ decretum, sed Rom. Curia illud esse commentum? Viderunt nimirum, (dictu mirum, & nullis neque Sylvestris, neque Cajetanis creditu possibile) Concilium & Papam errasse, & posse errare, aliudque esse nomen Ecclesiæ Romanæ, & aliud, quod Nomine Ecclesiæ Romanæ geritur. Aliumque esse Romanæ Curia, alium Rom. Ecclesiæ legatum. Hunc Evangelium afferre, illum pecunias quærere. Unde barbaris illis & bestiis tantum iudicii? nisi quod Deus tandem fessus blasphemis sui, & irrisionibus, abusionibusque sui, & Sanctæ Rom. Ecclesiæ nominis, monere voluit Romanos Proceres, ut res Ecclesiæ, posito joco & ludo, aliquando serio curarent, antequam eliciant sanguinem, dum nimium mungunt Germaniam. Quare & ego, horum Theologorum laicorum

pulcherrimo exemplo, longissime, latissime, profundissime, distinguo, inter Romanam Ecclesiam & Roman. Curiam. Illam scio purissimum esse thalamum Christi, matrem Ecclesiarum, Dominam mundi, sponsam Christi, filiam Dei, terrorem inferni, victoriam carnis. Et quid dicam? cujus sunt omnia, juxta Paulum 1. Cor. III. ipsa autem Christi, Christus autem Dei. Hæc vero ex fructibus suis eognoscitur. Non, quod magnificendum sit, res nostras & jura diripi, cum fixum sit in cælo, Christianos in hac vita pressuram, Nimbrotos & robustos Venatores pati. Nec ab hac conditione liberabitur Ecclesia, nisi per mortem, palma est, quanto fortius premitur, tanto sublimius exaltatur in Cades. Sed, quod omnibus lachrymis sit miseria major, hæc à Fratibus & Patribus, in fratres & filios fieri (sicut in Propheta dicit Dominus, filios à Parentibus vocari) quæ à Turca vix fierent, aut si fierent, non tamen nomen sanctum Christi, tam fœdis monstris prætexeretur, quæ est omnium intolerabilissima, Christi & Ecclesiæ injuria. Res sane eant, & vita pessum, at nomen Domini æternum, cur patiamur tam fœde conspurcari? Nullo modo ergo Romanæ Ecclesiæ resistere licet, at Romanæ Curie longe majore pietate resisterent Reges, Principes, & quicumque possent, quam ipsis Turcis.

Tom. 1. Jen. Lat. fol. 390. b. 391. a. b.

§. VII.

Et epistola
ad Leonem
& Papam.

In Epistola ad Leonem X. libello de libertate Christiana præfixa, in eandem fere sententiam scripsit; posteaquam enim restatus est, se non nisi magna & optima de Pontif. dixisse, eum appellasse Danielem in Babylone, contra Silvestrum ejus innocentiam insigni studio tutatum esse, aperte confitetur, se communiter quidem in impias doctrinas acriter invectum, & adversarios, non ob malos mores, sed ob impietatem, non segniter momordisse. Cujus se adeo non pœniteat, ut animum induxerit, contempto hominum judicio, in ea vehementia zeli perseverare

verare

verare, Christi & Apostolorum exemplo. Sibi non de moribus cum ullo homine, sed de solo verbo veritatis esse contentionem: in omnibus aliis cedere cuivis, verbum deserere & negare nec posse nec velle. Sedem autem Pontificiam, quæ Curia Rom. dicitur, quam neque Leo, neque ullus hominum possit negare, corruptiorem esse, quavis Babylone & Sodoma, & prorsus deploratæ, desperatæ atque conclamatæ impietatis, se detestatum indigneque tulisse, sub Papæ nomine & prætextu Rom. Ecclesiæ ludi Christi populum, atque restituisse, restitutumque dum spiritus fidei in se vixerit. Non quod ad impossibilia nitatur, & speret sua solius opera, tot repugnantibus furiis adulatorum, quidquam promoveri in ista Babylone confusissima; sed quod debitorem se agnoscat fratrum suorum, quibus consuli à se oporteat, ut vel pauciores, vel mitius à Romanis pestibus perdantur. Neque enim aliud è Roma jam à multis annis in orbem inundare, quam vastitatem rerum, corporum, animarum, & omnium pessimarum rerum pessima exempla, & factam esse è Rom. Ecclesia, quondam sanctissima, speluncam latronum licentiosissimam, lupanar omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis & inferni, ut ad malitiam quod accedat, jam cogitare non possit, ne Antichristus quidem si venerit. Actum esse de Rom. Curia, pervenisse in eam Dei iram usque in finem: cum Concilia oderit, reformari metuat, furorem impietatis suæ mitigare nequeat, & impleat matris suæ elogium, de qua dicitur: *curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.* Officii quidem Papæ Cardinaliumque fuisse, his malis mederi; sed istam podagram ridere medicam manum. Hac affectione tactum se doluisse semper, Leonem his seculis Pontificem factum, qui melioribus dignus sit; non enim Curiam Romanam mereri cum ejusque similes, sed Satanam ipsum, qui & vere plus quam Papa in Babylone ista regnet. Sub vasto quippe cælo nihil esse Romana Curia corruptius,

pestilentius, odiosius, adeo ut incomparabiliter Turcarum impietatem vincat, & unicum relictum miseris consilium, si queant aliquot ex isto hiatu & ore inferni revocare & servare. Hocque consilio se in sedem pestilentiae debachatum, ac tantum abesse, ut in Papae personam saevierit, ut sperarit potius se gratiam initurum, si carcerem istum, imo infernum, acriter pulsaret. Saluti Leonis & multorum aliorum prodesse, quicquid in impiae Curiae confusionem moliri possit omnium ingeniorum impetus, ac Papae officium facere, qui huic male faciant, Christum glorificent, qui eam omnibus modis execrentur. Breviter, Christianos esse, qui Romani non sunt. Se igitur videntem desperata omnia salutis remedia, contempsisse, & dato libello repudii dixisse ad Curiam. Rom. *qui sordet, sordescat adhuc* &c. tradidisse se placidis & quietis sacrarum literarum studiis, quibus prodesset fratribus circum se agentibus. Hic vero cum nonnihil proficeret, aperuisse oculos suos Satanam, & servum suum, Johannem Eccium, insignem Christi adversarium, extimulasse indomita gloriae libidine, ut se traheret in arenam insperatam, qui captaverit unum verbulum, de Primatu Rom. Ecclesiae, sibi obiter elapsum. Hic Thrafonem illum gloriosum, spumantem & frementem jactasse, pro gloria Dei, pro honore S. sedis Apostolicae omnia se ausurum, & de Leonis inflatum abutenda sibi potestate, nihil certius expectasse, quam victoriam, non tam Primatum Petri, quam suum principatum inter Theologos hujus seculi quaesivisse, ad quem non parvum momentum habere duxerit, si Lutherum in triumpho duceret. Quod cum infeliciter Sophistae cesserit, incredibili furia ipsum exagitasse, sentientem sua solius culpa factum esse, quicquid Romanae infamiae per se natum fuerit.

*Seckendorffii
monita de
legenda &
relegenda*

Post haec petita venia à Leone, ab origine controversiam enarrat, quam verbis Megalandri nihil prorsus mutatis referemus, quia *Seckendorffius* L. I. pag. 98. a. *rogavit omnes, etiam Lu-
thero*

Luthero infensissimos, ut hanc Epistolam legant & relegant, se-
 positoque affectu agnoscere velint, quantus in ultimo hoc co-
 natu ad movendum Pontificis animum, ut sericæ reformationi
 operam daret, sit spiritus, quantaque solertia, invidiam à Leone
 amoventis, & culpam exasperatæ causæ in *Cajetanum & Eccium*
 devolventis; ut inter rara & admiratione dignissima scripta re-
 ferri merito debeat. Neque sine providentia divina accidisse
 credit, ut literæ tam animosæ, adjunctusque liber (de Liber-
 tate Christiana) opera *Miltitii*, Papalis ministri, Romam per-
 ferrentur, testimonium simplicissimæ veritatis perpetuum fu-
 turæ.

Sic vero Noster ad Leonem: *Notum esse arbitror tibi*, quid
 mecum egerit *Cardinalis S. Sixti* Legatus tuus imprudens & in-
 felix, imo infidelis. In cujus manu ob tui nominis reverentiam
 cum me & omnia mea posuissim, non hoc egit, ut pacem sta-
 tueret, quam uno verbulo potuisset facile statuere, cum ego
 tum promitterem silentium & finem causæ meæ facturum, si
 adversariis idem mandaretur. At homo gloriæ, non conten-
 tus eo pacto, cœpit adversarios justificare, licentiam aperire, &
 mihi palinodiam mandare, id quod in mandatis prorsus non ha-
 buit. Hic sane, ubi causa in optimo loco erat, illius importuna
 tyrannide venit in multo pejorem, unde quicquid post hæc se-
 cutum est, non Lutheri sed Cajetani tota culpa est, qui ut sile-
 rem & quiescerem non est passus, quod tum summis viribus po-
 scebam, quid enim facere amplius debui?

Secutus est *Carolus Miltitius*, & ipse B. T. nuncius, qui
 multo & vario negotio cursans & recursans, nihilque omittens,
 quod ad reparandum causæ statum, quem *Cajetanus* temere &
 superbe turbaverat, pertineret, vix tandem etiam auxilio Illu-
 strissimi Principis *FridERICI* Electoris effecit, ut semel & iterum
 familiariter mecum loqueretur. Ubi denuo tuo nomini cessi,
 paratus silere, acceptans etiam judicem vel Archiepiscopum
 Tre-

Epistola hæc
Lutheri.

Culpa exas-
perata cau-
sa devolvi-
tur in Ca-
jetanum.

Tre-

& *Eccium.* Trevirenses, vel Episcopum Numburgensem, atque ita factum & impetratum. Dum hac spe bona aguntur, ecce alter & major hostis tuus, irruit *Eccius* cum disputatione Lipsica, quam instituerat contra *D. Carlstadium*, & nova accepta de primatu *Pape* quaestione, in me vertit insperatum arma, & penitus hoc consilium pacis dissipat. Expectat interim *Carolus Militius*, disputatur, Judices eliguntur, nec hic aliquid discernitur. Nec mirum, quando *Eccii* mendaciis, simulationibus, technis omnia ubique erant turbatissima, exulceratissima, confusissima, ut quocumque inclinasset sententia, majus esset exoriturum incendium; gloriam enim, non veritatem, quærebat. Nihil etiam hic omisi, quod à me fieri oporteret. Et fateor, hac occasione non parum venisse ad lucem Romanarum corruptelarum, sed in qua, si quid peccatum est, *Eccii* culpa est, qui onus supra vires suscipiens, dum gloriam suam curiose caprat, *ignomiam Romanam* in totum orbem revelat. Hic est ille hostis tuus, mi *Leo*, seu potius Curia tua: hujus unius exemplo discere possumus, non esse hostem adulate nocentiorum. Quid enim sua adulatione promovit, nisi malum, quod nullus Regum promovere potuisset? fœtet enim hodie nomen Romanæ Curia in orbe, & languet papalis autoritas, famosa inscitia male audit, quorum nullum audiremus, si *Eccius Caroli* & meum de pace consilium non turbasset, id quod non obscure & ipse sentit, sero & frustra indignatus in libellorum meorum editionem. Hoc debebat tum cogitare, cum totus in gloriam, sicut hinniens emissarius insaniret, neque alia quam sua in te, tuo tamen maximo periculo, quæreret. Sperabat homo vanissimus me formidine nominis tui celsurum & taciturnum (nam de ingenio & eruditione non credo quod præsumpserit) Nunc cum nimio me confidere & sonare videat, sera pœnitentia temeritatis suæ, intelligit esse in cœlo, qui superbis resistat, & præsumentes humiliet, si tamen intelligit.

Nihil

Nihil itaque hac disputatione promoventibus nobis nisi majorem confusionem Romanæ causæ, jam tertio *Carolus Militius* patres ordinis capitulo congregatos adit, consilium petit componendæ causæ, quæ jam disturbatissima & periculosissima esset. Mittuntur hinc ad me, cum viribus in me (Deo propitio) non sit spes grassandi, aliquot celebriores ex illis, qui petunt, ut saltem T. B. personam honorem, & literis humilitatis excusem innocentiam & tuam & meam, esse adhuc rem non in extremo desperationis loco, si *Leo X.* pro sua innata bonitate manum admoveret. Hic ego, qui semper pacem & obtuli & optavi, ut placidioribus & utilioribus studiis inservirem, cum & in hoc ipsum tanto spiritu sim tumultuatus, ut eos, quos mihi longissime impares esse videbam, magnitudine & impetu, tam verborum quam animi compescerem, non modo libens cessi, sed & cum gaudio & gratitudine acceptavi, ut gratissimum beneficium, si dignum fuerit spei nostræ satisfacere. Ita venio, Beatissime Pater, & adhuc prostratus rogo, si fieri potest, manum apponas, & adulatoribus istis, pacis hostibus, dum pacem simulant, frenum injicias. Porro *palinodiam ut canam*, beatissime *Due conditiones Lutheri.* pater, non est quod ullus præsumat, nisi malit adhuc majore turbine causam involvere. Deinde *leges interpretandi verbi Dei non patior*, cum oporteat verbum Dei esse non alligatum, quod libertatem docet omnium aliorum. His duobus salvis, nihil est quod non facere & pati possim, ac libentissime velim. Contentiones odi, neminem provocabo, sed provocari rursus nolo, provocatus autem, Christo Magistro elinguis non ero. Poterit enim T. B. brevi & facili verbo contentionibus istis ad se vocatis & extinctis silentium & pacem utrinque mandare, id quod semper audire desideravi.

Proinde, mi Pater *Leo*, cave Syrenas istos audias, qui te *Falso Pape non purum hominem sed mixtum Deum faciunt*, ut quævis mandare & exigere possis. Non fiet ita, nec prævalebis. *Servus*

D

ser-

servorum es, & præ omnibus hominibus miserrimò & periculossimo loco. Non te fallan., qui te Dominum mundi fingunt, qui sine tua autoritate nullum Christianum esse sinunt, qui te in cælum, infernum, purgatorium posse aliquid garrunt. Hostes hi tui sunt, & animam tuam ad perdendum quærunt, sicut Isaias dicit : Popule meus, qui te beatum, prædicant, ipsi te decipiunt. Errant, qui te supra Concilium & universalem Ecclesiam elevant. Errant, qui tibi soli scripturæ interpretandæ jus tribuunt; suas enim hi omnes impietates sub tuo nomine statuere in Ecclesia quærunt, & proh dolor, multum per eos Satan profecit in tuis Prædecessoribus. Summa, nullis crede, qui te exaltant, sed qui te humiliant. Hoc enita est iudicium Dei : Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Vide, quam dispar sit Christus suis successoribus, cum tamen omnes velint ejus esse Vicarii, & metuo, ne revera plurimi eorum sint & nimium serio vicarii ejus; vicarius enim, absentis principis est. Quod si Pontifex absente Christo & non in habitante in corde ejus, præsit, quid aliud quam vicarius Christi est? At quid tum illa Ecclesia nisi multitudo sine Christo est? Quid verò talis Vicarius nisi Antichristus & Idolum est? Quanto rectius Apostoli, qui se servos Christi appellant præsentis, non Vicarios absentis. Impudens forte sum, tantum verticem visus docere, à quo doceri omnes oportet, & sicut iactant pestilentia tua, à quo judicantium Throni accipiunt sententiam. Sed æmulor S. Bernardum in Libello de Confid. ad Eugenium, omni Pontifici memoriter noscendo, neque enim docendi studio, sed puræ fidelisque sollicitudinis officio hoc facio, quæ cogit nos etiam omnia tuta vereri proximis nostris, nec patitur rationem dignitatis aut indignitatis haberi, solis periculis & commodis alienis intenta. Cum enim sciam T. B. versari & fluctuari Romæ, id est, medio mari infinitis periculis undique urgente, & ea te miseriæ conditione laborantem, ut etiam cujusque minimi fratris minima ope

*Quomodo
Pontifices
vicarii
Christi?*

ope indigeas, non videor mihi absurdus, si interim Majestatis tuæ obliviscar, dum officium charitatis implevero, nolo adulari in re tam seria & periculosa, in qua si amicus esse & plus quam subjectissimus tibi non intelligat, est qui intelligat & judicet.

In fine ne vacuus advenerim B. T. mecum affero Tractatum hunc sub tuo nomine editum, velut auspicio pacis componendæ, & bonæ spei &c.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 460. - b. 464.

§. VIII.

Satis animose satisque modeste *Lutherus* hunc in modum *Modestia* ad Pontificem scripsit, instigatus inductusque ab aliis, quos *Et animo-* spes quædam adhuc aluit, emendationem aliquam obtineri pos- *sitas Luthe-* se, si salva relinqueretur Pontificis auctoritas. Nihil igitur ex *ri ostendi-* simulatione aut ludificatione sed seria voluntate egisse *tur.* Lutherum, ex ipsis verbis patet, & ingenio Lutheri, quod ab omni adulatione abhorrebat. Idque etiam ex fine Tractatus de *Libertate Christiana* facile patescit, ubi (s) scribit: *fortiter esse resistendum Magistris traditionum, & Leges Pontificum acriter vituperandas, quibus in populum Dei grassantur.* - Libertate coram tyrannis & pertinacibus esse utendum in despectum eorum, multo omnium constantissime, ut & ipsi intelligant, se impios esse, & leges suas nihil esse ad justitiam, quin eis nihil juris fuisse condendi eas. - Impossibile esse vitare opinionem justificationis ex operibus, ubi tacita fide constitutiones hominum solæ docentur, sicut hactenus factum est, *per pestilentes, impias, animicidas Pontificum nostrorum traditiones, & Theologistarum opiniones, infinitis animabus ad inferos his laqueis pertractis, ut Antichristum agnoscere possis.* Observandum denique est, si quid desiderari hic posset in Nostro, quod ipse *in præfatione* sæpius allegata in Tom. I. Jen. Lat. petit atque scribit de suis scriptis primis hunc in modum: *invenies in istis meis scriptis prio-*

ribus, quam multa & magna humillime concesserim Pape, qua posterioribus & istis temporibus pro summa blasphemia, & abominatione habeo & execror. Dabis ergo hunc errorem, plector, (velut ipsi calumniantur) antilogiam tempori & imperitiæ meæ. Solus primo eram, & certe ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus; casu enim, non voluntate, nec studio in has turbas incidi. Idem fere scripsit fassusque est Noster in *Præfat. Disputationibus* seu Propositionibus (t) à principio causæ contra Papatum & Sophistarum regnum tractatis, ubi ait, se pati, eas extrudi, ne se extollat magnitudo causæ, & successus in ea divinitus sibi datus. In iis enim palam ostendi suam ignominiam, id est, infirmitatem & ignorantiam, quæ se in principio coegerint rem tentare cum summo tremore & pavore, quum unus fuerit, & per istam imprudentiam in istam causam lapsus, ubi in multis & magnis articulis Papæ non solum cesserit, sed etiam ultro adoraverit, & Ecclesiam Papæ pro vera Ecclesia coluerit. Addit, se has suas infirmitates & stultitias confiteri fratribus, ut illi quoque discant humiliter sapere, Dominum se provexisse ex magna infirmitate & ignorantia in virtutem & scientiam fortitudinemque insignem, non tamen sine agonibus & tentationibus.

*Amsdorfii
iudicium &
admonitio
necessaria.*

Hæc confirmat *Nicolaus Amsdorfus* in præfat. ad Tom. I. Jen. Lat. cujus verba, cum ad Historiam faciant non parum, lubet transferre. *Sciat igitur, inquit, Lector, in hoc Tomo (primo) librorum D. Lutheri, quos sub initium controversiæ, Anno 17. 18. 19. 20. edidit, recitari historiam, quæ docet, qualia fuerint initia & progressionem Disputationum de Religione, quæ causa Lutherum ad hæc certamina impulerit, & quod lux Spiritus S. subinde clarior & firmior in mente ipsius facta sit. Item, quod adversarii fulminibus injustarum criminationum & condemnationum Luthero occasionem præbuerint accuratius*
scru-

scrutandi Scripturas, quæ solæ sunt monstratices, & testes minime fallentes veritatis.

Ut autem tota causa fieret conspectior & illustrior, quidam Germanici libelli in latinam linguam translati sunt, & propter historiam nonnulla adversariorum scripta huic Tomo intertextata sunt. Proinde pius lector ex primo Tomo cognoscet, quomodo paulatim certamina de dogmatibus creverint, quibus & doctrina Evangelii repurgata est, & immensa turpitude *Antichristi* patefacta est. In cæteris Tomis res admirabili quadam continuatione & serie ita explicantur, ut nec peregrinis scriptis nec versionibus valde opus sit. Nemo igitur tales commentationes in iis requirat, nisi ad historiæ intelligentiam necesse sit, quædam ex hoc genere intertexti.

Cum autem dissimilitudo scriptorum D. Lutheri non modo adversariis calumniandi occasionem præbeat, sed etiam ^{Propter hostes Evangelii & pios.} pios & candidos Lectores interdum offendat, necessaria admonitio hoc loco recitanda est, ut & hostes Evangelii ^{avtiloyias} ex scriptis Lutheri colligere desinant, & pii majore judicio & candore in his legendis versentur. Quantum igitur aurora à luce meridiana distat, tantum discrimen est inter libros *Lutheri* à principio scriptos, qui hoc Tomo continentur, & eos, quos aliquanto post edidit. Etsi enim in vestibulo causæ, cum Papista & haberi & nominari vellet, quædam *Antichristo Romano* concessit: tamen postea crescente luce fidei in exercitiis pœnitentiæ, in pavore, in persecutione & consolationibus, hæc errata non agnovit solum, sed etiam emendavit. Erat enim, ut multi norunt, non Epicuri de grege porcus, sed Monachus severam disciplinam præstans, & vera animi reverentia & subjectione Papam colens. Itaque in prima congressione, nequaquam ei certum deliberatumque erat, *Romani Pontificis* doctrinam vel autoritatem labefactare, sed huc nervos atque vires contendebat, ut inviolata Papæ dignitate, clamores quorundam

sycophantarum refutarentur, qui terre ac impie, cum summa temeritate & impudentia, venales indulgentias circumferebant.

Quamquam igitur, ut dixi, in primo aditu fascinatus admiratione Papæ, multos errores & abusus non taxavit, tamen paulo post illustratus vera agnitione Christi, tetram confusio- nem opinionum & cultuum, quæ in regno *Antichristi* floret & dominatur, verbo Dei constanter accusavit & condemnavit. Non enim curiositate, nec prava aliqua cupiditate, nec cæca pertinacia motus est, ut Papæ regnum invaderet, sed iusto zelo Spiritus Sancti & fidei, & severissimis mandatis, quæ jubent recte invocare Deum, juxta Evangelium, & vetant coli idola. Et quoniam adversarii sua idola, errores & abominaciones, non verbo Dei, sed fulminibus criminationum & condemnationum propugnabant, accendebatur in doctore *Luthero* diligentia cogitandi accuratius de universa doctrina, & quærendi testimonia Scripturæ, quæ in omnibus controversiis, de religione, rebusque divinis certissima *veritas* sunt. Nam initio harum disputationum, non abhorrebat à studio publicæ concordie & pacis, nec inchoatam telam pertexuisset, nisi adversariorum importunitate ad respondendum impulsus fuisset. Sed verisimum est, & exemplo *D. Lutheri* confirmatum, quod Proverbiorum 4. dicitur: *Iustorum semita similis est luci, quam aurora spargit*; ut enim hæc paulatim usque ad meridiem crescit, ita in pectore *Lutheri*, legentis scripta prophetica & Apostolica, Deus subinde clariorem & firmiorem lucem accendit, & utrumque ei patefecit, videlicet confessionis, quam ipse sonabat, veritatem immotam, & impiam fraudem hostium, qui instinctu diaboli & Antichristi omnia divina & humana pervertunt.

Discant ergo pii lectores ex libris, quos initio *D. Lutherus* edidit, quomodo ex Papista vere Christianus, & ex amico hostis atque inimicus Papæ factus sit, nec quisquam offendantur horum librorum lectione, quod in iis quædam videre liceat con-

Occasio profectuum Lutheri.

consentanea adversariorum doctrinæ, cujusmodi sunt *loci de potestate Pontificis & Episcoporum, de Missa, & de una specie carne Domini*. Nam eo tempore, quo hæc scripsit, anteceptis opinionibus impediatur, quo minus claram veritatis faciem cerneret. Postquam vero, ducē & comite verbo Dei, ex tenebris eluctatus est, & incrementa lucis divinæ sensit, quadam excelsa constantia stylum convertit ad labefactandam Papæ tyrannidem, quo quidem in cursu admirabili & divina felicitate usus est, id quod pius & candidus lector, notata temporum serie & distinctione, facile animadvertet.

(s) *Tom. 1. 7. c. Lat. fol. 521. a. b. 522. a.*

§. IX.

Ad ipsum *Lutherum* ejusque scripta revertimur, eaque quæ Tomo secundo Jenensi Latino ac alibi opposuit Antichristo ejusque regno, summam recensere & perstringemus. Cum nihil proficere se videret humili (t) oblatione sive protestatione d. 17. Januar. A. 1520. facta, quod Deo & conscientia teste, multorumque proborum, gravium, Christianorum, eruditissimorum & peritissimorum iudicio & sententia, nihil unquam conatus sit edere aliud, quam Evangelicam & divinam veritatem, contritam multiplices, superstitiosas opiniones, errores & sententias humanarum constitutionum & ordinationum, imo seducensium & periculosarum inordinationum; sed adversarii, nil pensi moderatique habentes, quod meliora & Christianiora ex sacris literis docentibus cedere, in publicas disputationes descendere, omnium Academicarum non suspectarum cognitionem & sententiam pati velit, sed eum hæreticum, schismaticum, scandalosum, impium, errabundum, fugientem leges, & innumerabilibus aliis modis, tam publice quam privatim perpetuo criminerentur, appellationem, ante factam (u) à Papa ad Concilium, repetiit in hanc sententiam:

Postquam *Leo X.* in impietate sua tyrannide induratus perseverat,

Appellatio
Lutheri publice repetita & innovata.

verat, & in tantum crescit, ut me quadam Bulla, ut fertur, neque vocatum, neque auditum, neque convictum in libellis meis, damnarit, adhæc concilium Ecclesiasticum esse in rerum natura neget, fugiat & vituperet, tanquam infidelis & *apostata*, suamque tyrannidem impiissime illius potestati præferat, jubeatque impudentissime, ut abnegem fidem Christi in percipiendis Sacramentis necessariam, atque ut nihil omitat, quod *Antichristum* referat, sacram Scripturam sibi subjiciat, & conculcet incredibili blasphemia, sinque his intolerabilibus gravaminibus gravissimè læsus, Ego *Martinus Lutherus* omnibus & singulis in Domino notum facio, me adhuc niti & inhærere appellationi factæ & prædictæ, eamque legitimè coram Notario & fide dignis testibus innovavi, & his scriptis innovo, & innovatam pronuncio, & in virtute ejusdem adhuc persevero, appellans, & Apostolos petens jure & modo, quibus fieri potest & debet, melioribus, coram vobis Domino Notario publico, & autentica persona, & his testibus ad futurum concilium à prædicto Leone. Primum tanquam *ab ini-quo*, temerario, tyrannicoque *Judice*, in hoc, quod me non convictum, nec ostensis causis aut informationibus, mera potestate judicat. Secundo, tanquam ab erroneo, indurato, per Scripturas sacras *damnato Heretico & Apostata*, in hoc, quod mihi mandat fidem catholicam in sacramentis necessariam abnegare. Tertio, tanquam ab hoste, adversario, *Antichristo*, oppressore totius sacræ Scripturæ, in hoc, quod propriis, meris, nudisque verbis suis agit, contra verba divinæ Scripturæ sibi adducta. Quarto, tanquam à *blasphemo*, superbo *contemptore* sanctæ *Ecclesiæ Dei*, & legitimi *concilii*, in hoc, quod præsumit & mentitur, concilium nihil esse in rerum natura, quasi ignoret etiam, si non sit actu congregandum, tamen esse personas in Ecclesia non nihil in rerum natura, imo dominos & judices omnium, qui ad concilium pertinent, pro tempore congregandum. Neque

que enim ideo Imperium aut Senatus nihil est, quia Imperator cum Principibus aut senatores non sunt congregati, quorum interest congregari, sicut hic insigniter & crasse delirat Leo cum suis leunculis. Horum omnium rationem reddere paratus, offero me pro loco & tempore, ad comparandum, & standum, & audiendum, quis contradicat mihi.

Quocirca oro suppliciter, Serenissimum, illustrissimos, inclytos, generosos, nobiles, strenuos, prudentes viros & dominos, Carolum Imperatorem, Electores Imperii, Principes, Comites, Barones, Nobiles, Senatores, & quicquid est Christiani Magistratus totius Germaniæ, velint pro redimenda Catholica veritate & gloria Dei, pro fide & Ecclesia Christi, pro libertate & jure legitimi concilii, mihi meæque appellationi adhærere, *Papam incredibilem insaniam aversari, tyrannidi ejus impiissima resistere*, aut saltem quiescere, & Bullæ ejusmodi executionem ommittere & differre, donec legitime vocatus, per æquos iudices, auditus, & scripturis dignisque documentis convictus fuero. In quo sine dubio Christo rem facient in die novissima cumulatissima gratia remunerandam. Quod si qui hanc meam petitionem contemnentes, pergant, & *Papæ impio homini* plus quam Deo obediant, volo his scriptis me excusatum coram omnibus, & uniuscujusque conscientiam hac fideli fraternaque monitione requisitam, obstrictam suoque onere gravatam habere, & iudicio extremo Dei super eum locum dare. Dixi.

(t) Tom. II. Jen. Lat. fol. 268. b. 269. a. (u) eod. Tomo fol. 271. b. 272. a, b.

§. X.

Hoc etiam Anno librum vulgavit Germanice scriptum ad *Scriptum*
Cæsarem & Nobilitatem Imperii Germanici, de reformanda Ec- *ad univer-*
clesia, cum brevi ad Nicol. Amsdorfium præfatione, qui insertus *sam Nobili-*
extat Tomo I. Altenburg. fol. 408. -- 510. in quâ tanta libertate *tatem Ger-*
E *maniam.*
usus

usus est, ut amici etiam Lutheri hunc Tractatum pro classico belli habuerint; nihil enim in eo omisit, quæ ad abusus per tot secula in vectos detegendos & emendandos facere putabat. Triplicem quidem murum, quo satis se munitum Papatus contra reformationem credebat, subruere aggressus est. (I) *Clericæ prerogativam* talsam jactatam, præ Christianitate, quæ omnis sit regale sacerdotium, juxta Petrum 1. Ep. II. 9. & Johannem Apoc. I. 10. XX. 6. (II.) *Magistrale autoritatem* supra Scripturam & infallibilitatem Papæ in rebus fidei, sive pius sit, sive impius; cum tamen omnes Christiani sint *œquidantes*, Joh. VI. 45. eundem Spiritum fidei habeant, 2. Cor. IV. 13. ac homo spiritualis omnia judicet &c. 1. Cor. II. 15. (III) *Potestatem Pontificum convocandi Concilia*, ac superioritatem eorum supra Concilia: quæ potestas toti Ecclesiæ competat, quæque Papam contra Scripturas statuentem corripere, & cogere possit, juxta Matth. XVIII. 15. 16. 17. Nullam esse potestatem in Ecclesia, nisi ad ædificationem 2. Cor. X. 3. Diaboli autem & Antichristi potestatem impedire quod ad ædificationem Christianismi spectat. Post hæc ea capita adducit, de quibus in Concilio statuendum esset, scilicet de superbia plusquam regia Papæ ejusque Curia, de luxu, avaritia, Simonia Ecclesiastica, aliisque id genus vitiis longe maximis & plurimis. Complectitur enim, ceu *Seckendorffius* bene observavit, fere omnia, quæ postmodum Imperii ordines de Pontificii regiminis vitiis publice questi sunt. Quædam etiam adversus confessionum, missarum, peregrinationum, adeoque contra cultus & dogmatum abusus & errores inserit, & Pontificum invasiones in regna & urbes Italiæ improbat. Monasteriorum & collegiatarum Ecclesiarum rectum salutareque usum reducendum suadet. Academica studia omnia & singula corrigenda, jus Canonicum rejiciendum, contendit, &c. Quocunque vero zelo utatur in hoc libello, Pontificatum tamen ipsum bonis legibus ordinatum non rejicit, &

& Collegium Cardinalium ex piis peritisque viris constituen-
dum, & intra duodenarium numerum restringendum esse mo-
net.

§. XI.

Tractatum de Captivitate Babylonica Ecclesie, Hermanno Tu-
lichio inscriptum, sic exorsus est: (x) *velim, nolim, cogor in dies* Tr. de ca-
ptivitate
Babylonica
de indul-
gentiis.
eruditior fieri, tot tantisque Magistris certatim me urgentibus
& exercentibus. De indulgentiis ante duos annos scripsi, sed
sic, ut me nunc mirum in modum pœniteat editi libelli. Hæ-
rebam enim id temporis magna quadam superstitione *Romane*
tyrannidis, unde & indulgentias non penitus rejiciendas esse
censebam, quas tanto hominum consensu cernebam compro-
bari. Nec mirum; quia solus tumolvebam hoc saxum. At
postea, beneficio Silvestri & Fratrum adjutus, qui strenue illas
tutati sunt, intellexi, eas aliud non esse, quam meras adulator-
um Romanorum imposturas, quibus & fidem Dei & pecunias
hominum perderent. Atque utinam à Bibliopolis queam im-
petrare, & omnibus, qui legerunt, persuadere, ut universos li-
bellos meos de indulgentiis exurant, & pro omnibus, quæ de
eis scripsi, hanc propositionem apprehendant:

Indulgentia sunt adulatorum Romanorum nequitie.

Posthæc *Eccius & Emferus* cum conjuratis suis, *de Primatu* de Primatu
Pape.
Pape, me erudire cœperunt. Atque hic etiam ne homini-
bustam doctis ingratus sim, confiteor me valde promovisse eo-
rum opera; nempe, cum Papatum negassem divini, admisisse esse
humani juris. Sed ut audivi & legi subtilissimas subtilitates isto-
rum Troslulorum, quibus suum idolum fabre statuunt (est enim
mihi ingenium in his rebus non usquequaque indocile) scio
nunc & certus sum *Papatum esse regnum Babylonis* & poten-
tiam Nimrod robusti venatoris. Proinde & hic, ut amicis meis
omnia prosperrime cedant, oro librarios, oro lectores, ut iis,
quæ hac de re edidi, exultis, hanc propositionem teneant:

Papatus est robusta venatio Romani Episcopi.

Probat ex rationibus Eccianis, Emseranis, & Lipsensis lectoris Biblici.

In hoc ipso Tractatu (y) *Papam & omnes Papistas* compellat & audacter scribit: nisi sua jura & traditiones sustulerint, & Ecclesiis Christi libertatem suam restituerint, eamque doceri fecerint, reos esse eos omnium animarum, quæ hac misera captivitate pereunt: esseque Populum revera aliud nihil, quam regnum Babylonis & vere Antichristi. Quis enim est homo peccati & filius perditionis, quam is, qui suis doctrinis ac statutis peccata & perditionem animarum auget in Ecclesia, sedens tamen in Ecclesia sicut Deus? At hoc totum abunde implevit tyrannis papalis, jam à multis seculis, quæ fidem extinxit, Sacramenta obscuravit, Evangelium oppressit; suas autem non modo impias & sacrilegas, verum etiam barbaras & indolentissimas leges imperavit, & sine fine multiplicavit.

Hunc Tractatum, in quo præcipue agit de natura, numero & usu Sacramentorum, his verbis animosis (z) claudit: *audium audi vi paratas* esse denuo in me *Bullas*, & diras Papisticas, quibus ad revocationem urgear, aut hæreticus declarer. Quæ si vera sunt, hunc libellum volo partem esse revocationis meæ futuræ, ne suam tyrannidem frustra inflatam querantur, reliquam partem propediem editurus sum talem, Christo propitio, qualem hætenus non viderit nec audierit Romana sedes, obedientiam meam abunde testaturus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen.

Hostis Herode impie

Christum venire quid times?

Non arripit mortalia

Qui regna dat cælestia.

(x) Tom. II. Jen. Lat. fol. 273. a. (y) *ibid.* fol. 288. b. (z) *ibid.* fol. 301. b.

§. XII.

§. XII.

Strinxerat etiam jam antea *Lutherus* stylum in *Lovanien-* Scribit Lu-
ses & Colonienfes Magistros, (a) qui ex ejus Resolutionibus & *therus con-*
 Propositionibus de Indulgentiis, earumque Assertionibus, Ar- *tra Theol.*
 ticulos excerpserunt, ac velut hæreticos damnaverunt. Re- *Lovanienf.*
 sponfionem autem *Christophoro Franco*, J. U. Lic. inscripsit, & in *& Colon.*
 Epistola Nuncupatoria perstringit *arrogantiam & tyrannidem*
plus quam Turcicam illorum Theologorum, nullis rationibus e scri-
 pturis adductis, quibus tamen sua muniverit, sed nudis verbis
 in condemnationem sui prorumpentium. Quare magis mo-
 veri se dixit, *Antichristum aut regnare aut propediem regnatur-*
um, dum homines isti incipiant se extollere super verbum Dei,
 quando eam insaniam nullus unquam hæreticus præsumpserit,
 nec eo tempore ausus fuerit diabolus, ut sine verbo Dei in Ec-
 clesia quid moliretur, quod hodie tum *Pontifices*, tum *Magistri*
nostris tanta sibi tyrannide usurpent, sub nomine Ecclesiæ san-
 ctæ, nunc Romanæ, nunc Catholicæ, nunc repræsentativæ,
 nunc doctrinalis, ut si quis neget, recte ab eis, imo divinitus fa-
 ctum, mox sexcentis hæreseon nominibus damnatum, utrique
 igni, isti & futuro devoveant. Nec sic tamen usquam ap-
 parere, qui surgant, & teneant Dominum, & vel sanguineis
 lachrymis hæc horrenda portenta itæ divinæ mitigent. Se, qui
 in *Eccium* Eccianosque paraverit impetum spiritus sui, hæc mise-
 ra damnataque damnatione sui, sic fractum mutatumque esse,
 ut flere magis libeat, quam quidquam scribere.

Alii etiam prodierunt, qui Nostrum variis scriptis exagi- *& Roma-*
 taverunt & excitaverunt; inter quos erant *Abbas Ord. Cisterc.* *nistam Li-*
veteris Cella, *Paulus Amnicola*, vulgo *Bachmann* & imprimis *psienfem,*
Augustinus quidam *Alfeldensis*, Franciscanus Lipsiæ Mona- *Augustinū*
 chus scribacissimus, quem *Lutherus Romanistam* vocat, & cui *Alfelden-*
 libellum German. opposuit, de Papatu Romano, (b) *sem.*
vom Pabstum zu Rom/ wider den hochgelehrten Romanisten zu Leipzig

in quo perspicue & efficaciter hanc questionem tractat : *an Pappus Romanus ejusque potestas super totam Christianitatem divini vel humani juris & ordinationis sit? Et hoc si sit, an Christiane dicatur, omnes alios Christianos in toto orbe esse hereticos & apostatas, licet idem Evangelium, eadem Sacramenta, omnesque Articulos fidei nobiscum communia habeant, si eorum Sacerdotes & Episcopi non sint confirmati à Pontifice Rom. ut sunt Graci, Russi, Bohemi, &c.* Quod negat, contenditque eos non esse hereticos, sed meliores etiam Christianos, quam Pontificii sunt. Sic egregie explicat, ut summam ex *Seckendorffo* complectar, quid sit Ecclesia, quod ejus caput, quod regimen, argumenta à forma regnorum mundi & sacerdotio Aaronis ad Ecclesiasticam Monarchiam conquesta irridens. Liberrime etiam queritur *de abusu potestatis Papalis*, & immanibus exactionibus, quibus Germania exhauriatur, notatque intra hominum memoriam octo pallia Moguntinam solum metropolin redimere Romæ debuisse, singula fere triginta florenorum millibus. Cum igitur plus quam dimidia Germanicarum ditionum & opum pars in patrimonium Cleri jam concesserit, & quæ ex palliis & annatis Romam portetur pecunia, turpissime prodigatur, tandem aliquando opus esse ait, ut pigri & ebriosi Germani, Principes maxime & Nobiles, de remediis cogitent. Nondum tamen ad abrogandum Pontificatum provehitur. Sed quoniam Dei vel gubernatione, vel ut magis putat, ira hucusque invaluerit, ferri & honorarium posse, non repugnat; dummodo pro articulo fidei non statuatur, nec pro hereticis habeantur tot & tanti per orbem Christianum cœtus, qui potestatem ejus non agnoscunt, nec pallia, mitras & bullas ab eo emunt. Dein ut decreta Pontificia ad normam sacræ Scripturæ examinare liceat. His conditionibus se non passurum solum Pontificem, sed & adjuturum, ut magis magisque extollatur.

(a) *Tom. I. Jen. Lat. fol. 500, b. 501. a.* (b) *Tom. I. Alt. p. 452. - 471.*

§. XIII.

§. XIII.

Sub finem anni M. D. XX. Kalendis Decembris stylum ^{Scriptum} strinxit aduersus execrabilem Antichristi Bullam, ^{primum ad-} ^{versus exo-} ^{crabilem} ^{Antichristi} ^{Bullam.} cuius autorem putavit & collegit ex stylo salivaque Eccium, & eum, vel quicumque tandem fuerit Bullæ autor, pro Antichristo habet, & contra Antichristum se scribere affirmat, protestatusque est coram Deo & Domino nostro Jesu Christo, & sanctis Angelis ejus, & toto mundo, se dissentire toto corde damnationi Bullæ, quam & maledicat & excretur, velut hostem sacrilegam & blasphemam Christi, Filii Dei. Deinde asserere & amplecti se ait tota fiducia spiritus sui Articulos per eam damnatos, asserendosque pronunciat omnibus Christianis, sub pœna æternæ maledictionis, & Antichristos habendos, quicumque Bullæ consenserint. Ante omnia inscitiam Bullæ arguit, cum summa temeritate conjunctam, quod inanis & inermis, sine Scripturis & rationibus damnet, ac non ausa sit Articulos nominatim digerere, quosque in ordines suos, sed dicat alios esse respectiue hæreticos, alios erroneos, alios scandalosos. Non autem respectiue sed absolute & certe doceri se velle, ait, cum sit Occamica factionis, qui respectus contemnant. Interim se bellis assuetum non terreri Bullis, & inter inanem papyrum, ac omnipotens verbum Dei distinguere didicisse, & meticulosissimos & indoctissimos Papistas, Antichristiq; Apostolos contemnere, ac eis illudere eam Elia, & dicere: *Si Baal Deus est, respondeat* &c. Deinde impietate exagitat, quod Bulla exurendos esse suos libellos, in quibus errores non sint, nec monstrari possint, sed veritas Christiana & cognita & probata, exurendos decernat, nec timeat, ne saxa & ligna sanguinem sudent præ horrendissimo hoc specto impietatis & blasphemix. Unde animose Cæsarem & Proceres Regni, Papam & Cardinales ita alloquitur: *Ubi es nunc optime Carole Imperator? ubi estis Reges & Principes Christiani? Christo deditis nomen in baptismo, & has tartareas voces Antichristi pote-*

stis

stis ferre? Ubi estis Episcopi? ubi Doctores? ubi quicumque
 Christum confitemini? ad hæc horribilia Papistarum portenta
 tacere potestis? Miseram Ecclesiam Dei, factam Satanæ tan-
 tum ludibrium. Miseros omnes, qui his temporibus vivunt.
 Venit, venit ira Dei in finem super Papistas, inimicos crucis
 Christi & veritatis Dei, ut resistent & ipsi omnibus hominibus,
 prohibentes prædicari & doceri veritatem, sicut de Judæis di-
 cit Paulus. Finge, quæso, me esse talem, qualem illa maledica
 & maledicta Bulla videri cupit, hæreticum, erroneum, schis-
 maticum, offensivum, scandalosum, in aliquot libellis. Quid
 meruere libelli Catholici, Christiani, veri, ædificatorii, pacifi-
 ci? Ubi didicistis hanc religionem, Papistæ perditæ, ut propter
 hominem malum damnetis & exuratis sanctam castamque Dei
 veritatem? Non potestis homines perdere, nisi & veritatem
 perdatis? Vos triticum evellitis cum zizania? Vos grana disper-
 gitis cum palea? Cur *Origenem* suscipitis in libellis catholicis, &
 non in totum aboletis? Imo cur impiissimum *Aristotelem* in
 quo non nisi errores docentur, non saltem in parte damnatis?
 Cur impias, barbaras, indoctas, hæreticasque *Decretales Papa*
 non exuritis? Cur, inquam, hæc non facitis, nisi quod non estis
 alia causa positi in locum istum sanctum, quam ut sitis abomi-
 natio à Daniele prædicta, quæ damnet veritatem, statuatur vero
 mendaciam & operationem erroris; non enim *alia decent sedem*
Antichristi. Te igitur *Leo X.* vos Domini Cardinales Romæ,
 & quicumque Romæ aliud estis, compello, & in faciem vobis
 libere dico, si vestro nomine, vestraque scientia hæc *Bulla* exi-
 vit, eamque vestram agnoscitis, utar & ego potestate mea, qua
 in Baptismo per Dei misericordiam, factus sum filius Dei, &
 cohæres Christi, fundatus supra firmam petram, quæ nec por-
 tas inferni, nec cælum, nec terram formidat, & dico, moneo,
 hortor vos in Domino, ut ad cor redeatis, istis diabolicis blas-
 phemiis, & plus valde nimio audacibus impietatibus modum
 pona-

ponatis, atque id cito. Quod nisi feceritis, scitote, me cum omnibus, qui Christum colunt, *vestram sedem, à Satana ipso possessam & oppressam, pro sede damnata Antichristi habere*, cui non modo non obediamus, aut subditi & concorporati esse velimus, sed detestamur & execramur, sicut principem & summum hostem Christi, parati pro hac sententia nostra, stultas vestras censuras non modo cum gaudio ferre; sed etiam rogare, ne unquam nos absolvatis, aut inter vestros numeretis; quin, ut cruentam vestram tyrannidem expleatis, ad mortem nos ultro offerimus. Quod si quid spiritus Christi & impetus fidei nostræ valet, his scriptis, si perseveraveritis in furore isto, *vos damnamus, & una cum Bulla ista, omnibusque decretalibus Satana tradimus*, in interitum carnis, ut Spiritus vester in die Domini nobiscum liberetur, in nomine, quem vos persequimini, Jesu Christi Domini nostri, Amen.

Vivit enim adhuc & regnat adhuc, in quo non dubito, Dominus noster *Jesus Christus*, quem & speramus propediem adventurum & interfedurum Spiritu oris sui, & destructurum illustratione adventus sui, hunc *hominem peccati & filium perditionis*, quandoquidem negare non possumus, si Papa istorum portentorum autor est, verum illum finalem, pessimum famosumque *Antichristum*, subvertentem orbem totum, operationibus erroris sui, id quod impletum ubique videmus. Sed quo me rapit ardor fidei? Nondum totus persuasus sum, Papæ esse hanc Bullam, sed Apostoli illius impietatis *Eccii*, qui cum suis patribus, furente hiatu, me absorbere festinat, cantans: Deglutiamus eum, sicut infernus, viventem, & integrum quasi descendentem in lacum. Huic enim furioso homini par-^m imo lucrum videtur, si veritatem Dei extinguat, modo vota impietatis & fratricidii impleat. O sortem Ecclesiæ ^ho-^uernam, sanguineis lachrymis dignam, sed quis gemitus nos ^uros audit? quis plorantes solatur? Inexorabilis est furor Domini super nos.

F

Paulo

Paulo post refellit mendacium bullæ crassum de collatis in se immensis studiis, etiam sumptu & pecunia ad iter Romanum oblatis, hoc modo: Et unde illud, quod compertum habeo, esse per trapezitas istos (quod Bannum vocant) definitos in Germania aliquot centenarios aureorum, sicariis, qui *Lutherum* conficerent: (vid. T. I. Alt. p. 547. ubi exempla recensentur) His enim rationibus & scripturis hodie pugnat, regnat, triumphat sancta illa Apostolica sedes, magistra fidei, & *mater Ecclesiarum, jamdudum Antichristiana, & bis septies hæretica, convicta*, si gladio spiritus, quod est verbum Dei, pugnasset, id quod non ignorat. Ideo, ne quando ad id cogatur periculi, sic furit in orbe Christiano bellis, cædibus, cruoribus, mortibus, vastationibus, omnia involvens & perdens, adhuc tamen sunt sanctissimi in Domino Patres, & ovium Christi vicarii Pastores.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 302. a. b. 303. a. 304. a. b. 305. a.

§. XIV.

*Jus Canon.
& Bullam
Pontif. Lu-
therus com-
burit,*

Deinde, cum intellexisset *Lutherus* libros suos, annitentibus nunciis Pontificiis, *Marino Caracciolo* & *Hieronymo Aleandro*, ad Cæsarem Aquisgrani coronandum, & Electorem Saxonie *Fridericum*, missis, aliquot in locis mense Novembri combustos esse, renitente licet Saxone, & indignitatem facti obiciente, quod librorum autor neque auditus neque convictus esset; ipse quoque ultionem sumpturus, X. die Decembris, convocata omni scholastica juventute Wittembergæ, Decretales Antichristianas una cum Bulla novissima Papæ exussit, hisce verbis prolatis: *quia tu conturbasti sanctum Domini, ideoque te co-buret ignis eternus.* Cujus facti rationes has publice reddidit (I) quod veteris sit exempli & antiqui moris, infectos & improbos codices comburendi, Act. XIX. (II) Quod sibi Christiano baptisato, atque adeo jurato S. Scripturæ Doctori, sed & quotidiano concionatori, conveniat, perverfas, falsas, sedu-

*& causas
reddit facti
huius.*

ductorias & impias doctrinas abolere, vel saltem impedire. (III) Quod tamen hoc operis non conatus fuisset, nisi expertus vidisset, Papam & Pontificios corruptores & seductores, non solum errare, & seducere, sed etiam post multas instructiones à se factas, in suis erroribus induratos prorsus & fascinosos esse, ut non solum non patiantur se vel duci, vel doceri, sed etiam cecos obturatis auribus & oculis Evangelicam doctrinam condemnare & exurere, ad suas Antichristianas & diabolicas abominaciones confirmandas & conservandas. (IV.) Quod non credat incendiarios suos mandatum à Leone X. habere: adhuc sciat, certis nuntiis edoctus, Colonenses & Lovanienses, jactantes sese habere Cæsareæ Majestatis veniam & mandatum suos Codices concremandi, parere veritati, & id propositi aliquot millium aureorum munere à nonnullis Magistratibus coemisse. (V.) Quod, postquam collegerit, ex ejusmodi librorum suorum combustione veritati magnam imminere jacturam, & apud imperitam plebem suspensionem inde ad multarum animarum perniciem nasci posse, vicissim, instinctu Spiritus, ad confirmandam & conservandam veritatem Christianam, & vulgus, libros adversariorum combusserit, inspecta eorum insperabili emendatione, & correctione.

Eum in finem, ne quis se permittat commoveri sublimibus titulis, nominibus & clamoribus Pontificiæ conditionis, Canonici Juris, diuturnæ consuetudinis, horum combustorum Codicum, monuit, ut prius quisquis audiat & videat, quid Pontifex in suis libris docuerit, quam venenatas & abominabiles doctrinas sacra spiritualia jura contineant, & quid hætenus loco veritatis adoraverimus, & tum libere judicet, justene an injuste hujusmodi libros combusserit. Hinc Articulos & errores XXX.

30. Articuli
erronei è
jure Pontifici.

i. Papa & sui non tenentur præceptis Dei subjecti & obedi-
dientes esse.

Hanc abominabilem doctrinam scribit aperte in c. Solide de majoritate & obedientia, ubi S. Petri verba, quibus dicit: estote subjecti omni humanæ creaturæ, sic interpretatur: S. Petrum non suos successores, sed eorum subjectos intellexisse.

2. Non præceptum, sed consilium S. Petri, quando docuit ut omnes homines Regibus essent subjecti. Ibidem.

3. Sole significari papalem, Luna imperialem sive secularem potestatem in Christiana Republica. Ibidem.

4. Papam & ejus sedem non teneri subjectos esse conciliis & decretis, *c. significasti de elect.*

5. Papam habere in scrinio pectoris sui omnia jura, & plenam potestatem super omnia jura. *c. i. de constit. L. 6.*

6. Ex quo sequitur, Papam habere potestatem omnia Concilia & omnes Constitutiones & Ordinationes convellendi, mutandi, & statuendi, sicut & quotidie facit.

Per quod nihil relinquitur neque potestatis, neque utilitatis, ordinationibus, & conciliis Christianis.

7. Pontifici Romano jus esse postulandi juramentum & obligationem ab Episcopis pro eorum palliis. *c. significasti.*

Contra illud: Gratis accepistis, gratis date.

8. Si Papa suæ & fraternæ salutis ita sit negligens, ita inutilis & remissus, ut innumerabiles populos ducat secum primo mancipio gehennæ in æternum plagis multis vapulaturus, hujus culpas à nemine mortalium redarguendas esse. *dist. 40. Si Papa.*

Hic articulus etiam si solus esset, sufficiens fuerit causa, omnes libros Pontificis comburendos. Quid ergo non diabolicum? quid non abominandum proponat sibi, tam abominabilia impudenter & observantes & docentes? Vide Christiane homo, quid te jura Ecclesiastica doceant.

6. Salutem universitatis fidelium, post Deum, ex Papæ incolumitate pendere. Ibidem.

Contra

Contra illud: Credo Ecclesiam sanctam &c. Ita necesse esset, perire omnes Christianos, quoties Papa malus esset.

10. Neque Papam, neque ejus sententiam quisquam in terris judicare potest, ipse vero Papa omnes homines judicat. 9. q. 3. c. cuncta.

Hic articulus est capitalis articulus regni Antichristiani, qui ut bene radices ageret, per multa capitula, & pene per totum jus Canonicum semper repetitus est, ut facile appareat, Jus Canonicum in hoc unum esse confectum, ut Papa libere posset & facere & derelinquere quicquid vellet, licentiamque dare peccandi, & impedire bona. Stante enim hoc articulo, jacet profligatus Christus & ejus verbum. Eo vero non stante, jacet totum Jus Canonicum, una cum Papa & ejus pestilente sede. Sed stare non potest. Nam S. Petrus precipit 1. Pet. II. Omnes honorate. Et S. Paulus Roman. XII. invicem honore praevenientes. Et Christus saepe dixit: Qui vult major esse, sit minor. Similiter S. Paulus S. Petrum ad Galat. II. reprehendit, non ambulans secundum Evangelium. Ad haec S. Petrus una cum S. Johanne ab alijs Apostolis tanquam subiectus mittebatur. Ideo neque est, neque potest esse verum, Papam nemini subiectum esse, & à nemini judicari posse, quando ipse supremus omnium esse contendit. Et Jus Canonicum, cum hoc sit ejus fundamentum & tota ratio, repugnat in omnibus suis articulis & partibus Evangelio. Hoc quidem verum est, secularem potestatem suis inferioribus non esse subiectam; sed Christus hoc vertit & mutat, dicens: Vos autem non sic, volens superiores sui populi esse omnibus subiectos, & ab eis judicium pati. Sicut dicit Luca XXI. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem in eos habent, benefici vocantur. Vos vero non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui praecessor est, sicut ministrator. Quomodo autem potest ipse esse inferior, si à nemine patitur se judicari.

Hic est ille articulus, ex quo omnis infelicitas in totum orbem terrarum inundavit. Quapropter jus Canonicum, ut res ve-

nenata, merito extinguendum & vitandum est. Nam ut omnibus claret, inde consequitur, ut nulli malo possis occurrere; nihil etiam boni, nihil virtutis provehere, ut cogamur videntes pati, & Evangelium & fidem occidere atque interire.

II. Romana sedes concedit autoritatem omnibus juribus & legibus, sed ipsa nullis eorum subiecta est. XXV. q. 1.

Quod tantum est dicere; quod vult, justum & equum est, interim tamen non obligatus quidquam eorum observare. Sicut Christus Matth. XXIII. dixit de Pharisæis, imponere gravia onera hominum humeris, quæ ipsi ne digito quidem moverent. Contra quæ S. Paul. ad Galat. V. dicit: *Stato, & nolite iterum iugo servitutis contineri.*

12. Petra, super quam Christus Matth. XVI. Ecclesiam suam ædificat, appellatur dist. XIX. Romana sedes cum proximis suis.

Cum tamen solus Christus ea sit petra. 1. Cor. 10.

13. Claves soli S. Petro traditas esse.

Cum tamen eas Christus Matth. XVIII. toti fidelium universitati tradat.

14. Christi sacerdotium ab eo in S. Petrum esse translatum. de constitu. c. Tranlato.

Contra quod dicit David Ps. CX. & Paulus ad Ebraeos VII. Christum unicum esse, eumque summum Pontificem s. Sacerdotem, cujus Sacerdotium nunquam transferatur.

15. Papatum habere potestatem condendi jura & leges Ecclesiæ Catholicæ. XXV. q. 1. Ideo permittente.

Cui repugnat S. Paulus ad Gal. V. vos estis vocati in libertatem.

16. Quod hanc sententiam Matth. XVI. *Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, eo trahit, quod habeat potestatem totam Ecclesiam Catholicam onerandi legibus suis temerariis.*

Cum

Cum Christus eo nihil aliud velit, nihil aliud sequatur, quam ut peccatores ad pœnam & pœnitentiam adducat, & nihil minus quam ut reliqui innocentes legibus graventur, ut verba clare sonant.

17. Quod sub excommunicatione & peccato præcipit, certis diebus carne quadrupedum, ovis, butyro, & aliis lacticiis non esse vescendum.

Cum tamen talium nullam prorsus habeat potestatem. Et ad hoc tantum amice & paterne admonere deberet, relicto unicuique arbitrio suo libero.

18. Quod toti sacerdotio interdixit matrimonio, prohibens sacerdotes ducere uxores.

Unde multa peccata, scandala & vitia sine causa nata sunt, & quotidie augentur, contra Dei præcepta & Christianam libertatem.

19. Quod Papa Nicolaus sive III. sive IV. in sua Antichristiana Decretali, inter multa mala ponit, Christum clavium traditione potestatem dedisse cœlestis simul & terreni Regni.

Cum tamen omnes probe sciant, quomodo Christus terrenum regnum fugerit, & omnes Sacerdotes claves habeant, & tamen non omnes Imperatores sunt cœlestis & terreni Regni.

20. Quod Papa, magnum & impium illud mendacium, Constantinum Imperatorem ipsi Romanas provincias, regiones, & potestatem dedisse in terra & mundo hoc inferiore, pro vero judicat & postulat.

Cum è diverso Christus dicat Matth. VI. 19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi arugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Item: Non potestis Deo servire & mammonæ. Item: Vos autem non sic.

21. Quod Papa jactat se sacri Romani Imperii hæredem esse, de sententia & re judic. c. Pastoralis.

Cum tamen omnes sciamus, Ecclesiasticum officium & seculare

lare

lare regimen inter se pugnare & dissidere, neque mutuo sese pati. Et S. Paulus precipit, ab Episcopo verbum Dei tractandum & observandum esse.

22. Quod Papa docet, justum & licitum esse, ut Christianus vim vi repellat.

Et contra & supra Christum, dicentem Matth. V. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed is qui te percusserit in dextram maxillam tuam, prabe ei & alteram, & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

23. Quod Papa docet, inferiores & subjectos posse suis superioribus inobedientes & contumaces esse, & quod Papa possit Reges deponere.

Sicut in multis locis scribit, & saepe, quamvis contra & supra Deum fecit.

24. Quod Papa etiam nititur potestatem habere convellendi & dissolvendi omnia juramenta, foedera & obligationes inter superiores status erectas.

Contra & supra Deum precipientem, ut fidem omnibus servemus.

25. Papam habere potestatem, vota Deo facta dissolvendi & commutandi, de vot. & vot. red.

Quod etiam contra & supra Deum est.

26. Quod Papa docet, eum, qui differt suum votum, solvere ex praecepto Dei, non teneri culpa rupti voti. Ibidem.

Quod perinde est, ac si dixeris, Papam esse superiorem Deo.

27. Quod Papa docet, nullum posse Deo servire matrum vel conjugem.

Cum tamen Abraham & multi alii Sancti conjugati fuerint, & Deus ipse matrimonium instituerit. Procul dubio sic iterum Antichristus ascendit supra Deum.

28. Quod

28. Quod Papa inutiles suas leges comparat Evangeliiis & sanctæ Scripturæ.

Quod in Decretis sæpe repetit.

29. Papam habere potestatem sacram Scripturam pro suo arbitrio & voluntate interpretandi & docendi, & nulli permittere eandem aliter, quam ipse Papa velit, interpretari.

Quo se ponit supra verbum Dei, & idem convellit & extinguit, cum tamen Paulus 1. Cor. XIV. dixerit: Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.

30. Quod non Papa à Scriptura, sed Scriptura à Papa auctoritatem, vigorem, robur & dignitatem habeat.

Qui unus ex principalibus est articulis, propter quem Papa, ut verus Antichristus, meretur, ut Christus cum una cum regimine suo cælitus destruat, sicut S. Paulus futurum prædixit.

Summa summarum totius Juris Canonici hæc est:

Papa est Deus in terris, superior omnibus cælestibus, terrenis, spiritualibus & secularibus. Et omnia Papæ sunt propria, cui nemo audet dicere: Quid facis?

Quod vero vel nemo vel pauci inventi sint, qui hanc abominationem Papæ ausi fuerint detegere, non esse dicet Noster, ut miremur, cum prædictum sit, omnes comburendos ab eo, qui ipsi repugnarent, & habiturum consensum omnium Regum & Principum, & seductio Antichristi non tam crassa sit, ut omnes eam intelligere possint.

Hos articulos satis esse dicit, & initium tantum tragædiæ; siquidem hætenus in causa Papæ luserit tantum, & jocatus sit; si vero quisquam Papistarum conaretur eos defendere, tum se eos multo luculentius & clarius depicturum atque descripturum, longe etiam plures ejusmodi producturum. Se hoc movere potissimum, quod Papa nunquam, ne semel quidem quenkam vicerit vel Scriptura, vel ratione, qui contra ipsum dixisset, scripsisset, vel fecisset, sed semper vi, excommunicatione

G

per

per Reges, Principes, & reliquos fautores, aut per dolos malos & falsa verba oppresserit, ejecerit, combusserit, vel alioqui occiderit: quod nemini permiserit iudicium, sed solus omnes iudicare præsumserit, tanquam superior omnibus scripturis, iudiciis & potestatibus.

Concludit tandem his verbis:

In his omnibus polliceor & offerome staturum juri, coram omnibus.

Samson Judic. XIV.

Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.

Apoc. XVIII.

Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplicitia secundum opera ejus.

Postridie ejus diei Lutherus cum Psalmum prælegeret, præmonebat omnes auditores, ut sibi caverent à Papisticis statutis. Parum esse hoc deflagrationis negotium, ex refore, ut Papa quoque, hoc est, *sedes Papalis concremaretur*: gravique supercilio affirmans, nisi, inquit, toto corde dissentiat à regno Papali, non potestis assequi vestrarum animarum salutem. A deo diversum esse regnum Papæ à regno Christi & vita Christiana, ut tutius foret in eremo agendo nullum omnino videre hominem, quam versari in regno isto Antichristiano. Caveat igitur sibi, quisquis animæ suæ consultum velit, ne assentiendo Papastris Christum neget. Ideoque aut hic, aut vita futura perendum esset, cuique ad sacra hodiernæ Ecclesiæ aspiranti, qui huic operationi erroris contradicere non audeat, suo autem contradixerit, vitæ suæ dispendio fieri oportet. Ego autem, inquit, in hoc seculo periclitari malo, quam tantam silentii rationem, quæ Deo est reddenda, conscientiæ meæ imponere. Ob id Romanæ furis jam pridem dissentiens ex corde, abominor istam Babylonicam pestem. Arque hæc fratribus meis annuntiabo, quam diu fuero. Si animarum tantæ pernicii resistere

stere non possim, servandi sunt tamen plerique nostrates, ne & ipsi ad inferos præcipitentur. Faciant alii quidquid velint, tempus est ut respiscamus.

Tom. II. Jen. Lat. 334. -- 338.

§. XV.

Post hæc alium publicavit Tractatum, hoc insignitum *Ti- Assertio*
tulo: *Assertio omnium Articulorum M. Lutheri, per Bullam Leo- omnium*
nis X. novissimam damnatorum, in quo primo prævenit adver- *Artic. per*
sarios & præmonet, quo campo, quibus armis & signis secum eos *Bullam da-*
velit congregari, nempe non auctoritatibus ullius Patris, aut comen- *mnatorum.*
tariis hominum, sed solis sacris literis, eo ipso Spiritu, quo scri-
ptæ sunt, intelligendis, & se ipsas interpretantibus; quum *Au-*
gustinus, quem semper adhibuerit, prohibeat, ullius tractato-
rum, quantumlibet sancti, scripta, scriptis Apostolorum & Pro-
phetarum, æquari, id quod communis quoque naturæ sensus
prohibeat. His præmonitis, *Articulos XLI.* à Bulla conde-
mnatos singulatim explicat ac defendit, ita, ut, fatente *Maimbur-*
gio, ingenium & doctrinam ubique semper ostendat. Multos
in Locis jam editis adduximus, & summam inde indicavimus, ut
Art. I. de Sacramentis nova legis, Art. II. & III. de peccato post
Baptismum remanent, & fomite peccati, Art. V. VI. VII. VIII.
IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XXXI. XXXII. XXXV. de
3. partibus pœnitentiæ, de contritione, confessione, absolutione,
Art. XVII. -- XXIII. de Indulgentiis, Art. XXXVI. de libero
arbitrio. Art. XXV. -- XXX. de primatu & potestate Papæ di-
sputat, & ad dicta Scripturæ, à Pontificiis adferri, vel torque-
ri huc solita, respondet, quorum summam Sect. seq. indicabimus.
De Purgatorio & paucis aliis Articulis reliquis suo loco quæ-
dam monebimus. Nonnulla saltem hic attingam inspersa sub-
inde de Antichristo. Ad Artic. XVI. ubi communionem sub
utraque specie asserit, & Græcos ac Bohemos hac in parte nec
hæreticos, nec schismaticos, sed Christianissimos & Evangeli-
cis-

eiffimos esse dixit, cum pro se habeant expressum textum Evangelii, longævum & apud Græcos in hunc diem servatum, Catholicum usum Ecclesiæ Dei; monuit eos *non moveri* debere *tyranni illius Romani & Antichristi vastatoriis & impiis decretis*, quibus alteram partem per vim abstulerit iis, quibus Christus ipse donarit, & *hereticos schismaticosque* pronunciat *Papam & omnes, qui idolum hoc Romanum adorent*, nisi forte laicos & rudes excuset ignorantia, simplex fides, & violenta hujus Assur captivitas. Quod attinet ad Articulos XXV. XXVII. XXVIII. XXIX. *de Primatu Papæ*, ejus autoritate, potestate, infallibilitate, Conciliis, item Art. XXXVIII. -- XLI. *de Purgatorio*, de iis dabitur dicendi occasio in Sectione Dogmatica, & inferius suo loco.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 308. --- 330.

§. XVI.

*Iconismi
regnum
Christi &
& Anti-
christi re-
presentan-
tes, cum
subscriptionibus Lu-
theri.*

Anno 1521. prodiit libellus figuris plenus, quos *Lucas Cranachius*, senior, pinxerat, ligno insculperat, & inde chartas excuderat, quæ Christi & Antichristi regnum, dissimilemque exitum pulchre repræsentarent. Istitis iconismis subscriptiones adjecit *Lutherus*, & Christi gestis testimonia ex historia Evangelica, Pontificis vero actionibus dicta ex Decretalibus, quibus potentia & majestas Papæ magnifice asseritur, additis ex Daniele & Apocalypsi vaticiniis, ruinam & damnationem Christi indicantibus. Qui libellus pro laicis bonus est, ut inde videant, Pontificem Romanum, qui se vicarium Christi jactat, non solum Christi imitorem haud fuisse, sed etiam tanquam hominē peccati, & filium perditionis, ut Paulus eum appellat, Christo in omnibus contrarium esse. Neque famosus libellus vocari hic libellus, aut damnari hoc nomine à Cæsareo jure potest, quia subscriptiones sub iconismis Papæ ex Decreto & Decretalibus, ac ex jure Pontificio sunt desumptæ.

Tom. I. Alt. p. 597. b. -- 612. Tom. I. Epist. 219. in fine.

§. XVII.

§. XVII.

Interea cum Imperator *Carolus*, nuper coronatus, prima *Lutherus*
Comitia *Wormatiæ* indiceret, à *Friderico Septemviro* per lite- *Wormatiã*
ras petiit, ut *Lutherum* secum adduceret, pollicitus, se curatu- *vocatus li-*
rum, ut à doctis sapientibusque viris sufficienter audiretur, & *bro à se*
ab injuria tutus esset, ac *Luthero* interdiceret, ne quid interea *scriptos non*
contra Pontificem & sedem Romanam scriberet. Hæc ubi *revocat.*
Electo significavit *Luthero*, hic respondit, se omnino ventu-
rum, Cæsarisque vocationem pro divina habiturum; si autem
vis fiat, sicut verisimile sit, Deo commendaturum esse causam,
qui tres pueros in fornace ignis servaverit; si vero fervare nolit,
parvam esse rem caput suum, si ad Christum comparetur. Suum
non esse definire, an ex morte sua plus minusve periculi Evan-
gelio & publicæ saluti sit oriturum. Venit ergo *Lutherus*, ca-
duceatore Cæsareo & literis salvi conductus in hoc instructus.
Paucis tamen diebus, antequam veniret, publice & palam ad-
fixis literis, ejus libri damnati erant, nemoque existimabat,
eum hoc præjudicio condemnatum adventurum esse. Et cum
in vicino oppido *Oppenheim*, ubi primum hæc rescivit *Luthe-*
rus, ab amicis ejus deliberatio haberetur, ac plerique consule-
rent, ne se ipse exponeret periculo, cum videret hæc principia
contra fidem datam fieri; Auditis omnibus, ipse magno ani-
mo respondit: mihi vero, qui vocatus sum, decretum & cer-
tum est, ingredi urbem in nomine Domini *Jesu Christi*, etiam-
si scierem, tot diabolos mihi oppositos, quot sunt regulæ in
omnibus totius urbis tectis. Altero post adventum ejus die,
in confessum Imperii Procerum adducitur, & his duabus de
causis interrogatur: primum, *fateaturne libros, Latine & Ger-*
manice à se scriptos, suos esse, nec ne? Deinde, *an illos & eorun-*
dem contenta retractare & revocare, vel inharere potius illis &
inseverare velit? Ad quæ *Lutherus*, post acceptum spatium de-
liberandi, ut supplex petebat, ne quid in quæstione de fide & sa-

lute animatum nisi præmeditatus diceret, tandem modeste, non tamen sine Christiana animositate & constantia, & ita, ut adversarii cupierint animum & orationem abjectiorem, respondit: 1. se libellos nomine suo vulgatos, agnoscere suos, nisi forte interim acciderit, ut æmulorum vel astutia, vel sapientia importuna quidquam in illis mutatum, aut depravate excerptum sit. 2. libros suos non ejusdem generis esse memorat, esse enim aliquos, in quibus pietatem fidei & morum adeo simpliciter & evangelice tractaverit, ut ipsimet adversarii cogantur eos confiteri utiles, innoxios, & plane dignos lectione Christiana, & Bulla ipsa, quanquam sæva & crudelis, aliquot innoxios fecerit, licet & hos damnaverit, judicio prorsus monstrifico. Hos se revocare non posse, nisi eam veritatem damnaret, quam amici & inimici pariter confiteantur. *Alterum genus* esse, quod in Papatum & doctrinam Papistarum invehatur, tanquam in eos, qui suis & doctrinis & exemplis pessimis, orbem Christianum utroque malo, & spiritus & corporis, vastaverint. Nam neque negare id, neque dissimulare quenquam posse, cum experientia omnium & universorum querimonia testes sint, per leges Papæ & doctrinas hominum, conscientias fidelium miserrimè esse illaqueatas, vexatas & excarnificatas, tum res & substantias, præsertim in inclyta Germaniæ natione, incredibili tyrannide devoratas, devorarique adhuc sine fine indignisque modis. Cum tamen suismet legibus ipsi caveant (ut dist. 9. & 25. q. 1. & 2.) *ut Papa leges & doctrina, Evangelio aut Patrum sententiis contraria, pro erroneis & reprobis habeantur.* Si igitur & hos, inquit, revocavero, nihil aliud præstitero, quam ut tyrannidi robur adjecero, & tantæ impietati jam non fenestras, sed valvas aperuero, grataturæ latius & liberius, quam hæctenus unquam ausa fuerit, & fiet hujus meæ revocationis testimonio, licentiosissimum & impunitissimum nequitæ illorum regnum, misero vulgo longe intolerabilissimum, & tamen roboratum stabilitumque, præsertim

tim si jactatum fuerit, id à me factum autoritate Serenissimæ Majestatis vestræ, totiusque Romani Imperii. Quantum ego, Deus bone, tum fuero operculum nequitie & tyrannidis. *Tertium genus* eorum esse dixit, quos in aliquos privatos scripserit, qui & tyrannidem Romanam tueri, & pietatem à se doctam labefactare moliti sint. In quos se confitetur fuisse acerbiozem, quam pro religione aut professione deceat. Nec tamen hos revocare integrum sibi esse, quod ea revocatione iterum futurum sit, ut tyrannis & impietas suo patrocinio regnent, & faviant in populum Dei violentius, quam unquam regnaverint. Tamen qui homo sit, & non Deus, alio patrocinio suis libellis adesse non posse, quam ipse Dominus suus J. C. affuerit suæ doctrinæ, qui, cum coram Hanna de tuâ doctrinâ fuisset interrogatus, & alapan à ministro accepisset, dixerit: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si igitur, (inquit) Dominus ipse, qui sciebat sese errare non posse, non detrectavit testimonium adversus suam doctrinam audire: quanto magis ego fex, non nisi errare potens, debeo expetere & expectare, si quis testimonium reddere velit adversus meam doctrinam. Itaque rogo per misericordiam Dei, Serenissima Majestas vestra, Illustrissimæque Dominationes vestræ, aut quicumque tandem, vel summus vel infimus, possit, reddat testimonium, convincat errores, superet scripturis Prophetiis & Evangelicis; paratissimus enim ero, si edoctus fuero, quemcunque errorem revocare, eroque primus, qui Libellos meos in ignem projiciam. Ex his arbitror liquidum fieri, me satis curasse & ponderasse discrimina & pericula, seu studia & dissensiones, meæ doctrinæ occasione in orbe excitata, de quibus heri graviter & fortiter admonitus fui. Mihi plane jucundissima facies ista in rebus est, videre ob verbum Dei studia & dissensiones fieri; is enim est verbi Dei cursus, casus & eventus, nam dicit: *non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus Patrem*

Patrem

Patrem &c. Proinde cogitandum nobis est, quod Deus noster sit mirabilis & terribilis in consiliis suis, ne forte id, quod tantis studiis tentatur, si à damnato verbo Dei exordiamur, vergat postea potius in intolerabile malorum diluvium, & quod cavendum sit, ne adolescentis hujus optimi Principis Caroli (in quo post Deum multa spes est) infelix & inauspicatum fiat Imperium.

His dictis, Orator Imperii increpabundo similis, dixit, cum non ad rem respondisse, nec debere in quaestionem vocari, quæ olim in conciliis essent damnata, & definita; ideo ab eo peti simplex & non cornutum responsum, an velit revocare, vel non.

Hic *Lutherus*: Quando ergo Serenissima Majestas vestra Dominationesque vestræ, simplex responsum petunt, dabo illud, neque cornutum, neque dentatum, in hunc modum: *Nisi convictus fuero testimoniis scripturarum, aut ratione evidente,* (nam neque Papæ, neque conciliis solis credo, cum constet eos errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse) *convictus sum scripturis à me adductis, captaque est conscientia in verbis Dei, revocare neque possum neque volo quidquam, cum, contra conscientiam agere, neque tutum sit, neque integrum.* *Hic stehe ich / ich kan nicht anders / Gott helffe mir / Amen.* Hanc constantem animi sententiam repetiit semel iterumque apud Archiepiscopum Treverensem, & delegatos Principum, & de remediis, quibus occurri huic causæ posset, quæsitus respondit: meliora non esse remedia, quam de quibus Gamaliel Act. V. dixisset, teste S. Luca: *Si ex hominibus consilium aut opus hoc est, dissolvetur; si vero ex Deo est, dissolvere non poteritis.* Hoc posse Cæsarem & Imperii ordines scribere ad Pontificem Romanum, se certo scire, si hoc suum propositum ex Deo non sit, intra triennium imo biennium sponte sua perituum. Caterum vitam & caput potius amisurum, quam tam clarum Dei verbum deserturum. Alioqui
pro

pro Cæsarea Majestate & Imperio passurum omnia, vitam & mortem, famam & infamiam, nihilque sibi prorsus reservaturum, nisi unicum verbum Domini liberum, ad confitendum & testificandum illud.

Inserta est Tomo II. (c) *Lutheri Responsio extemporaria ad Articulos, quos Magistri nostri, ex lib. de captivitate Babylonica & assertionibus ejus excerpserant, quos venienti Wormatiam ad Imperialem illic Conventum objicerent, tanquam hæreticos, nunquam tamen ex Scripturis tales probatos. Ex Actis autem Wormatiæ habitis* nondum vidi, an hæc Responsio publice producta sit, vel non? Utcunque sit, parum ponderis habuisse eam apparet apud adversarios. Interim d. XVI. Aprilis in pace dimissus venit d. XXVIII. ejusdem Mensis Fridbergam, Wetteraviæ oppidum Imperiale, unde (d) literis ad Cæsarem Ordinesq; Imperii scriptis, gratias quidem agit pro salvo conductu; queritur tamen, quod sua dogmata ex sacris literis non essent examinata, & rogat, ne præjudicium verbi Dei existiment è mala suspitione natum, neque inclementius interpretentur, aut patiantur se per adversarios supprimi, vim pati, & damnari.

(c) *Tom. II. Jen. Lat. fol. 435. b. -- 443.* (d) *Tom. I. Epist. 223, 224.*

§. XVIII.

Sic triumphavit veritas, & divinæ providentiæ documenta *Triumphus* illustria hinc elucent, quod Imperator & Status Imperii Monachum, à Pontifice jam damnatum, benigne patienterque *veritatis* *Wormatiæ.* audierint, fidem promissam hæretico quoque, ut multi putabant, servaverint, & humaniter eum tractaverint, frequentissime in hospitio visitaverint, & non pauci magnæ dignitatis viri præsentiam fiduciamque modestia temperatam admirati in illo fuerint. Quanquam enim postea severum edictum ab *Aleandro*, gravissimo Lutheri hoste, conscriptum, publicatum sit, quo, tanquam hæreticus & schismaticus manifestus, proscribatur, & omnibus interdiceretur, ne illum recipiant, aut prote-

H

gant,

gant, neque libros ejus habeant, &c. constat tamen id factum, cum jam plurimi ex Electoribus & Principibus, interque hos Saxo, jam discessissent. Unde etiam, *Maimburgio* haud diffidente, multum abfuit, ut edictum hoc effectum haberet, quum scripta Lutheri magno cum applausu passim excepta & in alias linguas translata essent, & Imperator ad sedandos motus in Hispaniam redire cogeretur. Huc accessit, quod Dux Saxoniae secreta jussa dederit, ut Lutherus à personatis militibus, cum per Grunbergam & Hersfeldiam, Hassiæ oppida, in Thuringiam ad invisendos propinquos revertens, exciperetur, & securitatis causa in arcem Wartburg, prope Isenacum, altissimo monti impositam, deduceretur.

Vid. Maimburg. & Seckendorf. Hist. Luther. p. 159.

§. XIX.

*In itinere
Hersfeldia
& Isenaci
prædicat.*

In ipso quoque itinere expertus est gratiæ divinæ singularis documenta. Nam, ut ipse ad *Georg. Spalatinum*, Wormatiæ tum adhuc hærentem, scripsit, Abbas Hirsfeldius Cancellarium & Quæstorem ei obviam misit, ad castrum suum ipse multis equitibus excepit in oppidum humanissime, & Senatus intra portas, inque monasterio suo laute pavit & sermonem facere coegit, frustra nostro causante, ne forte sua regalia amitteret, si hoc factum Cæsareani interpretari cœperint læsam fidem datam, cum ei inhiherent, ne in via prædicaret. Isenaci quoque prædicavit, sed timido Parocho, & Notario, testibusque præsentibus, protestante, humiliter tamen excusante necessitatem hanc ob metum tyrannorum suorum. Excusat igitur hæc his verbis: ita & Wormatiæ forte audies per hæc à me solutam fidem; sed non est soluta. In mea enim potestate non erat ea conditio, ut verbum Dei esset alligatum: nec pepigi in eam: & si pepigissem, quia contra Deum fuisset, servanda non fuisset.

Tom. I. Epist. 229. p. 328.

§. XX.

§. XX.

In Pathmo Noster non fuit otiosus, sed indefesso studio laboravit, & multos novos libros edidit, quibus vel ante ab se scripta confirmavit, vel adversarios refutavit, vel novos errores Pontificiorum detexit, quia in dies melius abominationes istas inspexit. Qua de re ad *Melanchthonem* ex regione avium sic scripsit: Ego hic sedens tota die faciem Ecclesiæ ante me constituo, & illud video Psalm. 38: *nunquid vane constituisti omnes filios hominum?* Deus, quam horrendum iræ Dei spectrum est, abominabile illud *Romani Antichristi regnum*: ac meam duritiam detestor, qui non totus in lachrymas resolvor, ut & ego fontibus lachrymarum flerem interfectos filios populi mei. Sed non est qui surgat & teneat Deum, aut opponat se murum pro domo Israel, in hoc die novissimo iræ ejus. O dignum regnum Papæ sine & fece seculorum. Deus misereatur nostri.

In arce scribit libros.

Tom. I. Epistol. 226. pag. 324. b.

§. XXI.

Primus forte liber est scriptus contra *Ambros. Catharinum*, Senensem Dominicanum, postea ad Episcopalem dignitatem evehctum, ex Concil. Tridenti actis satis celebrem. Cum enim Lutherus, ante iter Wormatiense per *Vincilaum Lincum*, Catharini hujus librum accepisset, eidem Linco suam *responsionem ad librum eximii illius Magistri nostri*, (ut titulus habet) *M. Ambros. Catharini, defensoris Silvestri Prieratis acerrimi, cum exposita visione Danielis VIII. de Antichristo*, inscripsit 1. die Aprilis, & talionis jure eam recipere amicum dicit, ne deinceps ejus generis portenta ad se venire curet, quum satis habeat Germania delirantium *Ecciorum, Emserorum* & infiniti vulgi *Sophistarum*. Omittit autem Lutherus in sua responsione illa de *Indulgentiis, de Lovaniensibus, de Conciliis*, & omnia illa, quæ *Catharinus* inducit pugnancia, ac fatetur ipsemet, se male de Indul-

Respondet Ambrosio Catharino.

H 2

gen-

gentiis, Papa, Rom. Ecclesia, Concil. Universitatibus, Canonibus sensisse in principio, unde & in posterioribus libellis omnia revocaverit, ut in Captivitate Babylon. & Assertionem contra Bullam. Unum igitur probandum sibi sumit, *Papam esse Antichristum*, & aggreditur capitalem illum locum, Matth. XVI. dicens, summam pri.næ omnium quæstionis esse: *an Christus I. c. Romanam Ecclesiam fecerit caput, Magistram, Principem, Dominam, primam Ecclesiarum totius orbis per illa verba: tu es Petrus &c.* ubi docet multis argumentis nihil inde concludi posse pro Romana hierarchia, quæ forte in sectione dogmat. tangentur. De Danielis VIII. ubi vivis coloribus regnum Antichristi depingitur, ibidem postea videbimus. Propter imanes abominationes Papatus omnibus, qui ejus ministri sunt, væ denunciat, & simul fidele consilium suppeditat, quomodo effugere pœnas temporales & æternas queant, his verbis: *o væ tibi Papa, væ vobis Cardinalibus, væ vobis Episcopis, væ vobis sacerdotibus, væ vobis Monachis, & toti ordini Ecclesiastico*, quis vobis monstrabit fugere à ventura & instante ira? Quid respondebitis pro officio verbi, quod subiistis & non implestis? Nunquid ille triplices coronas, pileos, infulas, annulos, aurum, purpuram, & omnes jam dictas facies acceptabit? Stat sententia fixa, non respicit in faciem hominum. Quocirca consilium Christi audiatur, qui potest, ubi docet Math. 24. *Fugiendum esse in montes, & non revertendum in domum.* Relinquat publicum qui potest, in solitudinem vadat qui liber est. Noli, noli, o homo, quisquis es, ambire Episcopatum, Canonicatum, Monachatum, aut ullum ordinem clericatus, peccatum & perditio est in omnibus, ut facies prædictæ monstrant. Aut si omnino vis aut urgeris initiari sacris, age, contemne has facies Antichristi hujus, & cura, ut Evangelio pure inservias, vel per te ipsum docendo, si gratiam habes, vel iis, qui possunt docere, assistendo, cooperando & serviendo, quales Apostolus se habuisse multos

testa-

testatur, tum orationibus puris pro fructu Evangelii instes coram Deo. Crede mihi, nisi hoc feceris, Clericatum non nisi in damnationem tuam portas, etiamsi miracula feceris, & te ipsum igni tradideris. Proprium & unicum officium est Clericatus, docere verbum, quo evacuato, non Clericus sed sola facies Clerici reliqua est, qua tamen invaluit Rex iste sanctissimus, ut penitus extinxerit Evangelium. Et cur non maledicam huic maledictioni? Dominus Jesus perdat, o idolamundi, Papatum, Cardinalatumque vestrum, cum omnibus faciebus vestris in profundum inferni in æternum, Amen.

In Epilogo ad *Lincum* scribit, se promisso in libro de *Captiv. Babylon.* dato, quod alteram quandam revocationis partem edere velit, qualem exactores Palinodiæ indomiti & inquieti Papistæ, hæctenus non audiverint, hac Danielis expositione egregie steriles, & habere hoc suo libro, quod agant homines loquaces & scribaces; quamvis speret, eo usque rem sibi perductam, ut superati sua perseverantia, solis clamoribus, fraudibus, turis, viribus, deinceps in se grassaturi sint, ut in hæreticum, qualem omnia secula non viderint. Obturatos enim eos aures suas, sicut aspis illa, quæ vocem incantantis non audit: nec hoc acturos, ut scripturis contra se pugnent, sed abolendum duntaxat de terra clamatos. Verum, inquit, scio & certus sum, Jesum Christum, Dominum nostrum vivere & regnare, qua scientia & fiducia inflatus, non timebo etiam multa millia Paparum: major est enim, qui in nobis, quam qui in mundo est. Oremus igitur, ut Deus & Pater Domini nostri J. C. aliquando nos reviset, secundum omnia mirabilia sua, & ostendat illum, quem promisit, diem adventus gloriæ Filii sui, quo destruat iniquus iste homo peccati & filius perditionis, faciatque tandem finem operationibus erroneis Sathanæ, quibus proh dolor, omni momento multa millia animarum vastantur, &

H 3 ad

ad infernum rapiuntur, propter solam servandam abominacionis & apostaticæ sedis tyrannidem. Dicat omnis populus Amen, Amen.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 370. b. - 400. a.

§. XXII.

*Rationis
Latomiana
confutatio
Lutherana.*

Succedit scriptum Nostri adversus *Latomum*, Lovaniensem Theologum, hunc præferens titulum: *Rationis Latomiana pro incendiariis Lovaniensis Scholæ Sophistis reddita, confutatio Lutherana.* De quo scripto jejune & maligne agere *Maimburgium*, observavit Seckendorffus, & refutatis Jesuitæ objectionibus, ad judicium cujusvis non plane obtusi aut malevoli provocavit, an non *Lutherus*, nullo quidem tunc alio quam S. Scripturæ libro instructus, theses suas *de impletione legis impossibili & bonis operibus*, erudite, solide & divine explicaverit, omnibusque adversariis os adeo obstruxerit, ut sine manifesta impietate aut cavillatione frigidissima nihil reponi potuerit. Fidem facere possunt illa, quæ suis locis subinde à nobis ex hac confutatione sunt adducta. *Iusto Jona* inscripsit hunc Tractatum, & in Epistola nuncupatoria dolet primum, se invitum à literis pacificis Christi, quibus se in Pathmo sua dederit, avulsam, vepricosi & senticosi Sophistæ, nugis legendis tempus impendere debere. Se intuitum horrenda ista iræ tempora, aliud non petere, quam ut dentur fontes aquarum capiti suo, ut flere possit vastationem istam novissimam animarum, quam operetur regnum istud peccati & perditionis. *Sedet*, inquit, *portentum illud Romæ* in medio Ecclesiæ, & venditat se pro Deo, adulantur Pontifices, obsequuntur Sophistæ, & nihil non pro eo faciunt hypocritæ: interim infernus dilatat animam suam, & aperit os suum absque termino, & ludit Satan in perditione animarum. Nec in nobis est, qui serio & cum lachrymis stet in die furoris, & opponat se murum pro Israel. Hinc plenus indignatione in istos sacrilegos Latomos, qui in his seriis sophisticantur, &

nos

nos meliora intermittere, & suis insanis insanis occupari cogunt invehitur & imprecatur in durissimas eorum frontes illud: *erubescant & conturbentur omnes inimici mei, convertantur & erubescant subito*, Pl. VI. Deinde petit ab amico, ut Dominum pro se roget, quo liberetur à malis & infidelibus hominibus in Babylone ista, & ostium sibi aperiatur in laudem gloriæ gratiæ Evangelii filii sui, ac vicissim asseverat orare se Dominum, ut Jonæ impartiat spiritum suum, *Decretales Antichristi pestilentissimas*, quibus docendis præfectus sit, non alio studio profiteatur, quam ut sit Aaron, & vestibus sanctis indutus, h. e. divinis scripturis munitus, apprehenso orationis thuribulo procedat in occursum vastatoris hujus in medium incendium istud Romanum, quo flagrat orbis, propediem alio incendio de cælo per adventum Salvatoris extinguendi. Monet porro eum, ut doceat dediscenda esse, quæ doceat, & sciant auditores fugienda sicut mortifera, quæcunque Papa & Papistæ statuunt ac sentiant. Cum enim, inquit, vi non possimus hoc publicum orbis malum abolere, cogamurque has sacrilegas Babylonis provincias administrare, hoc reliquum est, ut sic administremus, ut eas longe alias & patriæ Hierosolymitanæ adversarias vastatrices & insatiabilis crudelitatis hostes intelligamus, ne cum iis, qui pereunt, in quibus opertum est Evangelium gloriæ Dei captivitatem nostram rideamus & palpemus. Nec leve puta ministerium tuum, si juxta Papæ excrementa venenosa, & insanissimas insanias salutare & vivificum Evangelium Christi composueris, ut juvenus habeat antidotum adversus hoc virus, cujus odor etiam occidit hominem, donec discat per sese reprobare malum, & eligere bonum.

In præfatione Latomus Luthero objecerat, quod *verba tenus sua submisserit Papæ ab initio*. Ad quod Noster respondet, *se dolere, quod tam serio submisserit*; se enim tum ex animo nihil aliud sensit de Papa, Conciliis, Universitatibus, quam quod vulgo audiunt; & quanquam multa sibi eorum absurda

& à

& à Christo alienissima visa fuerint, ultra decennium tamen cogitationes suas refrenasse dicto Salomonis: *ne innitaris prudentia tua*, semperque existimasse, latere in Academiis Theologos, qui si impia docerentur, non silerent: crevisse autem intra causam, ut rerum cognitionem, ita & animum; cum adversarii, inscitiam & nequitiam suam immani copia revelassent, quod nisi fecissent, se in finē usq; stultum & dementatum mansurum fuisse Hinc gratias se agere Domino suo J. C. qui pro hac tentatione se centuplo temporali hujus scientiæ honoraverit, ut jam persuasissimus sit, *Papam* esse portentum illud, ultimum omnibus scripturis prædictum *Antichristum*, *Universitates vero synagogas synagogarum Satanae*, in quibus *Sophistotheologi*, Epicurei illi porci regnum regnent. Deinde immodestiam & acerbitatem à Latomo objectam sic excusat, quod nunquam exegerit, ut se quis modestum aut sanctum haberet, sed ut Evangelium omnes agnoscerent, data licentia grassandi cujusvis libidini in suam vitam. Hoc tamen in conscientia gloriari, quod nullius vitam, aut famam læserit, solum dogmata, studia & ingenia in verbum Dei impia & sacrilega, acerbius insectatum esse. In quo ut non deprecetur culpam, ita non sit sine exemplo Johannis Baptistæ, & Christi, vocantium Phariseos genimina viperarum, immodestissimo & atrocissimo maledicto, in tam doctos, sanctos, potentes & honoratos viros. Retorquet crimen immodestiæ in adversarios, & vel ex Bulla sanguinaria id liquere ait.

Sub finem confutationis dicit, neminem, vel Gregorium, vel ullum Angelum habuisse statuere aliquid in Ecclesia, quod è Scriptura probari non possit: & *Theologiam Scholasticam* esse aliud nihil, quam ignorantiam veritatis & scandalum juxta scripturas positum. Hinc suum esse consilium, *ut adolescens vi-
zet philosophiam & Theologiam Scholasticam*, ut mortem animæ suæ, cum clarum sit ex Coloss: II. 8. solum Christum doceri & audi-

audiri velle Paulum, cavendum autem, ne quis nos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, id est, Scholasticam Theologiam &c.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 400. b. -- 435. a.

§. XXIII.

Sub idem tempus, quo Latomum ad D. Jonam extrusit, *Epistola Libri de las & Evangelia enarrare lingua vernacula coepit, sive Postilla Ecclesiastica* fecit, quem librum ipse omnium vocat, quos unquam scripsit, optimum & quem etiam Pontificiis non ingratum esse dixit, licet eorum errores quacunque data occasione attigerit & refutaverit. Composuit etiam *Explicationem in Ps. 36. & 68. & perfecit Magnificat.* Sed quia de his aliisque id genus scriptis, ex instituto Pontificiis haud oppositis, hic non est nobis sermo, ad alia progredimur.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 414. b. L. I. Epist. 231. 233. 234. L. II. p. 38. b. 39. ff. Tom. III. Alt. pag. 759. Tom. I. Alt. p. 741. -- 782.

§. XXIV.

Huc igitur pertinet libellus Germanicus de *Confessione*, *Libellus* Francisco de Sickingen inscriptus, in quo ex instituto hanc quaestionem pertractat: *an Pontifex potestatem habeat confessionem imperandi?* Ex quo aliquam multa Loc. XVIII. Part. I. §. X. p. 665. ff. sunt adducta. Antevertit hunc sermonem sive librum de *Confessione Oecolampadius*, edito libro de *Confessionis facilitate*, satis libero, ut Noster judicat in *Epistola ad Melanchthonem* data Dom. Trinit. & qui futurus sit Antichristo suisque militibus nova vexatio. In alia *Epistola ad Spalatinum* scribit, se mirari *Oecolampadii spiritum*, non tam, quod in idem secum argumentum inciderit, quam quod tam liber, confidens & Christianus sit. *Lutherus* tamen liberiore spiritu scripsit, non liber, sed in arce detentus, & vehementissime in abusus, qui partim dominatu, partim negligentia & pravis moribus *Episcoporum* irrepsere, detonavit, & monstravit, quod nihil effecerint

rint omnibus istis de Confessione legibus & conscientiae torturis, ad fidem populi augendam & vitam corrigendam, sed stulta saltem opinione homines imbuerint, ac si confessione privata, & quae eam sequuntur, satisfactionibus à Clero impositis omnia crimina expiarentur; quae interim millies & publice repetebantur. Econtra vero salutarem confessionis modum ex Matth. XVIII. 20. si. ostendit. Edidit quoque praefationem in Evangelium de 10. leprosis, in qua mentio fit numi, quem confessio auricularis large auxit. Ibi ad Haugoldum de Einsidel, Johannem de Dolzek, & Bernhardum de Hirschfeld scribit, se magnum excitasse incendium, & crumenam Pontificiam rupisse, quod de confessione scripisset: indeque se in magno versari periculo mortis, quam tamen non timeat, quaeque nondum immineat. Per conscientiam tamen aliter se facere non posse, quin quemque moneat, qui salvus fieri cupiat, ut sibi caveat à Papa, Cardinalibus, Episcopis & Monachis, cum Universitatibus & doctrinis hominum, sed pro diaboli Apostolis ac lupis certo eos habeat, qui Evangelium non pure & sincere docuerint. Confessionem Auricularem dicit esse figmentum hominum, secretorum noscendorum & numerorum acquirendorum causa inventum, & summum articulum fidei Pontificiae, cum ventrem alat & aures carnemque ad pruritus excitet.

Tom. 1. Alt. pag. 783. --- 805. & 845. f. L. 1. Epist. 231. 233. Conf. Seckendorf. p. 163.

§. XXV.

Apologia Cum d. XV. April. prodisset *Determinatio Theologiae Fa-*
Melancht. *cultatis Parisiensis super doctrina Lutherana*, haecenus per eam
pro D. Lu- *visa*, Philippus Melanchthon *Apologiam pro Lutherò adversus*
thero contra *furiosum hoc Parisiensium Theologastrorum Decretum* edidit,
Decret Pa- quam Lutherus se vidisse & gavisum esse scribit ex corde in
ris. quam Epist. ad *Spalatinum*, eamque una cum Decreto in vernacu-
Lutherus lum sermonem transtulit, addita praefatione brevi & postfa-
Germanice *tionem*

tionem prolixiori, in qua inter alia dicit, se mirari satis non posse, reddidit & quod Theologi inter tot Articulos ne verbulo quidem mentionem fecerint Papatus, cum tamen hoc caput tanquam præcipuum *Silvester, Eccius, Rhadinus, Catharinus, Colonienses, Lovanienses,* & duo papyroperdæ (*Papierschänder*) Lipsiæ, una cum omnibus Pontificiis, acerrime propugnaverint. Et quia parum credibile sit, quod vel ex oblivione, vel ignorantia id fecerint, cum in scriptis suis, inpr. de *Captivitate Babylon. & Resolut.* Propos. 13. non pauca de eo habeat Lutherus, inde judicat, Parisienses hunc ipsum articulum de Papatu similiter damnasse, cum viderint mundum super eo concitari, non quidem studio veritatis sed ultionis, dum recordentur adhuc *Appellationis* suæ à Papa, ad Concilium A. 1517. factæ, quam vindicare in Papa hac ratione cupiant. An in Pathmo Lutherus ita scripserit, an jam liberatus, non exploratum satis habeo; in priorem tamen sententiam libentius concedo. Prodiit etiam *ludus Lutheri à stolidi & sacrilegi Sorbona damnati.* Determinatio 11. *almae facultatis Theol. Paris.* super *Apologiam à Phil. Melancht. pro Luthero scriptam.* Est censura ludicra & jocosa, & incertum, an ab ipso Luthero, vel alio composita sit, stylo scholastico, ut risum lectoribus moveat.

Tom. 11. Jen. Lat. fol. 443. -- 462. Tom. 1. Alt. p. 825. --- 836. Conf. Seckend. f. 185.

§. XXVI.

Mota quoque est circa hoc tempus disputatio Wittembergæ inter Doctores de Conjugio Clericorum, quum *Bartholomæus Bernardi,* Pastor Kembergensis, haud procul Wittembergæ, Ecclesiæ suæ consensu uxorem duxisset, qui *Apologiam ad officiales Diœcesanos Magdeburgensis Episcopatus,* & *Fridericum Saxonix Ducem,* stylum moderante Melanchthone, hoc nomine edidit. Quod Lutherus in Epistola ad Melanchthonem non improbavit quidem, nondum tamen sibi persuadere amicos af-

firmavit: idem esse de Sacerdotum & Monachorum voto statuendum, propterea quod Sacerdotum ordo à Deo institutus sit liber, non autem Monachorum, qui sua sponte statum elegerint, & Deo obtulerint: quanquam eos qui ante annos pubertatis, vel intra sint, & hās fauces ingressi, sine scrupulo exire posse, pene definiat. *Caroloſtadii* tamen argumenta nondum sufficere, nec clara satis esse dicit. Misit etiam ex eremo *Episcopis & Diaconis Ecclesia Wittembergenſis, de voto Religionum disputantibus*, theses 139. quas sic disputari voluit, ut certæ & veræ teneantur. Eis subjunxit alias 141. super quaestione, *an liceat perpetuum votum vovere?* quas *pro disputandis & inquirendis haberi* voluit, quibusque annus 1522. præfixus est, forte quia eodem editæ sunt, Philippi autem iudicio detulit, an edendæ sint? Clarius vero validiusque sententiam suam expressit Noster in *Judicio de votis Monasticis*, sub finem Anni 1521. scripto, & ex eremo ad Patrem d. XXI. Novembris misso, ubi multis gravibus argumentis probat, vota monastica non nisi verbo Dei, sed potius adversari ei, ut & fidei, libertati Evangelicæ, præceptis Dei, charitati & rationi. Ex quibus tandem concludit, vota Pontificia, quocumque casu, animo & tempore emissa, cum tota fiducia deserenda esse, & ad libertatem fidei Christianæ redeundum. Hæcque se pro tempore protulisse, plura dicturū, si quis ea impetierit; quanquam sic arbitretur omnia Scripturis & rationibus munita, ut non solum possint adversariorum os oppilare, sed etiam conscientias fideliter erga Deum erigere, & securas facere: quod posterius maxime spectaverit. Nam, ut hæc (inquit) pugnent & triumphent adversus Papam & suas Synagogas, infinitum illud Academiarum, Monasteriorum, Collegiorum vulgus, non magnopere gaudeo. Quid enim ad nos, quid sapiat perditum hoc Papæ & pejorum Turcarum regnum, quod jam dudum contempſi. Nobis hoc curæ est, ut conscientias roboremus adversus Satanam in hora mortis, & securas red-

damus

damus ante Filium hominis. Insaniant homines utur volunt, in morte saltem nos relinquent sive victi sive victores. At coram Satana & iudicio Dei quis subsistet, nisi certissimis & evidentissimis verbis Dei munitus, steterit supra petram & custodiam suam, auditurus quid contradicatur ei, qui possit dicere Deo sine hæsitatione & trepidatione cordis: hæc tu dixisti, quia mentiri non potes. Unde & ego per Christum oro, omnes qui meo voluerint hoc consilio uti, & deserta monastice libertati sese reddere, ut ante omnia conscientiam suam probent, ne forte hoc tentent novitate rei allekti, aut solo hominum contemptu vel odio. Nam si in morte suscitata & vexata per Satanam conscientia de Apostasia, de soluto voto &c. non subsistent, sed ad sacrilegam pœnitentiam spectabunt, sientque novissima peiora prioribus. Opus est enim hic solis verbis Dei puris fortiter inniti, & ne iudicio quidem Dei cedere, cum sciamus, veracem eum esse, sese negare non posse. Verba autem, quæ huc valeant, ea sunt, quæ supra posuimus, in quibus solis Christus nobis lux & dux præficitur, & quidquid est ab hominibus inventum, damnatur. Subjungit duo dicta, 1. Pet. II. 16. *quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitia, libertatem, sed sicut servi Dei,* & Gal. V. 13. *in libertatem vocati estis, tantum &c.* Unde liquet, Lutherum nequaquam ostium ad vitam dissolutam aperuisse iis, qui amissæ libertatis desiderio angebantur, quaque effectum sit, ut brevi tempore monasteria utriusque sexus in magna Germaniæ parte deserta fuerint, ceu *Maimburgius* aliique calumniati sunt. Vid. *Seckendorf.* f. 173. & infra in Loc. de Conjug.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 525. -- 531. Tom. II. Jen. Lat. fol. 540. -- 544. L. I. Epist. 238.

§. XXVII.

Tractatum quoque *de abroganda Missa privata ad Fratres Augustiniensis Cœnobii Wittenbergensis* die omnium Sanctorum *de abroganda Missa privata* sive *privata.*

five Calend. Novembr. misit, cum significatum ei esset & literis & verbis amicorum, cœpisse istos fratres primos omnium in sua congregatione, abusum illum Missarum abrogasse. Quod factum quidem se non absque gaudio ingenti audivisse testatur, ut qui hoc argumento cognoverit, non esse verbum Christi in eis otiosum; sollicitari se tamen mixto timore, ne forte non omnes pari & constantia & libera conscientia arduam rem tentent. Insuper eos pessime audituros, ut qui omnia, tam pauci, divina & humana ausi sint innovare: cum magnum certe sit, tot seculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui, tantorumque auctoritati reluctari, & eorum murmura, opprobria, judicia surdis auribus præterire, & quandam invictam scyllam, his latratibus, procellis, ventis, non aliquando quieturis objectare. Si fratres super firmam petram ædificati sint, frustra flatuos hos ventos; at si supra arenam stent, magnam ipsis impendere ruinam. Se quotidie in se ipso experiri, quam difficile sit conscientiam longo impietatis usu vexatam, ad sanam pietatis scientiam revocare & infirmitatem ejus sanare. Quot, inquit, rogo, medicamentis, quam robusta resina Galaad, quam potentibus & evidentibus Scripturis meam ipsius conscientiam vix dum stabilivi, ut auderem unus contradicere Papæ, & credere eum esse Antichristum, Episcopos esse ejus Apostolos, Academies esse ejus lupanaria: Quoties mihi palpitavit tremulum cor, & reprehendens objecit eorum fortissimum & unicum argumentum: Tu solus sapias? Totne errant universi? Tanta secula ignoraverunt? Quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter? Et tandem me confirmavit verbis suis certis & fidelibus Christus, ut jam nec tremat nec palpet, sed insultet cor meum his papisticis argumentis, non aliter atque tutissimum littus minaces & tumidas procellas ridet. Hoc consilium sibi fuisse subdit, ut epistola confirmaret & consolaretur fratres, qui forte adhuc infirmi inter eos impetum terrentis ad-

versa.

versarii & trepidantis conscientiaē ferre nequeant. Ea enim certitudine & fiducia tentandum esse, quod praestituerint, ut non modo totius mundi iudicia, pro foliis levibus & summis aristis habeant, sed & armati sint in morte, adversus portas inferni, quia etiam adversus iudicium tentantis Dei pugnare, & cum Jacob contra Deum prevalere. Mundi enim voces oclusis auribus utcumque etiam infirmos contemnere posse. At conscientiam quis occludet, ne Satanam, ne iudicium Dei sentiat? Mundus nos insanos & improbestantum sonabit, non faciet. At conscientia infinitis modis damnatos faciet, nisi verbo Dei certo, potenti & salutaris fuerit undique munita, hoc est, supra Petram aedificata. Haec est illa certitudo infallibilis, quam quaerimus. Pergemus itaque in Missas istas privatas singularem Tractatum edere, profuturum & aliis, qui volent. Video enim ea, *qua antea scripsi*, resistentibus idolorum Episcopis, *non satis movere*, ut toties repetendum erigendumque sit verbum veritatis, quoties illi papyri carnifices damnant & opprimunt. Suanmam & nervum argumentorum, quibus usus est Lutherus in oppugnanda expugnandaque Missa privata, in Loco de *Missâ* retulimus §. II. & III.

Nunc id solum monere denuo visum est hoc loco hacque occasione, quod pessime & calumniosissime agant Pontificii, quando toties à Nostis explosi non erubescunt eandem crambem putidissimam semper recoquere, & nugari, Lutherum ex disputatione cum diabolo didicisse abusum Missae. Verum ex ipsis Megalandri verbis adductis apparet, quod varie tentatus fuerit, donec omnia dubia superaverit, ac Christus tandem eum suis verbis certis & fidelibus confirmaverit. Erudite, praeter alios, ostendit *Seckendorffius* in *Hist. Luther.* p. 166. seqq. & in dissertatione historica atque apologetica adversus Tractatum Abbatis cujusdam Gallicani, *Cordemoji*, quam *D. Sagittarius* edidit, fraudis praesidia quaesivisse hostes ex versione Latina, in
qua

qua

qua ab interprete *Jonas* ex festinatione omissa sint verba, *in corde meo*, & subjecta mox parenthesis: *der Teuffel sieng mit mir in meinem Herzen eine solche disputation an (wie er mir dann manche Nacht bitter und sauer genug machen kan)* &c. Potuisse tamen Abbatem, si ingenuus esse voluisset, vel ex fine narrationis, quam *Jonas* exhibuit, discere tentationis rationem & victoriam Lutheri, dum ita scribit: *Satan in ictu oculi repente totam mentem terroribus & tenebris obruit, & si nihil quam hominem inermem & verbo non instructum invenit, quasi digitulo totum evertit* &c.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 465. b. 466. seqq.

§. XXVIII.

*Minaces
Lutheri li-
tera ad Ar-
chiepiscop.
Mogunt.*

Quantum creverit animi bonæque causæ fiducia Lutherus in Pathmo, inter alia quoque hinc colligi potest, quando (e) ad *Albertum* Magdeburgensem & Moguntinum Archiepiscopum, duras non nihil sed Christianas literas dedit, propter novas indulgentiarum nundinationes Halis Saxonice post Tezelii obitum institutas, & Pastorem uxoratum carceri mancipatum: in quibus *Alberto* in memoriam revocat, quod semel iterumque satis modeste ad ipsum scripserit, & abrogari petierit illud indulgentiarum idolum, sed responsum acceperit durum, parum Episcopale aut Christianum; tametsi vero nihil effecerit suis prioribus monitis, non tamen cessare se vel tertia vice hortari sermone vernaculo, nec curare portas inferorum, nedum indoctos *Papas, Cardinales & Episcopos*. Rogat igitur, ne se lupum demonstret *Albertus*, sed recogitet, quantum incendium excitaverit parva scintilla contempta, cum totus mundus securus esset, existimaretve unum homuncionem Papa infinitis modis inferiorem, impossibilia conari; Deum tamen satis negotii creasse Pontifici, cum asseclis, ac contra superque orbis opinionem eorem deduxisse, ut Papa vix restitui queat. Eundem Deum adhuc vivere, ac artem novisse, quomodo Cardi-
nali

nali Moguntino resisti queat, licet multi Imperatores pro ejus partibus starent: ac in primis delectari fractione cedrorum sublimium & induratorum Pharaonum humiliatione. Hunc igitur netentet Albertus, rogat, ac ne cogitet, Lutherum esse mortuum; eum quippe Deo suo, qui Papam humiliarit, fretum, ejusmodi lusum cum Cardinale lusurum, qualem pauci persuadere sibi potuerint. Spiritum enim illum Lutheri ne quidem omnes Episcopos conjunctos repressuros, sed infamiam ex resistantia forte reportaturos. Minatur igitur, ni ab ista indulgentiarum prædicatione & pastorum conjugatorum persecutione, esset Archiepiscopus se pro doctrina divina & salute Christiana urgeri, ut eum pariratione adoriatur, sicut Papam aggressus sit, & toti mundo ostendat, quale discrimen sit inter lupum & Episcopum. Audet denique ab eo postulare, ut intra dies quatuordecim respondeat, an sua petita admittere velit.

Antequam vero *Lutherus* epistolam hanc ad Albertum *et libellus* dedisset, adversus idolum Hallense (sic indulgentiarum præcon- *contra Ido-* nium vocat) reprehensionem publicam in Cardinalem Mogun- *lum Hallen-* tinum scripserat, (f) verum ejus editio prohibita fuit ab aula, ut *se.* *Spalatinus* Luthero significavit, cui *Lutherus* ita respondit: *primum non feram, quod ais, non passurum Principem, scribi in Moguntinum; nec quod publicam pacem perturbare possit: potius te & ipsum Principem perdam & omnem creaturam. Si enim creatori ejus Papæ restiti, cur cedam ejus creaturæ. Pulchre vero, non turbendam pacem publicam, arbitraris: & turbendam pacem æternam Dei, per impias illius & sacrilegas perditionis operationes patieris. Non sic Spalatine, non sic Princeps; sed pro ovibus Christi resistendum est summis viribus lupo isti gravissimo, ad exemplum aliorum. Proinde mitto libellum in eum jam paratum, cum venissent literæ tuæ: quibus nihil motus sum, ut aliquid mutarem: quanquam sub Philippi calculum*

lum projeceram, ut ille mutaret, quod videretur. Tu ergo cave, ne librum Philippo non reddas, aut dissuadeas: fixum est, te non auditum iri. Quod vero male audire nos cum nostris cogimur, vel ab adversariis, vel nimio civiliter prudentibus in re divina, nihil debuisti moveri: cum scias Christum & Apostolum non placuisse hominibus. Neque enim adhuc audio, nostros aliquo flagitio accusari, sed tantum contemptu impietatis, & perditarum doctrinarum: quanquam juveniles isti motus non placeant, qui Antonii legatum male acceperunt: sed quis omnibus, omni loco & tempore frenum injiciat? An illi nihil unquam designant mali? Et discipuli tulerunt Judæ Ischariotis opprobrium: & quotidie in communitatibus feruntur mali: soli nos sumus, à quibus exigitur, ne canis muriat. Obsecro, ne speres, nos Apologias singulis reddere, quibus displicebit Wittenberga: quid enim impossibilius? Non ruet ideo Evangelium, si aliqui nostrum peccant in modestiam: qui autem alienantur à verbo, hac causa, non verbo, sed gloriae verbi adhæserunt. Qui verbo adhæret propter verbum, portis inferi avellentibus, non avellitur ab eo: qui alienatur, alienetur. Cur non spectat nostra meliora & firmiora? cur spectat pejora & infirmiora? Nunquid Philippus & sui accusantur hoc crimine? Cur ergo totos damnat ob partem? Minus peccatum est impium prædicatorem exhibuisse, quam doctrinam ejus fideliter accepisse: hoc peccatum laudatur, istud irremissibile jactatur. Et hos judices, has æquitates tu formidas, ut ruiturum Evangelium putes ob hos fumos.

Alberti Responsio ad Lutherum.

Albertus (g) ad duras literas Lutheri lenissime respondet, se illas in bonam partem accepisse, ac sperare causas, propter quas Lutherus scripserit, jam cessasse: nec recusare se Christianam & fraternam Lutheri admonitionem, eique propter Christum optime velle. Promittit denique se officio pii & Ecclesiastici Principis functurum esse. Ut ita responderet Moguntinus,

suasor

suasor moderatorque styli fuit *Wolfgangus Fabritius Capito*, cum es Capito-
nis epistola
fucata, cu-
jus fucum
mascule de-
regit Luth. temporis Archiepiscopo à consiliis & concionibus, adjecit ta-
men ipse aliam epistolam, qua *Luthero* significabat, ea lenita-
te usum esse Archiepiscopum, ut *Lutherus* posthac ab infecta-
tione ejus aliorumque prælatorum abstineret, & Cardinalem
tutiorum commodiorumque modum promovendi Evangelii in-
tendere.

Sed *Lutherus* sub initium anni sequentis *Capitoni* graviter
prolixa Epistola respondit, qua *intempestivam Rhetoricam* ei
exprobrat, & hypocrisin Cardinalis detegit, quod juvandarum
Evangelii partium diversam inierit rationem, cum necesse sit
ministerium Spiritus sibi ipsi quam minime pugnare. *Capit-*
onem quoque castigat, quod putet, Evangelium tunc maxime
promoveri, si Principibus parcatur, conniveatur, eorum facta
excusentur. Hanc rationem vocat pulchram adulationem &
veritatis Christianæ abnegationem, imo ipsissimam *περὸν ἁγίων*
ἄλων, quam Scripturæ sic detestentur, ut nil vehementius. Ex-
cusat etiam se, quod sua mordacitate plurimi offendantur, pro-
posito Christi ejusque Spiritus exemplo, qui arguat totum mun-
dum, non blandiatur. Igitur omnia prorsus esse reprehenden-
da, arguenda, confundenda, nihil parcendum, nihil conniven-
dum, nihil excusandum, ut medio stet campo libera & aperta &
pura veritas. Ac aliud esse eos, quos corripueris, summa man-
fuetudine suscipere, tolerare, juvare, quod ad charitatem per-
tinet, non ad ministerium verbi; Christum enim, cum acerrime
omnes argueret, tamen optare, gallinam illis esse, & sub alas il-
los colligere: fidem vero seu verbum nihil prorsus sustinere, sed
arguere, devorare, evellere, destruere, dissipare, & maledictum
eum esse, qui opus Domini fraudulenter faciat. Primum
enim dicendum, quid rectum & non rectum sit, deinde ubi id
auditor susceperit, eum tolerandum & suscipiendum esse. At
iis, qui doctrinam veram & verbi ministerium vel damnent, vel

contemnant, vel subdole persequantur, nullam gratiam, nullam charitatem, nullam benignitatem deberi. Ad extremum his verbis & cordate & pie Capitonem redarguit: Obsecro te, mi Fabrici, cum exigas Lutherum, ut ad omnia vestra conniveat, solus literis blandiusculis palpatus, cum sint tam infanda, quæ vos vultis, & non estis contenti, quod parati sumus per charitatem ignoscere & tolerare: cum exoptulatis, ut justificemur quoque, hoc est, & ipsam doctrinam abnegemus per impietatem; satis, & plusquam satis tentatis me, optime Fabrici, & ego satis, plusquam satis benigniter respondeo vobis, vides enim quanto accetbiorem responsum merueritis, qui non modo non facitis, quod postulabam, sed illuditis & irridetis fucis, sicuti vobis videtur, egregiis, sed sicut ego video, ridiculis & ineptis, sed tamen ne nihil impetrent, vim faciam mihi, ultra modum, & non exigam, ut publice recantetis mihi malum vestrum: vos videritis, ut Christo super illo responderitis. Tacebo & contentus ero, si nihil deinceps similis Tyrannidis tentaveritis, & doctrinam pietatis liberam esse permiseritis. Si vos non vultis simplicem Christum confiteri & sequi, sequimini vestra, & vobis saltem facecite negotia. Alioqui ministerii nostri frena laxabimus, & doctrinam pietatis tuebimur, quantis viribus possumus, offendatur sive cælum, sive terra, sive Tartarus. Habes itaque Lutherum, sicuti semper habuisti, obsequentissimum mancipium, si verbo pietatis amicus fueris, rursus egregium contemptorem, si perrexeris cum tuo Cardinali ludere in re sacra. Summa esto, charitas nostra pro vobis mori parata est, fides vero si tangitur, tangitur pupilla oculi nostri. Charitatem expositam, habetote omnibus sive ludibriis, sive honoribus, fidem & verbum adorari à vobis volumus, & sanctum sanctorum haberi. De charitate nostra, nihil non præsumite. Fidem vero nostram nunquam non timete. Cardinali tuo non respondebo, quod medium iter non tutus potero
ince-

incedere, neque laudare, neque vituperare sive sinceritatem sive hypocrisim. Ex te autem intelliget Lutheri spiritum. Ego ubi de sinceritate sua certior factus fuero, non differam me totum profunderere & effunderere ad pedes ejus.

Non possum mihi temperare, quin judicium *Seckendorffii* p. 176. a. subjiciam. *Tantum*, inquit, animum in homine omni fere praesidio (nam infidum & debile erat, quod ab aula Saxonica praestabatur) destituito, nullumque commodum aut honorem spectante aut sperante, sed solius conscientiae fiduciae innitente, nisi divinitus concessus fuisset, inveniri impossibile est. Quid potuisset vehementius aut imperiosius scribere tantae dignitatis & potentiae Praesuli, si legatione Pontificia instructus, & Caesaris omniumque Regum exercitibus comitatus, ad reformationem instituendam missus fuisset?

(e) *Tom. 1. Alt. p. 925. f.* (f) *L. 1. Epist. 251.* (g) *T. 1. Alt. p. 927. f. L. 11. Epist. p. 37. f.*

§. XXIX.

Inter praecipua scripta à viro entheo in Pathmo concinna. *Versio Germ. .*
ra, merito numeranda est *translatio Scripturae S. in linguam Ger. Novi Test.*
manicam, cui labori magna diligentia incubuit, postquam ad-
 versus Ecclesiam Pontificiam insurrexit; quia haud abs re judi-
 cabat, instituto suo in erroribus Papalibus detegendis & refu-
 tandis nihil magis proficuum fore, quam ejusmodi versionem
 Bibliorum in linguam popularem. Emunctioris etiam nasi
 Pontificii, id quoque vel odorati sunt, vel senserunt, quemad-
 modum ex *Cochleao* constat, qui *in Actis Lutheri* prodidit, mul-
 tiplicato per Calcographos Lutheri Novo Testamento, etiam
 futores & mulieres, & quoslibet idiotas, avidissime illud legis-
 se & saepe legendo memoriae commendasse, tantamque, intra
 paucos menses, doctrinam sibi arrogasse, ut non solum cum
 Laicis partis Catholicæ, verum etiam cum Sacerdotibus &
 Monachis, atque adeo etiam cum Magistris & S. Theologiae

Doctoribus disputare de fide & Evangelio non erubescerent, eis insultarent, ac ignorantiam Scripturarum ipsis objicerent. Totum autem Novum Testamentum Lutherus in Pathmo vertit, quod postea Wittembergam repetens elimavit cum Philippo Melanchthone.

Vid. L. I. Epist. 204. L. II. Ep. p. 45. b. & p. 55. b. Conf. Seckendorf. p. 203. seq. qui P. Maimburgii calumnias recoctas refutavit.

§. XXX.

*Lutherus
in eremone-
gotiosissimus
fuit.*

*in venatione
theologisa-
tus.*

Ita toto illo tempore, quo latuit Lutherus Warteburgi, studiis incubuit, & scriptis egregiis Ecclesiam puriorem ædificavit, Pontificiam autem oppugnavit, ejusque fœditatem in lucem protraxit. *Ego hic (scribebat ad Spalatino ex Pathmo d. 10. Jun. A. 1521.) otiosissimus & negotiosissimus sum: Hebraica & Græca disco, & sine intermissione scribo.* Theologifabatur quoque inter retia & canes, quemadmodum Spalatino festo assumptionis Marianæ significavit his verbis: *fui proxima feria secunda in venatione* duobus diebus, visurus voluptatem illam heroum *γλυκύπικρον*; cepimus duos lepores, & aliquot perdiculas miseras: dignam profecto occupationem hominum otiosorum: theologifabar etiam ibi inter retia & canes. Ac quantum voluptatis attulit species illa rerum: tantum misericordiæ & doloris miscuit mysterium. Quid enim ista imago, nisi diabolus significat per insidias suas & impios magistros canes suos, scilicet Episcopos & Theologos venantes innoxias istas bestiolas? nimis præsenferat mysterium hoc tristissimum de animabus simplicibus & fidelibus. Accessit & atrocius mysterium, cum mea opera lepusculum servassemus vivum, & intra manicam tunicæ meæ involvissem, ac paululum discessissem: interim canes inventum miserum leporem per tunicam fracto ejus crure dextro, & suffocato gutture extinxerunt. Scilicet, sic sævit Papa & Satan, ut servatas etiam animas perdat, nihil moratus meam operam. Denique satur sum ejus venationis: dulciorem

rem arbitror, qua jaculis & sagittis, ursi, lupi, apri, vulpes & id genus magistrorum impiorum confodiuntur. Solatur tamen me, quod proximum salutis est mysterium, lepores & innoxias bestias ab homine capi, quam ab urfis, lupis, & rapacibus accipitribus, & similibus Episcopis & theologis: quod hic ad infernum, illic ad cœlum devorari significantur.

Lat. l. Epist. 233. & 241.

§. XXXI.

Tandem vero non tam pertaxus eremi, quam turbis Wittembergæ à Carolo studio & sociis ejus motis excitatus & coactus, Wittembergam rediit, & epistola (h) ad *Fridericum Electorem* scripta reditum excusat, adductis variis causis urgentibus: I. quod vocatus sit literis Ecclesiæ & populi Wittembergensis, idque precibus ac sollicitationibus multis. Cum igitur negari minime possit, quod per se *emendatio doctrinæ religionis* in ea Ecclesia cœpta sit, & fateri ipse cogatur, se prope addictum & debitum ministrum illius Ecclesiæ, ad quam se Deus vocaverit, non potuisse ullo pacto de se recusare, quin accurreret, nisi Christianæ charitatis fidelitati & operi renunciare vellet. II. Quod cum *Satanas* ibidem se absente in gregem suum irruerit, ac tantum excitaverit turbarum, ut sibi scriptis duntaxat tumultus istos reprimere, non sit integrum; nullius moræ spatium sua conscientia ferre potuerit, nec solum Electoris vel offensionem vel benevolentiam, sed etiam totius mundi vel odium, vel furores, tantæ Ecclesiæ necessitati posthabendam duxerit, & paratus sit vitam etiam pro grege profunderè. III. Quod admodum vereatur, ne qua magna & horribilis seditio in Germania oriatur, qua natio germanica graves pœnas det contentus & ingratitude beneficiorum Dei, quæ carnaliter plerique accipiant, apertis oculis veritatem cernant, nec tamen ea, ceu par est, utantur: quibus facem admoveant illi, quos sua moderatione hanc tempestatem sedare oportet, cum mani-

*Redit Luth.
Wittemb.
reditumque
excusat.*

festi

festa vi & immanitate aggrediantur ad lumen divinitus accensum extinguendum, nec sentiant animos hominum hac amentia magis magisque exacerbari, & ad concitandam seditionem quasi classicum cani. Deum ergo aliquando idem facturum, quod fecit Hierosolymæ, cum & Ecclesiasticam & politicam gubernationem, persecutione Evangelii & aliis furoribus ab ipsis conturbatam, funditus evertit; utramque enim, spiritua-lem & civilem potestatem cedere Evangelio oportere, sive cum bona sive cum mala gratia. Cum autem Deus postulet per Ezechielem, ut ipsi opponamus nos tanquam murum pro populo, ideoque & se necessarium esse duxisse hac de re cum suis communi consilio & studio, docendo, monendo, hortando omnia agere, quæ possit ac debeat, ut iram Dei aut avertat, aut aliquamdiu differat. Sperare enim se & confidere, Dominum suum Christum potentiorum fore inimicis, seque contra eorum furores defensurum, cum vellet.

In alia Epistola (i) ad eundem ex itinere in oppido Borna, haud procul Lipsia, die cinerum data, scripsit sola fiducia causæ suæ erectum se vivere, & nisi id jam sciret Elector, expresse ei denunciatum à se velle. Evangelium suum non ab hominibus, sed solum ex cælo à J. C. Domino nostro se habere; ideo se servum Christi & Evangelistam, & in posterum hoc nomine usurum esse. Obtulisse se quidem aliquoties aliorum cognitioni & iudicio, non tamen ex dubitatione, sed superflua humilitate, ut alios alliceret. Nunc, cum cernat eam modestiam in detrimentum Evangelii a Diabolo verti, nolle se amplius cedere, satis se fecisse in gratiam Principis superiore anno, non ex metu Wormatiam se intrasse, innumeros diabolos non formidantem. Jam vero Duce[m] Georgium ne uni quidem Diabolo parem esse; cumque Pater misericordiæ infinitæ nos fecerit per Evangelium hilares Dominos super omnes diabolos & mortem, nobisque dederit amplam fiduciam, ut ipsum Patrem charissimum compellare debeamus, facile cogitari posse, hoc cessurum Patri cœlesti in
 igno-

ignominiam, si confidere ei nolimus, quod etiam Domini simus super omnes duces Georgios eorundemque iram. Eo proinde se animo esse, ut Lipsiam quoque intraturus esset, si eodem urbs illa, quo Wittembergae, statum foret, licet novem diebus, nil nisi Georgios Duces plueret, quorum singuli eum novies saevitia superarent: illum pro stramineo homunculo reputasse Christum Dominum suum, seque ac Dominum suum aliquamdiu tolerasse, imo & pro eo saepius cum lachrymis orasse, & adhuc semel orare, ut illuminetur, atque ut idem faciat Elector, se rogare, ut imminens Dei iudicium ab eo avertatur. Se uno verbo repente Georgium occisurum, si sic confecta res foret. Haec cum in finem scripta subjicit Electori, ut sciat, se sub protectione longe potentiori, quam Electorali, Wittembergam ire, nec petere ejus tutelam, quin imo confidere, se magis protecturum Electorem, quam ut ab eo protegi queat, ac si sciret Ducem se protegere & velle & posse, nolle se venire. Ad hanc causam non opus esse gladio, Deum absque ullo hominum auxilio illam esse curaturum. Unde eum qui plus credat, plus protegere posse; cumque videat Electorem infirma fide adhuc esse, se nullo modo eum pro defensore habere posse: nec velle Deum, ut humana praesidia quaerantur. Frustra ergo Electorem pro se sollicitum & coram Deo excusatum esse, si obsequi illi nolit, si-ve ipse (Lutherus) capiat aut occidatur. Coram hominibus autem ita agendum esse Duci, ut Caesari obsequatur, eumque in corpora & opes ditionis suae grassari sinat: neque tamen Caesarem postulare ab Electore posse, ut munus carnificis contra se exercent. Si vero id petat, tum se illa sum securumque praestitutum Electorem corpore, anima & bonis, in hac sua causa. Alium enim esse virum quam Ducem Georgium, quo cum sibi res sit, quem optime norit, cuique cognitus sit. Si id crederet Elector, eum gloriam Dei visurum; sed quia nondum credat, nihil adhuc vidisse.

L

Has

Has literas animum in Deo fretum & audacem prodentes, sapientissimus Elector clementer accepit, & D. Schurfio, Consiliario suo, mandavit, ut cum Luthero ageret de literis ad se scribendis, quibus causas, cur Wittembergam redierit, exponeret, ac fateretur, se inscio & non iubente Electore rediisse; quo eas cum magnatibus & amicis communicare posset. Quod Lutherus promte fecit, scripta Epistola in eum sensum, cujus summam primo retulimus.

(h) Tom. II. Jen. Lat. fol. 544. b. 545. a. b. L. II. Epist. pag. 46. ff.

(i) Tom. II. Alt. p. 91. seq.

§. XXXII.

Wittemb.
sedat popu-
lum a Caro-
lostadio tur-
barum.

Wittembergam ubi venit *Lutherus*, prima ei cura fuit, populum à *Carolo stadio* varie turbatum, ex non recte intellecta libertate Christiana, per ejectas vi imagines ex templis, & ceremonias ordinationesque intempestive abrogatas, recte informare, quod septem (k) diebus continuis, à *Dominica Invocavit* usque ad *Dom. Reminiscere*, fecit. Sermionum VII. habiturum summam, compendii gratia, ex Epistolis ad (l) *Nicol. Hausmannum*, Pastorem Ecclesiæ apud *Cygneam*, feria II. post *Reminiscere*, & *Casparum Guttelium*, *Islebiensis* *Conventus* *Priorem*, *Dom. Lætare* scriptis, cernere licet. In priori monuit amicum, ut quia novi Prophetæ exorti sint, qui monstra parturiant, nil quicquam sinat novari communi decreto aut impetu. *Verbo solo*, inquit, *impugnanda sunt*, verbo prosternenda sunt, verbo delenda sunt, quæ nostri (*Wittembergæ*) vi & impetu tentaverunt: Sic impulit eos *Satanas*. *Damno Missas pro sacrificiis & bonis operibus haberi*, sed nolo manum apponere, aut vi arcere nolentes vel incredulos. Verbo solo *damno*, qui credit, credat & sequatur: qui non credit, non credat & dimitatur. Non enim ad fidem & ad ea quæ fidei sunt, ullus cogendus est, sed verbo trahendus, ut volenter credens sponte veniat. *Damno imagines*, sed verbo, non ut exurantur, sed ne fiducia

ducia in illis ponatur, sicut hactenus factum est, & fit; sponte sua caderent, si populus institutus sciret, eas nihil esse coram Deo. Sic *leges Papa*, de confessione, oratione, jejunio, *damno*, sed verbo, ut conscientias ab eis liberem. Quæ ubi liberatæ fuerint, possint tandem illis uti, propter infirmos alios, qui adhuc sunt illis involuti, cum non uti, ubi firmi fuerint, ut sic charitas regnet in iis externis operibus & legibus.

At nunc nemo mihi molestior est, quam hoc vulgus nostrum, quod relictis verbo, fide & charitate, solum in hoc gloriatur, se Christianum esse, quod coram infirmis carnes, ova, lac comedere, utraque specie uti, non jejunare, non orare possit. Hac forma docendi rogo, & tu incedas, verbo quidem omnia sunt urgenda, sed corda paulatim, ceu greges Jacob, juvanda, ut sponte verbum prius capiant, & roborata tandem faciant omnia. In posteriore eadem brevius refert, se *Carolstadtium* offendisse, quod ordinationes ejus cassaverit, licet doctrinam non damnarit, nisi quod displicuerit, cum *in solis ceremoniis & externis faciebus laborasse*, neglecta interim vera doctrina Christiana, hoc est, fide & charitate, cum sua inepta docendi ratione eo populum perduxerit, ut sese Christianum arbitraretur, per *has res nihili, si utraque specie communicaret, si tangeret, si non confiteretur, si imagines frangeret*. Se hæc hactenus quæsi-
visse, ut conscientia ab istis contrariis faciebus liberarentur, & res ipsa per sese rueret communi consensu. Vellicat Nostrum è Reformatis *Abram. Scultetus*, quod communionem sub utraq; inter res nihili retulerit. Verum ex toto contextu liquet, Lutherum per res nihili intelligere solas ceremonias & facies externas, sive opus operatum. Patet etiam ejus sententia ex alia ad *Hausmannum* Epistola, feria IV. post Oculi scripta, qua eum hortatur, ut *Wittembergensium* normam æmuletur, si placeret. *Utramque enim speciem, inquit, liberam fecimus*, sed iis, qui digni & timorati fuerint. Cætera omnia in suo ritu permitti-

mus, & unumquemque in suo spiritu abundare. Solo autem verbo agimus, docentes quid Evangelium de Missa & communionem habeat, neminem cogentes vel abstinere, vel celebrare. Conscientia cujusque sibi viderit, ut Evangelio respondeat, donec omnes crescant, & omnes Evangelici fiant. Nam in hac causa populus regendus est, non secundum quod Evangelium habet, sed secundum quod Evangelium habetur; non enim omnes capiunt Evangelium, ideo non omnes possunt Evangelice regi. Debent tamen omnes Evangelice doceri, donec omnes capiant. Interim alii ferendi sunt, qui nondum capiunt.

Summam hic prodit prudentiam & moderationem Theologicam Lutherus. Quando igitur durius locutus est aut scripsit in Papam, id fecit ex justo zelo & amore erga Deum ejusque verbum.

(k) Tom. II. Alt. pag. 99. - 116. (l) Lib. II. Epist. p. g. 49. seq. & pag. 53. & 56.

§. XXXIII.

*Tr. de com-
munionem
sub utraque
&c.*

Eodem tempore Lutherus edidit Tractatum Germanicum de *communionem sub utraque, & innovationibus aliis*, quæ in extemporaneis illis septem sermonibus monuerat, latius explicabat, ac summam, quam laudavimus, prudentiam & moderationem testatam denuo faciebat: animum nihilominus intrepidum simul ostendebat adversus Papatum. Nam in præfatione professus aperte palamque est, se nosse probe, unde sua doctrina veniat, quis se excitaverit, & opus ipsum id satis declarare; nam licet nulla miracula fecerit vel exigua, illud tamen pro maximo miraculo habendum esse, quod Satanæ summum caput & potestas maxima, Pontificatus cum suo corpore tantum per se vulnus acceperit, quod nulla neque Politica neque Ecclesiastica potentia ei infligere potuerit. Satanam ipsum etiam bene sentire, quem Doctorem habuerit, ac propterea

pterea tantopere furere, & *μεθόδειας* subito quærere. Deum tamen opitulatorem futurum, ac tacturum, ut cum crudelem Dominum (Papam, mundi Deum & Principem) percusserit & contemserit, inclementem servum (*die weltliche Gewalt*), metuere nihil sit necesse, licet unus alterque sit, qui corpora & bona pro Papa effundere velit. In ipso Tractatu probat Christianos à Christo Dominos esse constitutos super omnes Pontificias & humanas doctrinas & præcepta, ita ut in nostra voluntate situm esse debeat, servarene illa velimus, nec ne. Hanc tamen nostram Christianam potestatem & libertatem spiritualiter intelligi ejusque abusum caveri debere; magnum quippe esse discrimen inter hæc tria: præcepta hominum servare, in præceptis hominum servire, & Dominum esse super præcepta hominum. Christum non repudiasse Sabbatum, sed ejus Dominum esse voluisse, ut illud servaret, vel non servaret: nec repudiasse traditiones, cum nil intersit, si manus pro more Judæorum lavasset; sed noluisse in eis servire, ideo pronunciare, frustra esse talem cultum, quo conscientia constringuntur. Ita quoque hic per se malum non esse dicit, servare mandata Papalia, si non sint contra Deum; hoc vero esse diabolicum, quod Papa velit ex obedientia Ecclesie præstari illa, & eos, quia talia non faciant, peccare mortaliter, non Christianum sed hæreticum esse. Hic urgendam Christianam libertatem, & dicendum, illa esse mendacia, nos Dominos constitutos, talium præceptorum. Neminem sibi scrupulum facere debere, si Sacramentum manibus apprehendat, ac sine consecratis vestibus, ædibus aut vasis, nec pati, ut ad revocationem cogatur, si vel decies mortem subire necesse sit. Interim communionem sub una retineri posse, donec ex verbo Dei mentes hominum convincantur; eos vero qui conscientia impulsu communionem sub utraque expectant, admittendos esse. Idem de Missa, omnis tantum formulis, quæ ad sacrificium pertinent, & conjugio

Sacerdotum sensitum, temporis & suasit, ob infirmitatem hominum nondum plene de iis informatorum.

Tom. II. Alt. pag. 120. - 131.

§. XXXIV.

Libellus de vitanda hominum doctrina.

Libellum quoque populari lingua edidit in solatium informationemque eorum, qui in monasteriis per leges sive traditiones hominum constricti jacent, inscriptum: *de vitanda hominum doctrina, Responsio ad dicta, quæ pro stabilienda doctrina hominum adduci solent.* Pro fugienda traditione decem adducit argumenta ex Deut. IV. 2. Jes. XXIX. 13. Matth. XV. 17. 1. Tim. IV. 1. 2. seqq. Coloss. II. 16, ff. Gal. I. 8. 9. Tit. I. 14. 2. Pet. II. ff. Matth. XXIV. 23. ff. Proverb. XXX. 5. 6. quæ omnia breviter explicat. Ad loca pro traditione urgeri solita ex Luc. X. 16. Matth. XXIII. 2. 3. & Augustini effatum: Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ crederem, respondet ordine, ac tandem repetit sententiam suam de votis monasticis anno præterito expressam, ostenditque, quomodo salva fide illibataque conscientia vita monastica geri possit, ac qua ratione ab ea discedere, & cœlibatui renunciare liceat; nimirum ideo, quia Deus nullibi vota ejusmodi spiritualia, quæ vocant, præceperit, imo contra primum præceptum Dei pugnent. Cumque facile potuerit colligere, sibi talia scribenti objectum iri ab adversariis, ac si ipse libidine ita uratur, ut carni patrocinium quærat, ea se ætate esse affirmat, ut per Dei gratiam in cœlibe vita perseveraturus sit; quanquam nondum omnia superaverit, nec audeat se conferre cum illis, qui castitatem tantopere jactitent, & tamen in occulto faciant, quæ turpe sit dicere, Ephes. V. 12. Impudicitiam non alia ratione magis irrepisse, quam per ejusmodi præcepta & vota castitatis: nec lupanaria & irritamenta libidinis tam noxia esse, quam illa &c.

Tom. II. Alt. p. 135. - 153.

§. XXXV.

§. XXXV.

Ut privatas Epistolas taceam, quas Noster ad Ecclesiam Erfurtensem de Sanctis, in fine Maji, & ad Consulem Magdeburgensem Stormium, cur maximos Prelatos, Papam, Cardinales, Episcopos &c. tam graviter aggrediatur increpetque, ac in publicis suis scriptis, eos stultos & asinos appellet: illum tangam tractatum, quem adversus falso nominatum statum Ecclesiasticum Papæ & Episcoporum vulgavit, & Pontificiis Episcopis inscripsit. In ejus inscriptione se vocat divina gratia Ecclesiasten, licet ab adversariis pro damnato hæretico habeatur, ac si etiam Evangelistæ titulum sibi sumeret, id majori jure se facturum esse confidenter scribit, quam ullus Episcoporum suum titulum probare possit, quum certus sit, quod à Christo ipso sic appelletur & habeatur, teste futuro in novissimo die. Nihil ergo se curare sed gaudere potius, quod Sacerdotis & Doctoris titulis & charactere bestię per Papæ bullas exutus sit. Deum sui miserum certam veritatis cognitionem sibi impertivisse, quam intrepide confiteri & docere velit, ringentibus licet hostibus, quibus bellum his verbis indicit: *si vixero, vos non dimittam, quin feriam; si me trucidaveritis, multo minus pacem habebitis: ero enim, ut Hoseas III. 8. ait, vobis ursus in via, & leo in platea.* Quomodocunque mecum egeritis, perficere voluntatem vestram non poteritis, donec frons vestra ferrea & collum æneum frangatur. Si vos non emendaveritis, ut equidem vellem, stabit sententia, quod vos hostiliter succenseatis mihi, ego tamen nil pensi moderatique iras vestras habiturus sim. Det Deus, ut vosmet ipsos recognoscatis. *Ait en.*

In præfatione removet objectionem, ac si nimis sit rigorosus, dum magnos viros aggrediatur, & ut Tyranni ipsi interpretantur, tumultus seditionesque concitet: eoque nomine causas indicat ex Scriptura S. quod non solum justum sed etiam necessarium sit summa capita tangere atque reprehendere, ut

Ezech.

Contra falsum
sic dictum
statum Ec-
clesiæ Papæ
& Episcopo-
rum.

Ezech. XXXIII. 7. ff. Mich. VI. 1. ff. Idem exempla Prophetarum omnium, Christi & Apostolorum testari, & Paulum i. Tim. V. 20. dicere, *eos, qui peccent, publice esse corripiendos*, sine ulla exceptione. Cap. V. 1. autem eum non loqui de Presbyteris aut Episcopis, quales in Papatu sunt, plerumque juniores. Quin imo durius acriusque castigandos esse Episcopos & Presbyteros, quam alios, cum non corporibus tantum sed animabus noceant. Addit, verbum Dei non concitare seditiones, sed inobedientiam induratam, quæ verbo Dei se opponit.

Deinde ideam veri Episcopi proponit ex Epistolis Pauli i. Tim. III. Tit. I. & 2. Pet. II. cui prorsus contrariari demonstrat illum Episcopatum, quem ejus temporis Episcopi gerebant, ac commemorat perstringitque magna cum libertate vitia notoria Ecclesiasticorum, impudicitiam & luxum, pompas aulicas, ignorantiam Theologiæ & desidiam in docenda plebe, avaritiam insatiabilem, aliaque scelera. Paulum 2. Tim. III. 1. seqq. & Petrum 2. Ep. c. II. toto Pontificios Episcopos vivis coloribus depingere, quorum hæ sint virtutes: 1. Quod pro verbo Dei Bullas & Indulgentias Papæ, animicidæ Romani, prædicent. 2. Quod non gratis sed pro pecunia vendant bona Ecclesiæ donata à Christo. 3. Quod doceant, injuste parta retinere posse homines, si modo ipsis pars raptorum detur. 4. Quod Papa in omnibus Bullis remissionem peccatorum promittat iis, qui confessi sunt. Unde concludit, hodiernos Episcopos non Christianos, nec ex divina ordinatione Episcopos esse, sed potius ex diabolica constitutione & humana temeritate, adeoque diaboli nuntios & vicarios. Hinc etiam Bullam & Reformationem suam Pontificiæ Bullæ opponit, in hanc sententiam: *Quicumque opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, & Episcoporum reginen extinguantur, illi sunt dilecti filii Dei & veri Christiani, observantes præcepta Dei, & repugnantes ordinationibus diaboli, vel si repugnare*

gnare nequeant, saltem istud regimen damnantes & vitantes. Contra vero, quicumque stabiliunt Episcoporum regimen, eisque voluntaria obedientia se subjiciunt, hi sunt diaboli ministri proprii, & repugnant Dei ordinationi ac legi. Ne vero hæc Lutheri Bulla eo trahatur, quasi igni ferroque devastari Pontificii Episcopatus debeant, ut Pontifices in suis Bullis rugiunt contra hæreticos, quos vocant, Lutherus suam mentem sobrie sic explicat: *Devastationem & extinctionem nequaquam intelligi volo*, ac si manu ac gladio res agenda esset, (neque enim digni hoc sunt labore, neque is expediret) sed secundum doctrinam Danielis c. VIII. v. 25. *sine manu conteretur*, ut scilicet omnes per verbum Dei contra illos doceant, & argumententur, donec pudeant, & sponte contemnantur, & cadant. Hæc destructio Christiana est, in quam omnis impendi debet opera. *Paulo post* ex adductis aliquot dictis, Actor. XX. 17. & 28. Phil. I. 1. 2. rursus hanc *Bullam* format: *Cum igitur* manifestum sit ex his dictis, quod Episcopi (Pontificii) non solum larvæ & idola, sed etiam maledictus sint populus coram Deo, ut qui se extulerunt contra Dei ordinationem, ad delendum Evangelium & animas perdendas; quilibet Christianus eo anniti corpore & facultate sua debet, ut eorum tyrannis contempta finiatur, & alacriter agere, quicquid eis adversatur, veluti ipsi diabolo, obedientiam non aliter ac diaboli obsequium pedibus calcare, ac laborare, ut in qualibet civitate unus vel aliquot uxorati pastores vel episcopi constituerentur: ac qui nunc sunt Pastores, quia diabolo, & non Deo obedientiam stipulati sunt, vovendo castitatem, qua renunciant isti obedientiæ, non secus ac si quis alius pactum cum diabolo initum revocaret; quo divina ordinatio per Paulum instituta restituatur. Hæc sit mea (D. Lutheri) Bulla, quæ Dei gratiam confert omnibus eam observantibus, eique obtemperantibus, Amen.

Tandem consilium suppeditat illis, qui vitia agnoscunt, &

M

de

de suæ aliarumq; animarum salute solliciti sunt, suadetq; ut si ipsi præstare officium nequeant, de viris doctis circumspiciant, qui in suis diœcesibus Evangelium pure prædicent, quemadmodum *Valerius* Hipponensium Episcopus *Augustinum* elegerit vicarium, ac in multis Græciæ regionibus usu receptum fuerit, ut Sacerdotes pro Episcopis, iis præsentibus sermones ad populum haberent. Deinde, ut, quod concionibus non possunt, precibus, officiis & subsidiis in pauperes resarciant.

Tom. II. Alt. p. 161. -- 183.

§. XXXVI.

*Scriptum
contra Hen-
ricum, An-
glie Regem.*

*ejus mor-
dacitatem
& acerbita-
tem excusat
Lutherus.*

Inter scripta hoc anno (1522.) edita à *Luthero* eminent for-
te illud, quod contra *Henricum*, Regem Angliæ vulgavit. Cum
enim dictus Rex à Pontifice speciosum aliquem titulum, quali
Rex Galliæ gaudet, ut Christianissimus, & Rex Hispaniæ, ut
Catholicus appelleretur, peteret, eum tandem impetravit, quan-
do librum à se pro septem Sacramentorum defensione, adver-
sus tractatum *Lutheri* de Captivitate Babylonica conscriptum,
Pontifici per Oratorem misit. Magni hunc Regis librum Cle-
rus fecit, tanquam doctissimum quod sub sole esset opus. Qua-
re visum *Luthero* fuit, heroico spiritu illud refellere, quem sane
ubique prodir, licet adversarii, & nominatim *Maimburgius*, ex
insolenti, ut ait, belluino, & furiose impudenti stylo, quo Re-
gem istum, tanquam fatuum & infimum ex plebe tractaverit,
concludant, impossibile esse, ut Spiritus Dei tam inhonesto &
turpi homine ad reformationem orbis usus sit. Ejusmodi ve-
ro judicium provenit ex animo veritatis cœlestis & zeli divini
prorsus ignaro, si non malevolo. Ipse *Lutherus* sæpius amicis
tale quid obvertentibus satis respondit, ut in Prolegomenis §.
XII. quæ iam loca adduximus. Imo in ipso libro hoc adversus
Regem, dilucide describens occasionem impugnari à se Papatus,
ita omnem rem exponit, ut æquo lectori prolixè & sufficienter
se purget. *Furentibus*, inquit, *his portentis abominationum*, rapuit

puit

puit me Dominus imprudentem in medias has turbas, & occasione fallaciarum indulgentiarum, dedit mihi aliquot Scripturæ locos, Satanæ extorquere, ceu clavam de manu Herculi, & germano sensui Spiritus restituere. Hic, Deum vivum, quanto æstu spumare cœpit furor eorum, paratus cœlum terræ, & ignem mari miscere, scilicet ferre non potens, corniculæ suæ detrahi alienas plumas, quibus illam egregie in Vicarium Christi adornavit. Ego vero corniculam istam primum satis modeste & reverenter tractabam, hoc ipsum maxime agens, ut Papatus non nihil esset, ignarus ipsum ex diametro pugnare toti scripturæ. Contentus autem eram, solas scripturas expurgate, Papatum tale aliquid ducens, qualia sunt regna & principatus hominum. At illi longæ tyrannidis usu indurati, & hæcenus successu fraudis (juxta Danielelem) elati, contemnebant modestiam & reverentiam meam, in locum Dei suum idolum statuere præsumentes & mediis scripturis miscere. Christus autem mihi spiritum suppeditabat insignem contemptorem, tam fraudis quam furoris Papistici, fecitque, ut quo magis scripturas purgarem, eo certius abominationem implicitam invenirem; donec eo res per manum potentis Jacob pervenerit, ut evidentibus & puris scripturis convictum sit, Papam, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, Missas, & universum Regnum istud cum suis dogmatibus & ministeriis esse aliud nihil, quam mere portenta, idola, larvas, mendacia, & ipsissimam abominationem in loco sancto stantem, titulis verorum Episcoporum & Ecclesiæ sese prostituentem, *Meretricem scilicet illam purpuratam, super bestiam multiplicem sedentem, ebriam sanguine testium Christi, & inebriantem reges terra calice fornicationum, & abominationum suarum.* Apocal. XVII. De quibus omnibus Petrus prædixit: *Falsi doctores juxta introducent sectas perditionis,* &c. 2. Petr. II. 1. ff. Hac itaque veritate agnita, coactus sum quædam meorum retractare, sicubi bona de Papatu, & de iis, quæ extra scripturam docentur, scripsi. Denique adhuc revoco &

ex animo doleo, si quam syllabam pro bono Papatus & regni sui unquam scripsi: rogoque meos lectores, dignentur prudenter meos ejusmodi errores cavere.

Insuper, quod *Regem* istum *larvatum Thomistam* insanum fecit in Libello de Captivitate Babylonica, etiam revoco, & minus quam oportuit, me dixisse confiteor; nimium enim honoris est, & gloriae, dicere, *Papatum* esse robustam venationem Romani Episcopi. Nam id exempli Nimrod, omnibus principatibus prophanis quoque convenit, quibus tamen nos Deus vult subdi, honorare, benedicere, & pro eis orare.

Papatus
quid?

Verius autem sic de Papatu dico: *Papatus est Principis Satana pestilentissima abominatio, qua sub caelo fuit, aut futura est.* Sic revoco libellum meum de Captivitate Babylonica, in gratiam Domini *Henrici*, novi Thomistae, ne ita rumpatur tanta Thomistici nominis Majestas; hanc enim revocationem à me extorquet tam doctus & terribilis Thomista. Nam ne nulla suo libello vis movendi Lutheri inesset, adjecit minas, consulens plane exurendam esse hunc haereticum, nisi resipuerit. Et hoc plane Thomistacissime; nam istis minis certum est Lutherum territum iri, & sequuturum, quicquid Thomistica saliva in hoc libello Regis mentitur & blatterat.

Ejus arma
contra he-
reticos, ignis
& furor.
Lutheri
fervor &
animus im-
perterritus.

Hæc sunt arma, quibus hæretici vincuntur hodie, ignis & furor insulsiſſimorum asinorum & Thomisticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & si audent, exurant me. Hic sum & expectabo eos, cineribus solis post mortem, etiam in mille maria projectis, persequar & fatigabo hoc abominabile vulgus Summa, *vivens Papatus hostis ero, exustus bis hostis ero.* Facite porci Thomistæ, quod potestis, Lutherum habebitis ursum in via, & leenam in semita, undique vobis occurret, & pacem habere non sinet, donec ferreas vestras cervices, & areas frontes contriverit, vel in salutem, vel in perditionem. *Hactenus satis fuerit patientiam perdidisse, deinceps, cum pergatis indurati, &*

occa-

occacati cornua erigere, & sponte facti sitis incorrigibiles & indomiti, nemo à me expectet quidquam dici in vos, deplorata portenta, suave aut blandum. Irritatos enim volo magis ac magis, donec effusis omnibus viribus & furoribus, concidatis in vobis ipsis. Qui primus alterum compescuerit, sit ipse victor, sicut vultis, sic fiat vobis.

Impatenter primo tulit Lutherus, à Rege sibi imputari, nec tamen probari: quasi pugnancia sibi dicat, adeoque fidem non mereatur. Indignitate igitur facti commotus ita scripsit: quando larvam verbis larvatis sine exemplo ludere libuit in retam seria & sacra, ego sine larva, sed aperte dico, Regem Angliæ, Henricum istum, plane mentiri, & scurram levissimum mendacii suis magis referre, quam Regem. Hoc crimine ego Lutherus Thomistam hunc virulentum palam accuso, & testibus tum libellis, tum lectoribus meis per orbem convinco. Faceat mihi in hac re Majestas regia & mea humilitas, cum mendace scurra loquor, regis titulis velato, de rebus divinis, quarum injuriam adversus mendacia tueri, pertinet ad quemlibet Christianum. Si stultus Rex sic regis Majestatis obliviscitur, ut mendaciis apertis in publicum audeat prodire, idque dum sacra tractat, cur mihi non pulchrum sit, mendacia sua rursus in os ejus regere; ut si quam voluptatem concepit adversus divinam Majestatem mentiendo, eam amittat veritatem adversus suam Majestatem audiendo. Neque enim hic mihi patientiæ habenda ratio est, ubi mendaciis suis scurra levis non me, nec vitam meam (quod utique sustinuissem) sed doctrinam ipsam impetit, quam certissimus sum meam non esse, sed Christi. Sibi itaque imputet, suisque mendaciis, si indigna cogatur audire regio nomine. Hoc meruit os ejus impurum, quod Regem meum, qui est Rex gloriæ, blasphemis suis conspurcavit. Non enim mea doctrina sibi ulla parte pugnat, nec pugnare potest, cum sit Christi, & orbi toto jam constet, me de fide, de charitate, de

Egre fert Luther. à Rege sibi imputari, quod pugnancia dicat.

operibus, & de iis, quæ sacris literis Spiritus Christi nos docuit, semper fuisse eodem sensu, semper eadem docuisse & scripsisse, licet usu & studio, de die in diem magis ac magis profecerim &c.

Mordacitatem diluit.

Deinde ad *mordacitatis* vitium, quo ipsum fugillabat Rex, respondit, primum ei probandam fuisse iniquam suam mordacitatem, & Papam innocentem esse. *Alioqui*, inquit, *cur Christus* ipse Math. XXIII. Scribas & Phariseos mordet, & hypocritas, cæcos, stultos, plenos immunditia, hypocrisis, homicidas, criminatur? Et *Paulus* quoties vehemens est in concisiones (ut vocat ipse) suas, & Pseudoapostolos, quos adulterantes & cauponantes verbum Dei, canes, dolosos operarios, Apostolos Satanae, filios diaboli, plenos dolo & malicia, deceptores, vaniloquos, fascinatores & circulatores vocat? An & hos Thomista larvatus mecum accusabit invidiæ & superbiæ? Quin ut plene Thomisticum cerebrum & plebejum repræsentet ingenium, quasi in scena histrionem agat, *sic maledictis, convitiis & mendaciis in me insanit per totum libellum*, & nihil eorum de me antea probat, *ut nulla causa meam videatur mordacitatem damnare*, quam ut rabiem maledicendi apud sordidos suos Thomistas justificet, & areolam Thomisticam mereatur. Stolidum scilicet caput, quod abunde cognovit, *Papatum apud me pro Antichristi regno haberi*, cui etiam Job maledici mandat, per eos, qui parati sunt suscitare Leviathan: & ubique Spiritus præcipit mundum arguere de peccato impietatis, & omnino sanctam & justam hanc mordacitatem tum laudat, tum exigit. Rex vero, tanquam obtinuisset, Papatum sanctum esse, *palustris virulentia & maledicentia sua debachatur in meam mordacitatem*. Sed, ut dixi, Thomistarum hypocritam & larvam agere voluit, apud quos extrema perfidia & summa hæresis est, *Magistros nostros, etiam si pestes sint orbis terrarum*, ceu Angelos Dei non adorasse, mutisse adversus nutum eorum; hoc demum crimen

men est, nullo satis igne expiabile. Ego vero, qui *hactenus paulo fui misericordior in portenta papistica, sub spe resipiscen-
tia eorum*, nunc, cum eos, qui ejusmodi sunt, videam in repro-
bum sensum datos, & deplorata pertinacia in locum suum cum
duce Pharaone abiisse, *nulla amplius modestia, nulla misericordia
in eos utar.* Neque amplius amicis meis frena calami permit-
tam, sed tacens eos contemnam. Vel si agendum est cum illis,
quanto possim impetu in eos ferar, irritaturus satis, provocatu-
rus tam stupidos truncos, tam rudes asinos, tam crassos porcos,
cum digni alio officio non sint, nisi ut provocentur in pœnam
suam. Idque faciam in gloriâ Henricianæ Ecclesiæ, & ipsius
Henrici egregii defensoris Thomistæ, ne frustra meam mor-
dacitatem facerrima sua maledicentia damnasse queri possit.

Hæc satis, ut opinor, putgabunt *Lutherum* à crimine mor-
dacitatis & læsæ majestatis humanæ, ut multi objecerunt ipsi.
Unde & in Epistola quadam ad amicum crimen ita diluit, ut di-
stinxerit *inter verba officii & convicii*; & ibidem significat, eum
qui suam doctrinam recto corde capiat, non offensum iri con-
viciis: quique credere nolit ex affectu sincero se id fecisse, cum
tandem id aliquando cogniturum & fasturum esse: se aliis tale
quid carpentibus, semper hoc respondisse, quod intermittere
nec velit, nec possit, cum causa non sit indifferens &c. Conf.
Epist. ad Jo. Langum L. II. Ep. p. 64. b. Plura qui desiderat, *Se-
chendorffium* evolvat p. 186. seqq. & ea expendat, quæ ad annum
sequentem dicturi sumus.

*Tom. II. Jen. Lat. fol. 549. b. 550. seq. Tom. II. Alt. pag. 189. ff. & p.
207. seq.*

§. XXXVII.

Hoc etiam anno misit *Epistolam ad omnes Christianos & Epistola ad
Predicadores Erphurdia de Cultu Sanctorum*, de quo dissensiones *Epistola ad
Erfurienfes.*
inter eos ortas audiverat. Ubi monet eos, ut ab hujusmodi
quæstionibus nunquam extricandis & finiendis de sanctis in cœ-
lo,

lo,

lo, & de mortuis animum abducant, & populo hanc quærendi vitiositatem eximant, hac potissimum causa impulsæ, quod una tali concessa quæstione, in vestigandi nullus finis sit relictus, juxta 1. Tim. I. 4. cum tamen hæc omnia nullius sint momenti, & ad salutem consequendam conducant nihil. Adhæc, quid de mortuis statuerit aut agat Deus, nihil nos scire voluerit. Prorsus igitur illum non peccare, qui nullius sancti auxilium impleret, sed tantum firmiter in Christum mediatorem spem suam ponat, &c. Deinde obsecrat fratres, curare velint, ne qua uspiam loci apud eos seditio suboriatur ipsorum culpa. Esse enim non parum multos leves & futiles homunciones, putantes rem Evangelicam gladio & pugnis esse promovendam, bene actum existimantes, si Sacerdotes & Monachos probris & convitiis proscindant atque dispolient: qui ignorent nostram pugnam non esse adversus spiritus aërios. Satanam igitur nec ferro nec pugnis lædi posse, corda hominum per verbum veritatis illi prius auferenda esse. Quamobrem in memoriam iis revocat, quo gladio ipse Papatum & totum religiosorum statum cæciderit, antehac omnibus hominibus formidabilem, de quo canebatur: *Quis pugnabit cum bestia, potentiam habente etiam sanctos oppugnandi & vincendi. Nondum tamen ullo digito se eos attigisse, & Christum impium Papatum & totum illud detestabile regnum Behemoth, spiritu oris sui occisurum & eversum.*

L. II. Epist. p. 81. ff. Tom. II. Alt. p. 159. f.

§. XXXVIII.

Ad Procures Bohemia Praga congregatos.

Scriptit quoque ad Bohemia proceres, Comitiam Pragæ tum celebrantes, quos gravissime monuit ad constantiam in agnita veritate Evangelica, & ne vana spe pacis ad sedem illam perditionis Romanæ tyrannidis deficiant, dehortatus est. Se enim, etsi aliquando nomine Bohemico satis offensus fuerit, antequam sciret Papam esse Antichristum; tamen interim dum Evangelium

lium

lium suum Christus illis resplendere fecerit, sic se illorum inobedientiam probasse adversus Papistas, ut odium nominis ipsorum magno onere portaverit, & modo Bohemus, modo fugam meditari ad Bohemos dictus sit. Addit etiam, sibi spem esse, brevi tempore fore, ut & Bohemi & Germani per Evangelium in unum sensum & nomen conveniant, modo interim patienter misericordiam Domini expectent, & si quid alterutris desit, invicem tolerant. Non posse omnia subito aut vi mutari, nec sectas, quæ inter ipsos sint, defectione ad Romanam sedem tolli, cum infinite plures sectæ sint inter Papistas. Itaque cavendum; ne de parvis sectis, quæ paulatim redintegrari queant, ad eas sectas, quas Petrus perditionis vocat, relabantur, ex quibus manus Domini eos jamdudum eripuerit. Sectis non alio modo consultum iri, quam ut Pastores pure evangelisent, quia purum Evangelium non solum faciat unum populum, sed & solus Christus sit, qui faciat unanimes habitare in domo Domini. Ad hæc monet, ne sanguinem innocentem *Hussi* & *Hieronymi Prag.* damnent cum suis dogmatibus; cum hæc duo, sedes illa blasphemiarum, ebria sancto sanguine meretrix, vehementer ab iis exactura nec susceptura sit, nisi hæc abjuraverint. Abjurantes autem ea Christum Dominum abjurare, & filios perditionis esse. Tandem rogat eos, ut consistant in inobedientia diaboli, in qua hætenus per multum sanguinem steterint, & ne Evangelio resplendenti tantam contumeliam inferant.

L. II. Epist. p. 85. seqq. T. II. Alt. p. 187. seq.

§. XXXIX.

Prodiit etiam hoc anno *Sermo Lutheri* vernacula lingua *Sermo de de vita Conjugali*: in cujus brevi præfatione indicat, se ægre *vita conjugali* quidem adduci, ut hoc argumentum tangat, cum facile colligere queat, sibi pariter ac aliis multum incommodi inde oriturum; cogi tamen se ad hoc, posteaquam deprehenderit, tantos abusus & casus erroneos hic irrepisse, ut conscientia necessario sint

N

in-

informandæ de iis. Summam sermonis in Loco de Conjugio dabimus.

Tom. II. Alt. pag. 208. b. -- 220.

§. XL.

*Prefatio
in opuscula
quodam
Wesseli.*

Non prætereunda est *Prefatio Lutheri ad Christianum Lectorem*, in farraginem rerum Theologicarum *Wesseli Gröningensis*, quæ Basileæ hoc anno prodiit apud *Adamum Petri*, 1. de benignissimâ a Dei providentiâ, omnia suaviter disponente. 2. de causis, mysteriis & effectibus Dominicæ Incarnationis & Passionis. 3. de dignitate & potestate Ecclesiastica, de vera obedientia: & quantum obligent mandata & statuta Prælatorum. 4. de Sacramento Pœnitentiæ, & quæ sint claves Ecclesiæ. De potestate ligandi & solvendi. 5. Quæ sit vera communio sanctorum. De thesauro Ecclesiæ: de participatione & dispensatione hujus thesauri. De fraternitatibus &c. 6. De purgatorio, quis & qualis sit ignis purgatorius. De statu & profectu animarum post hanc vitam &c. 7. De eisdem fere rebus ejusdem eruditæ aliquot epistolæ. In *prefatione* Noster indicat, se providentiâ Dei singulari in publicum raptum, cum monstris istis indulgentiarum & pontificiarum legum, & falso nominatæ Theologiæ sic pugnasse, ut se solum esse putaverit; sed gavisum, cum in *Wesseli* scripta incidisset, indeque perspexisset, utriusque spiritum conspirare in unum, ita ut si Theodidactum istum antea legisset, hostibus suis videri potuerit Lutherus, omnia ex *Wesselo* hausisse, quando tam constanti sensu, peneque eisdem verbis, tam diverso tempore, alienis cælo & terra, alioque casu sic sibi per omnia consentiant. Conf. Prolegomena de Theol. Lutheri pag. 5.

L. II. Epist. pag. 89. f. Tom. II. Alt. p. 207. a, b.

§. XLI.

*Incrementa
Evangelii
inter*

Multas etiam alias Epistolas Noster dedit ad viros illustres & doctos, quibus eos vel excitavit ad puriorem doctrinam amplecten-

pleſſendam, vel jam excitatos in ea confirmare ſtudit: nec parum ſcriptis ſuis profecit. Præſertim vero Novi Teſtamenti Germanica translatio cupide paſſim recepta, magnum pondus & incrementum addidit, fruſtra renitentibus & ſævientibus Pontificiis. Durior præ ceteris *Georgius*, Saxonix Dux, editum menſe Novembri promulgavit, quo omnibus ſuis ſubditis in memoriam revocavit mandatum jam antehac publicatum, Pontificia, Cæſareaque autoritate, ne quis Lutheri libros emerret legeretque, ac ſevere mandavit, ut quiſquis Nov. Teſtamentum à Luthero converſum & gloſſis marginalibus illuſtratum habuerit, illud protinus præfectis & miniſtris ſuis traderet. Viſitavit etiam, à Duce incitatus, Academiam Lipſienſem Epicoſcopus Mersburgenſis, & graviffimis pœnis denunciatis, lectionem Novi Teſtam. à Luthero editi, & excuſum ad conciones in vicina Electoris ditione audiendas, prohibuit. Quo factò ſtudioſa juvenus, ut jam ante cœperat, Lipſiam magis magisque deſeruit, & Wittembergam petiit. Nec mitiores erant *Henricus* Brunſuicenſis, & *Ferdinandus* Rex Caroli Imperatoris frater, tum in Austria, tum in Württembergico, quem tunc tenebat, Ducatu. Sed neque hi, neque violentiffima, quæ Belgis hac tempeſtate incubuit perſecutio, impedire curſum Evangelii poterat. Nam & in ſuperiori Germania, Norimbergæ, Halæ, Suevorum, Werthemii, Mildeburgi ad Mœnum, & in inferiori Bremæ, Magdeburgi, in Pomerania, Livonia, Sileſia, ac alibi locorum, tanto cum ſucceſſu crevit Evangelium, ut *Harthmuthus Cronebergius*, Eques in tractu Rhenano potens, qui Noſtrum maxime defendit, in Epiftola quadam ad *Dolzigium*, Mareſchallum Electoris, & *Spalatinum* teſtatus ſit (apud *Seckendorf*. p. 241.) verbum Dei, per virum Dei, Lutherum, prædicatum & ſcriptis propagatum, tam altas radices egiffe, ut impoſſibile videatur, niſi Deus gratiam ſuam auferat, ut ab hominibus aut dia-

bolo evelli ex animis posset. Omnes ejus libros ad Francofurtenses nundinas allatos, publice venditos esse, non obstante edicto banni.

Vid. Seckendorf. L. 1. p. 240. seq.

§. XLII.

*Hinc spes
remedii in
Concilio po-
sita, ob di-
versos fines
expetito.*

Cum igitur Pontificiorum vel savorum vel astutia, ne holum quidem proficeretur ad extirpandam Lutheri doctrinam, quin magis majores in dies faceret progressus, visum est quidem plerisque omnibus, sed propter fines longe diversos, salutare & unicum remedium fore *Generale Concilium*. Nam ii, qui partibus Lutheri studebant, hac lege, ut *Petr. Suavis* in *Hist. Concil. Trident. pag. 16. f.* memorat, Concilium petebant, modo ex verbo Dei scripto omnia illic pronuntiarentur, nec ullus esset aut humanis traditionibus, aut Scholasticæ Theologiæ, locus; cum haberent persuasum, hac ratione non modo doctrinam suam defensum, sed & eam solam probatam iri. Lutherus enim dicere solitus est, se Wormatiæ per pusillo fuisse animo; interea de doctrinæ suæ divinitate & veritate tam esse certum redditum, ut Angelorum quoque judicio eam submittere nolit. Principes autem & Optimates, cum non multum laborarent, quid Concilium de doctrinæ capitibus statuere debeat, tale cupiebant concilium, quod Monachos & Sacrificulos in ordinem redigeret, sperantes ita ad se reditura Regalia & Jurisdictionem temporalem. Populus etiam concilium requirebat, quod potestati Ecclesiasticæ modum imponeret; ut neque miseris hominibus, decimarum, eleemosynarum & indulgentiarum colore tot exactionibus graventur: neque prætextu correctionum & judiciorum, ab Episcoporum ministris opprimerentur. Ipsa denique aula Romana à Concilio non abhorrebat, si modo sibi potestatem Pontificatus reformandi Cæsar non arrogaret, nec curiæ commoda, ea præsertim, quibus ad se maximam auri partem trahebat, evaderet. Hinc ipse *Leo X.* lupum auri-
bus

bustenens, quo se verteret, nesciebat, ac inter spem & metum hærens vitam cum morte commutavit, & inter mortuam spem *Hadriano VI.* resuscitandam reliquit.

Petr. Suav. Polan. *Hist. Concil. Trid. c. l.*

§. XLIII.

Adrianus igitur, *Ultrajectinus*, *Caroli V.* quondam Præceptor ei charus, magnis in Belgio & Hispania muneribus perfunctus, in Theologia Thomistica satis versatus, qui *Lovanien-*ses Theologos antea stimulaverat, ut *Lutheri* theses condemnarent, idoneus visus fuit, qui Pontificatum gereret, & doctis hæreticis se opposeret. Ille igitur, cum *Comitia Imperii Norimbergæ* instituta audivisset, humanissimas ad *Fridericum Electorem*, quem ibi præsentem esse putabat, literas, *Camerario* suo perferendas dedit, quibus *Ducem* adhortatus est, ut ad dignitatem sedis *Apostolicæ*, imo ad salutem & tranquillitatem totius *Christianæ Reipubl.* sanctamque fidem tuendam incumbat; *Lutheri* tamen nullam mentionem fecit: postea vero per legatum suum, *Franciscum Cheregatum*, *Ordinibus Imperii* diploma obtulit, quod totum fere in *invektivis* adversus *Megalandrum* occupatur. Eu n' enim vocavit veterum & jam *damnatarum hæresium suscitatore*, *Christianæ* charitatis & pietatis *Evangelicæ*, non oblitum modo, sed & impie contemnente, qui novos quotidie libros errorum, hæresium, contumeliarum ac seditionum plenos divulget, ac veluti pestis quædam, *Germaniam* & vicinas regiones longe lateque pervadat &c. Deinde culpam nimiam tolerantiam Principum, quod non in ipsa herba oppresserint exorientem hæresin: & periculum exaggerat, quod alio non tendant iniquitatis filii (*Lutherani*) quam ut libertatis nomine obedientiam omnium sublata, quid cuique libuerit faciendi licentiam inducant, & in *Laicorum* bona & cervices involent, qui ab *Ecclesiasticis* sibi non temperaverint, & sacrilegis manibus *Dei Sacerdotes* attentare præsumserint. Mo-

Adrianus
Papa literas
ad Trident.
Electorem.

Comitia
Norimber-
gæ habita,
invektiva in
Lutherum.

igitur omnes atq; singulos, ut toto animo incumbant, quomodo Lutherum, ceterosque istorum tumultuum & errorum autores, ad rectam sentendi & vivendi viam reducant, aut, si silentis remediis nil effici queat, asperioribus utantur, & in eos juxta sacras constitutiones, juxta leges Imperatorias & recens edictum severitatis virga in eos animadvertant, & capitali supplicio illos afficiant, sicut Deus ipse schismaticos fratres, Dathan & Abiran in terræ barathrum vivos demerferit, & nolentes obedire Sacerdotis Imperio, capitali supplicio puniri jussit; sicut Petrus Ananiam & Saphiram, pii Imperatores Jovinianum & Priscillianum, majores Hussum & Hieronymum Pragensem ferro flammaque sustulerint.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 567. b. 568. seq. Tom. II. Alt. pag. 237. seqq.

§. XLIV.

*Instructio
legati Pon-
tificis ut 7. ra-
tionibus or-
dines in Lu-
therum in-
citet.*

Præter has Pontificis literas protulit etiam in Conventu Nuncius Papalis mandatum, quo illi erat præscriptum, ut Principibus significaret, Papam successum felicem Lutheranae sectæ valde dolere, ideoque se summopere petere, ut maturime huic veneno obviam eant Imperii Status. Quam in rem septem rationes, quibus eos persuaderet, urgeri voluit. I. Erat gloria divini nominis, omnibus bonis merito præferenda, quæ per ejusmodi hæreses valde lædatur, & cultus receptus non tantum minuatur, verum etiam funditus extirpetur: item charitas proximi, quæ quemque movere debeat, ut fratrem ab errore revocet. II. Dedecus & infamia Germanicæ nationis, quam sibi Lutherana factione attrahat, cui antehac laudi cesserit singulari, quod constanter antiquæ religioni adhæserit. III. Existimationis propriæ aspectus, ne videantur aut degenerare à majoribus suis, qui Constantiæ Joannis Husi aliorumque hæreticorum condemnationi maximam partem adfuerint, ac nonnulli etiam suis manibus ad ignem Hussum deduxerunt; aut sibi ipsis non constare, quorum plurimi non ita pridem edictum Cæsareum con-

tra

tra Lutherum approbaverunt. IV. Injuria à Luthero ipsorum majoribus facta, aliam fidem prædicante, quam ipsi agnoverint: & consequenter ipsos infernalibus pœnis adjudicante. V. Finis Lutheranis propositus, nempe secularis potestatis nervos incidere, abrogata semel Ecclesiastica, obtentu usurpationis contra libertatem Evangelicam: Utcunque ad incautos decipiendos callide simulent, se illam sartam rectam imprimis cupere. VI. Dissensiones & turbæ, quæ per illam sectam excitatæ sunt in Germania. VII. Postremo, quod *Lutherus* ad hæresin suam disseminandam iisdem artibus utatur, quibus olim usus *Mahometes*, exsatiandis carnis cupiditatibus frena laxans, licet, ad efficacius fallendum, majore in speciem moderatione. Qui his aliisve argumentis commoveri se haud sinant, sed pertinaciter in errore perseveraverint, in eos severe animadvertendum esse, vi mandati Papalis & Cæsarei; at in gremium Ecclesiæ redeuntibus & hæresin abjurantibus parci debere, exemplo Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Quod si quis dicat, *Lutherum* indefensum, & inaudita causa à Pontificia sede damnatum, eoque antea audiendum esse, quam puniatur; ei respondendum: æquum quidem esse, ut audiat in rebus facti, an hoc vel illud concionatus sit, aut scripserit, nec ne. In rebus vero fidei ac materia Sacramentorum, id non esse consentaneum, quod dogmata generalium Conciliorum & Ecclesiæ autoritate semel approbata, nunquam sint in dubium revocanda, secundum *Ambrosii* effatum: argumenta & demonstrationes cessent, ubi fides quæritur; piscatoribus creditur, non Logicis.

In hoc tamen *Adrianus* candorem quandam & libertatem *Ingenua* Belgis innatam declaravit, quando in mandatis simul Legato de- *Adriani* dit, ut ingenue fateretur suo nomine, corruptionem in Eccle- *confessio de* siam Romanam irrepssisse, & reformatione quadam opus esse. *corrupt. Ec-* *cles. & refor-* *mationis* Dices, inquit, *ipsis*, *ultra nos confiteri, quod Deus hanc perse-* *quutio- necessitate.*

quationem Ecclesiæ suæ inferri permittit, propter hominum peccata, sacerdotum maxime, ac Prælatorum. Certum enim est, manum Dei non esse abbreviatam, ut juvare & salvare nequeat; sed peccata nostra dividunt inter nos & Deum, &c. Jes. LIX. 1. 2. E Sacerdotum peccatis, populi peccata derivari, scripturæ clamant. Ideoque Salvator (interprete *Chrysostomo*) curaturus infirmam civitatē Jerusalem, prius templum ingressus est, ut sacerdotum peccata, e mentium imprimis & vendentium, primo castigaret, instar boni Medici, morbum à radice curantis. Scimus in sancta sede aliquot jam annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, omnia denique in perversum mutata: nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios descenderet. Omnes nos, id est, Prælati Ecclesiastici declinavimus, unusquisque in vias suas, nec fuit jamdiu qui bonum faceret; inde necesse est, ut omnes demus gloriam Deo, humiliemus ei animas nostras, videamus unusquisque unde ceciderit, & se potius quisque judicet, quam à Deo in virga furoris judicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis: Nos omnem operam adhibi- turos, ut hæc primum Curia, unde forte malum hoc omne processit, reformetur, ut sicut in omnes inde corruptio emanavit, sic ab eadem etiam sede sanitas, & omnium emanet reformatio. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto mundum universum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus.

De se ipso memorat, quod Pontificatum non ambierit, ac maluerit inferiore loco esse Deoque in beata quiete servire: imo oblatum ultro repudiare voluerit, nisi timore Dei, honesta electione & metuenda seditione à schismaticis compulsus fuisset: quod tamen non alio animo hanc dignitatem susceperit, quam ut sponsam Christi deformatam, Ecclesiam Catholicam reformaret, oppressis subveniret, viros doctrina & pietate claros, qui
diu

diu fatis neglecti jacuerint, (*provisionibus*, ut paulo post ait, *Apostolicis*, ad histriones & stabularios delatis) erigeret & ornaret, aliaque ageret, quæ bonum Pontificem & legitimum Petri successorem agere oporteret. Neque tamen debere cuiquam videri mirum, si non primo quoque tempore omnes tollantur errores & abusus; cum enim morbus sit inveteratus & multiplex, pedetentim in ejus cura progrediendum, & prius gravioribus magisve periculosis occurrendum, ne forte, dum omnia pariter tententur, repentino medendi impetu omnia conturbentur.

Monuit etiam, suis uti verbis polliceretur Nuncius, se pacta, quæ cum Pontificibus olim confecerant, (*Concordata* vocant) observaturum, & in lites forenses, quas ab Auditore *Rota* Romam evocatas in Germaniam transferri petant, brevi inquisiturum: ut ex juris formula ad partes judicium rejiciatur. Denique ut à Principibus & Ordinibus responsum literarum flagitet, simulque rationem ab iis addiscat, qua commodissime Lutheranorum sectæ obviam eatur.

Tom. II. Alt. pag. 240 -- 243 P. Suav. Hist. Concil. Trid. pag. 22. 23.

§. XLV.

Quod qualeve pondus habuerit hæc publicata à legato Pontificis Adriani instructio, vel ex ablegati Saxonici, *Johannis de Planniz*, Equitis, binis literis ad *Fridericum Electorem*, sub finem A. MDXXI. & initium anni MDXXIII. datis, postere Tom. II. Alt. collocatis, intelligi potest. (m) His enim Hero suo significavit, urgere vehementer Nuncium Pontificium, ut Pastores Evangelici Norimbergæ ad S. Sebaldum, in Xenodochio & apud Augustinianos captiventur, & transfugæ è Monasteriis, ac secularibus negotiis se addicentes, Sacerdotesque uxorati coerceantur ac castigentur: omnes in ordine Ecclesiastico Luthero adversari, & clamare tollendum crucifigendumve illum esse. Omnia ad seditionem vergere in Imperio, & malitiam invidiamque ita esse radicatum, ut nihil boni

O

spera-

*Publicata instructio
Papa quid
effecerit?*

sperari expectarive queat. Deesse viros pios, peritos & prudentes : & similem faciem rerum esse, ac fuerit tempore Pharaonis Regis Ægyptii, ut Deus suam gloriam & potentiam per hostium veritatis indurata & excœcata corda demonstraturus sit. *Sleidanus* in *Comment. de Statu Relig. & Reipubl. L. IV.* scribit, Lutherum Pontificis instructionem Ordinibus traditam sermone populari convertisse, & in marginem annotatiunculas addidisse, ac inter alia exagitasse illud, quod Pontifex dicebat *pedetentim oportere procedi*, quod ita ex Papalimamente sive interpretatione accipiendum notat, ut *singuli pedes atque passus aliquot seculorum intervallum habeant*. *Seckendorff.* autem (p. 255.) observavit, has annotationes marginales Lutheri se in ejus Tomis non invenire. De *Brevi* quodam *Adriani* contra Nostrum (n) *ad Consulem & Senatum Civitatis Bambergensis*, (ubi *Johannes Baro Schwarzenbergius*, Aulæ Magister, aliique Luthero favebant) constat, quod, cum valde injuriosum & imperitum esset, Latine & Germanice editum cum notis ad marginem aculeatis, & cum ruditate tum impietate Papæ detegentibus, prodierit. Subjuxit etiam *Responsum* Lutherus, quo non solum utiliter accipit, quod *Adrianus VI.* tanquam abdicata & deposita illa potestate, quam hæcenus Papa sibi unatrogaverit omnia judicandi, judicium permittit Bambergensibus, rectene à se dictum S. Petri (2. Epist. II. 2. ff. de sectis perditionis subrepentibus) allegatum & enarratum sit, an non? verum etiam valde orat non solum Bambergenses, sed & omnes Christianos ubique locorum, ut permissum illud judicium amplectantur, & inter se ac Papam judicent: utrum Lutherus, an Pontifex Romanus sectas, nova vitæ genera, & ordines instituerit extra illum communem Christianæ fidei ordinem? Item: utrum Lutherus, an Papa aliquid amplius, quam solum verbum Dei doceat? Ita, inquit, deprehenderit, qui sint illi Magistri mendaces à S. Petro hic nominati, & quam belle *Adriannus* Pontifex

Breve Adriani ad Senatum Bamberg. contra Lutherum, & Lutheri ad id responsum.

tifex Lovanii Scripturam interpretari didicerit. Item: utrum Lutherus, an Papistæ per avaritiam fictis verbis de Christianis negotientur, & carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulent, ac dominationem contemnant? Item: utrum Lutherus, an Papa Reges ac Principes contemnat, excommunicet, & in tertiam, quartam, ac nonam generationem devoteat, & sic de cæteris omnibus, de quibus S. Petrus in citato dicto loquitur.

Hinc gratias agit Deo, quod Papæ & Papistarum stultitiam & inscitiam plane velit in lucem proferri, ut confundantur & pudeant, & ipsi sese apud omnes contemptos reddant, quo Danielis prophetia impleatur, ubi de Antichristo inquit: *sine manu conteretur* Cap. VIII. & 2. Tim. III. *non proficient amplius; insipientia enim eorum evidens erit omnibus, sicut Janni & Jambri accidebat.* Exprobrat etiam Papæ, quod cum velit perhiberi omnium Christianorum Magister, nihil amplius dicere noverit, quam illud: *Lutherus solus vult sapere:* hoc & illo modo contra antiquam consuetudinem, contra Doctores docuit. An non vero nos, cum tot majoribus nostris errasse oportuit? Quas muliebres, pueriles, Monachorum & Sophistarum querelas vocat. Decuisse enim Pontificem allegare Scripturam atque ita ratiocinari: ecce hic est verbum Dei; hoc & illo modo Lutherus contra verbum Dei docuit. Si sola, inquit, consuetudo & mos vetustus sufficit, cur non Judaicam, Turcicam & Ethnicam fidem amplectimur? Cur non assentimur Diabolo, cui jam inde ab initio perpetua consuetudo est esse malo: Quando Pontifex jactitabat, hactenus semper veritatem mendacio superiorem fuisse, id verum esse largitur; addit tamen, veritatem sæpe opprimi, & cogi interdum, sicut & Christo acciderit, mori & sepeliri, eam tamen rursus emergere & resurgere. Ita sub Papatu Christianam veritatem oppressam jacuisse, prout Dan. VIII. cap. prædixerit fore; verum oppressionis illius jam

finem esse, & veritatem cum Christo diu sepultam nunc iterum emergere, & mendacia Papistica vicissim prosterni oportere: & præclare id jam fieri cœpisse, seque existimare Papatum una cum suis squamis vere mundo factum esse ostentui, magno cum ipsorum probro & ignominia, adeo, ut eorum scelera & turpitudines clam & aperte hæctenus perpetrata, etiam à pueris & scurris decantentur, quemadmodum idolis acciderit Apostolorum & Martyrum temporibus; ut retribuatur ipsis pro superbia sua, qui quidem antea summis etiam Regibus ac Principibus terrori fuerint.

(m) *Tom. II. Alt. p. 276. & 269. seq.* (n) *Tom. II. Jen. Lat. fol. 569. b. 570-573. Tom. II. Alt. pag. 243 -- 247.*

§. XLVI.

*Ordinum
responsum
Legato
datum &
gravamina
C. nationis
German.*

Neque à Principibus & Ordinibus in causa *Lutheri* obtinuit Legatus Pontificius, quod quærebat; siquidem illi scripto respondebant, se quidem graviter molesteque ferre, si quid ex doctrina *Lutheri* incommodi per Germaniam ortum sit, & ad errores omnes præfligandos esse paratissimos; quod vero ex formula Pontificii Cæsareique edicti pœnam de *Luthero* non sumferint, id non levi de causa prætermissum. Plerosque enim omnes sermonibus & libris ejus ita eruditos esse, ut si decretum illud adversus ipsum valere debeat, magna pars hominum suspicatura esset, id fieri ad opprimendam Evangelii veritatem, & tuendas impietates manifestas, in quas ille invectus fuerat. Unde tumultus populares & seditiones haud dubie metuendæ sint; quum negari non possit, & ipse etiam Nuntius liberaliter fateatur, gravibus vitiis & abusibus laborare Curiam Romanam, ejusque emendationem polliceatur. Nisi ergo plurima mala corrigantur, & *gravamina*, quæ jam & olim & nuper *Wormatiæ* colligi cœpta & in capita 67. puncta vero 100. digesta & omnium ordinum consensu approbata sint, de ingentibus pecuniarum summis, ex indulgentiis, dispensationibus,

EXCOM-

excommunicationibus, beneficiorum reservationibus &c. ab Episcopis extortis, (vid. *Catal. Test. verit.* p. m. 482--520.) tollantur, quod quidem optime fieri possit, per Concilium pium, liberum & Christianum, in aliqua Germaniæ civitate, brevi, hac lege & conditione coactum, ut omnibus qui intererunt, tam laicis quam Ecclesiasticis, potestas fiat libere pronuncian- di ac consulendi, quod ad Dei gloriam animarumque salutem maxime conducatur. Legato hoc Ordinum responsum non arri- debat: ad illud igitur replicabat, causam, ob quam edictum Pontificium & Imperatorium contra Lutherum executioni mandatum non fuerit, invalidam esse; longe enim majorem salutis animarum quam tranquillitatis publicæ rationem ha- bendam. Unde in executione decreti adhuc perstitit. Ad postu- lationem de *Annatis*, Pontificis responsum expectandum di- xit. Concilium vero non ita restringendum esse, ut Pontifici manus ligentur per ea, quæ de Consensu Cæsaris, de libertate suffragantium, deque relaxatione juramentorum addidissent ordines. Ad hanc legati replicationem Principes, cum viderent, illum metiri bonum & malum ad solam amissam utilitatis Curia Romanæ, non autem ad modulum necessitatis Germa- niæ, repetunt priora, & Nuncium iis acquiescere jubent, do- nec gravamina Germanicæ nationis Pontifici transmissa essent, & de effectu blandorum verborum, quibus usus fuerat, consta- ret. Nisi enim illa onera ocysus ex oculis mortalium sublata, abolita & abrogata fuerint, ea se diutius tolerare nec velle nec posse, sed rei iniquitate cogi, ut pro suo captu & industria de aliis commodioribus viis atque mediis cogitent, quibus exone- rari ab illis molestiis ac in pristinam libertatem vindicari possent. Quibus auditis legatus Pontificius inopinato discessit, ut C. il- lorum gravaminum exhibitionem evitaret. Nihilominus ta- men acta omnia in his Comitibus cum gravaminibus typis exscri- pta, Romam quoque pervenerunt, ubi aperta illa ingenuaque

Confessio Pontificis, in Curiam Romanam & ordinem Ecclesiasticum, tanquam mali fontem, culpam cognoscens, parum gratis multorum auribus accipiebatur, Præsulum maxime graviter indignantium, tanta se apud populum invidia & ignominia onerari: neque se tantum in contemptum hominum adduci, sed Lutheranis quoque hoc facto crescere audaciam & proterviam &c.

Sleidan, *Comment. L. IV. Petr. Suav. Hist. Concil. Trid. L. I. p. 23. ff.*
Seckendorf, *pag. 255. seqq.*

§. XLVII.

*Breve Adriani ad
Frider. Elector. durum
& minax.*

Antea vero quam *Cheregatus* discessisset, ad Electorem *Fridericum* Breve prolixum satis sive minaces literas *Adriani* misit, quibus jactavit, Electoris dignitatem Saxonix Ducibus à Gregorio V. Papa, natione Saxone, collatam esse, hujusque beneficii oblivionem *Friderico* exprobravit, ejusque fidem & conscientiam multis argumentis tentavit, quod Lutherum tolerando & fovendo, maximam Ecclesix cladem intulerit, cui subvenire debuerit, ac merito ei tribui, quod ab unitate Ecclesix recedant passim multæ regiones, quod avertatur vulgus indoctum, & bis mille præstigiis retrahatur à fide quam suxit ab ubere materno. Quod Basilicæ sint sine plebibus, plebes sine Sacerdotibus, Sacerdotes sine debita reverentia, & sine Christo denique Christiani. Quod sacrata fidei non sacra censeantur. Quod sanctuarium Christi, Dei sanctum esse negetur: dies festi festivis frustrentur solenniis: quod moriantur homines in peccatis suis: rapiantur animæ ad tribunal terrificum: nec pœnitentia reconciliati, nec sacra communione muniti. Quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confusus sit: & pro Christiana pace ac tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia cum magno ac manifesto Christianæ Republicæ discrimine, veluti classico passim excitati. Pro his egregiis scilicet, ex mente Papæ, Electoris in Ecclesia Christi meritis

ritis, quo præmio, imo quo supplicio dignus sit, facile patere. Ac ne excipere vel excusare se Elector possit, quod à Luthero tanquam serpente deceptus sit, cæcam dementiam ei objicit, quod uni homuncioni, cooperto peccatis, quam tot sanctissimis Patribus, tot universalibus Conciliis, sanctæ denique & Catholicæ Ecclesiæ plus credere potuerit, ac id forte sibi imponi passus fuerit, quod veterator ille de capitulis Scripturarum visus fuerit sua confirmare. At vero quosvis hæreticos idem fecisse, & Scripturas perverse explicasse, & Lutherum se prodere fructibus nequissimis, quum imagines sacras, & ipsam Christi crucem, sceleratis manibus confringere & pollutis conculcare pedibus non formidet: quum non dubitet cathedram Apostolicam appellare cathedram pestilentiæ, Antichristianam & Diabolicam, nec desinat laicos ad lavandas sibi in Sacerdotū sanguine manus sedulo concitare, Patres contemnere &c. Quæ omnia ex spiritu Antichristi proficiantur, & opera carnis sint manifesta ac diabolica. Merito igitur se mitari, quod Elector ex diabolicis istis operibus, veluti fructibus nequissimis, arborem pessimam nondum cognoverit, ac eum obsecrat per viscera nostri redemptoris, per Christianam unitatem, per patriæ charitatem, per suam ipsius suorumque salutem, ut misereatur Ecclesiæ Christi, Saxonum seductorum, & in gremium Matris redeat, nisi utrumque gladium, Apostolicum simul & Cæsareum, olim experiri velit.

Elector his Adriani literis non parum offensus *Plaunitio* mandavit, ut cum Nuncio exoptularet; quod cum is fecisset, Hero significavit, varia eum prætexere ac dicere, se argumentum literarum ignorasse, negare etiam Decreta Papæ aut Cæsaris (ut fama ferebat) in Electorem cudi, polliceri insuper se Pontificem placare velle; queri tamen, quod à pueris in plateis subfannaretur: excusare etiam concionatorum coercitionem,

nem, & Ferdinando eam imputare, itemque Moguntino & Salisburgensi.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 572. b. -- 576. Seckend. pag. 259. b.

§. XLVIII.

Providentia singularis indicia ex Actis Comitiorum ostensa.

Interim in dictis Comitibus varia consilia agitata sunt, ab hostibus de opprimendo *Luthero* & Evangelio ab eo in lucem producto atque predicato, annitente etiam in primis Duce *Georgio*, mittente ad comitia *Lutheri* libellum de *communione sub utraque*, & vehementer apud Ordines instante, quia jam manifestum esset, ubi ageret & scriberet, ut debito modo contra eum decerneretur. Sed nuncius cum dilatorio responso dimissus & deinceps negotium *Lutheri* paulo mitius tractatum fuit, cum *Ferdinandus* & *Georgius Saxo*, qui paulo post accurrerat, ad suos rediissent, ac plerique Ordines Electori Brandenburgensi executionem Wormatiensis edicti maxime urgenti, repugnarunt. Ac licet Ecclesiastici ingentem tumultum, quoties de *Lutheri* causa actum est, excitaverint valdeque exarserint, tamen prudentia *Friderici* & ejus consiliariorum, *Feilitzschii* & *Plaunitii*, præsertim vero divina providentia factum est, ut machinationes pravæ impedirentur, & veritatis Evangelicæ lux magis effulgeret. Videbant enim, ut *Illustr. Seckendorffii* verbis (p. 261. b.) utar, Imperii proceres naves plerosque Hierarchiæ, eosque in centum illis gravaminibus multa cum libertate ostendebant, ita, ut nec illi querelas improbare possent, quorum interesse videbatur, ne fierent. Omnium quippe conscientia eatenus informata & convicta erat, ut Concilio opus esse unanimiter statuerent, utque jam rigorem illum, quo Wormatiæ *Lutherum* ejusque dogmata præcipitanter tractaverant, intempestivum esse agnoscerent. Doctrinæ publicæ, quæ ad populum erudiendum pertinet, emendationem, sive verbi divini sinceram propositionem & piam explicationem, uno ore flagitabant, quo ipso abusus priores evidenter arguebantur. Quid autem

autem hac rerum facie Pontifici pro Pastoris universalis, quod gerere se dicebat, officio, magis curandum agendumque fuisset, quam ut iustissimis desideriis inclutæ nationis, cujus exemplum jam aliæ plurimæ probare & sequi incipiebant, & dum ex proceribus nemo adhuc obsequium ei aperte denegaret, aures benignas præberet, viasque & modos vel proponeret, vel admitteret, per quos ante omnia veritati divinæ satisfaceret, deinde & concordiæ & tolerantia in iis rebus ratio haberetur, quæ salva veritate cum aliquo licet commodi Clericalis dispendio mutari potuissent.

§. XLIX.

Ipsum Decretum Ordinum iis conceptum verbis erat, ut tam Romanæ Ecclesiæ quam Lutheri fautores in suum sensum illud acciperent. Unde *Lutherus* datis ad *Locum tenentem* seu Præsidentem & Status Imperatorii Regiminis Norimberg. literis, significavit, se magna gratiarum actione illud mandatum legisse, populoque Wittembergensi diligenter proposuisse & commendasse, ac sperare se omnino, Deum id ordinibus inspirasse, eoque prorsus constitutum cum animo suo habuisse, eidem, cum S. Evangelio non impedimento sed incremento potius futurum existimet, per omnia pro viribus obtemperare. Verum quum videat multos, etiam inter Principes, non solum ei denegare obsequium, verum etiam præsumere varias interpretationes ei affingere, licet clarissimis verbis sententia expressa sit, ut quilibet Germanicam linguam callens eam assequi possit, cogi se declarare, quomodo ipse illud accipiat, & confidere suam opinionem convenientem esse voluntati Ordinum in edicto expressæ. Quod igitur *I. Evangelium doceri jubeant secundum Interpretationes ab Ecclesia Christiana receptas, & approbatas, à plerisque sic intelligi, docendum esse juxta doctrinam Scholasticorum, Thomæ & Scoti, & aliorum, quos Romana Ecclesia approbaverit: se vero nihil in mandato reperire de Romana Ecclesia,*

*Lutherus
decretum
Norimberg.
declarat,
quomodo id
accipiat.*

clesia, nec de Doctoribus Scholasticis; recte igitur de vetustioribus illis accipere, *Hilario, Cypriano, Augustino*, & horum similibus: ac ne his quidem esse tantam tribuendam fidem, ut non longe præferantur iis Biblica scripta, non invito *Augustino*, qui solis Canonicis libris hunc honorem tribuat, ut eos pro regula habeat. Nec dubitare se, quin & hæc sit ipsorum sententia: & argumento esse, quod nonnulli, qui veram Ecclesiæ emendationem ferre non possunt, recusarint huic edicto subscribere, & ne nunc quidem illud suis proponi patiantur. II. *Ut Episcopi diligant homines doctos & Scripturarum peritos, qui concionibus adsint, & leniter admoneant errantes; in refractarios autem animadvertant; ita quidem ne veritas Evangelica opprimi videatur.* Recte quidem esse decretum, sed illos, quibus mandatum sit, etiam ut velint, tamen non posse decreto satisfacere, quod viris doctis & literatum sacrarum peritis careant, sed illis utantur, qui præter Sophistica nihil unquam in Academiis, Collegiis & Monasteriis didicerint, & non nisi excommunicationibus, anathematismis aliisque sæviendi modis asueti sint. III. Quod interdican, *ne quid librorum deinceps exeat usque ad Concilium, nisi prius viri docti ad eam rem delecti iudicium fecerint:* non se recusare quidem, sed tamen sic illud accipere, ut ad Sacræ Scripturæ libros non pertineat; quo minus enim hi prodeant in lucem, non posse prohiberi. IV. Quod statuerint *de Sacerdotibus, qui vel uxores ducunt, vel ordinem suum deserunt, juxta leges Pontificias mulctandis,* nimis durum videri ait; nam si pure Evangelium docendum sit, (ut ipsimet fateantur) jam certe mitigandam esse legem illam pontificiam: ac deplorat ejus temporis pertinaciam, quod in tam clara Evangelii luce lex illa durissima cœlibatus non abrogeretur, quæ plurimorum scelerum causam occasionemve præbeat. Porro distinguit inter monachos & parochos atque beneficiarios: illos, qui desertis monasteriis conjugio operam dare velint, de victu & vitæ genere

genere sibi prospicere debere, infamia tamen & poena carituros. At pro reliquis, qui non saltem sacerdotiis & præbendis, ob conjugia inita exuti hæctenus, sed & carcere & aliis duris modis puniti fuerint, & Edicto hoc mitius quidem, sed tamen ad privationem beneficiorum condemnentur, per Deum orat proceres, ut necessitati naturæ inevitabili indulgentes, rigorem mitigent, cælibatum impossibilem nemini injungant, nec conjugatos durius habeant, quam fornicatores, quos nemo sacerdotio & dignitate spoliaret; addit, ea sibi quotidie ex omnibus regionibus de fœditate cælibatus scribi, ut si ea vel inimicissimi sui scirent, ad monasteria evertenda secum credat concursuros esse. Sibi deinde, stante hoc Edicto, adversus anathema & proscriptionem Papæ & Cæsaris ad Concilium usque securitatem concessam esse confidit, mandatis præsertim obsequenti; addit tamen, quia mundo molestus sit, mundusque sibi, parum sua referre, proscribitur sit nec ne.

Tom. II. Alt. p. 290--293. Conf. Sleid. p. 89. seq. & Seckendorf. p. 263.

§. L.

Quod hujusmodi notas in Edictum Comitiale fecerit Lutherus, minime vitio ei verbi potest, ut nec illud, quod deinceps varia scripta ediderit. Nam, ut *Plannizius* d. V. Martij sub finem Comitiorum significabat (o) Electori, *Johannes Faber*, Suffraganeus Constantiensis, mandato instructus fuit, ut contra Lutherum concionaretur, & ut salvi conductus literæ ei darentur, postulabatur. Hinc *Lutherus* (p) in Epistola d. XXIX. Maji ad Electorem Sax. monentem, ut à dura scriptione abstineret, data, animose profiteretur, se, quæ ad veritatem divinam pertinent, tacere non posse, illiusque solum propagandæ, neminem vero lædendi causa, scribere: & quoniam à *Johanne Fabro*, Vicario Constantiensi, refutatus sit prolixo libro, Lipsiæ impresso, contra conjugium; itemque *Emserus* aliquid editurus sit, non posse se ista silentio transmittere, ne opprimatur ve-

Electori se
purgat &
provocari
ad scriptio-
nem à Fabro
& Emsero,
refert.

ritas. Quod ne fiat, in ipso Edicto nupero prospectum sit. Se vero non pudere verbi Domini sui, & paratum esse, quicquid Deo visum fuerit, pro eo pati, cum ita certus sit de sua doctrina & scriptis, quod ex Deo sint, ut non reformidet Verbum Dei sui coram omnibus diabolis defendere. In Epistola ad *Spalatinum* Sabbato post Kiliani scripta, (q) molestissimum sibi esse significat, tanto numero volare Wittenbergam defectores Monachos, & statim uxores ducere, cum sit genus hominum ad res gerendas ineptissimum: & se cogitare quotidie de consilio, ut modus isti rei figatur. Epistolas suas vernacule editas, absque sua culpa exiisse, se clausas signatasque mittere voluisse, sed D. *Hieronymum* alteram, scilicet ad virgines, alteram *Amsdorsium* edidisse. Se plane nihil æque optare, quam nihil edere; festum enim esse talia scribendo; sed Lucæ prælum indigere sumptu, ideo Cæsaris mandatū se declaravisse, & jam VII. Caput prioris Epist. ad Corinthios exponere: quam expositionem consecravit *Johanni Læsero*, Archimarschallo Saxon. (r) Ut id faceret Noster, motum cum esse video scripto Fabri, cujus mentio injecta est, ubi statim ab initio invehitur in eos, qui stulte dissuadent statum conjugalem, ob multa incommoda, cum tamen ipsi mulieribus carere nequeant, & fœdis scortationibus indulgeant. Hujus generis quoque esse ait stolidissimum (*Erhnarr*) *Joannem Fabrum*, imo celebrem scortatorem (*Hurentreiber*) qui magnum volumen nuper ediderit contra matrimonium, & quemlibet deterrere cupiat ab eo contrahendo, nullo tamen alio argumento, quam quod ex molestiis & laboribus, quibus conjuges obnoxii sint, petierit. Indignos esse tales, quibus respondeatur. Ediderat jam ante (s) *Lutherus* d. 28. Martij Epistolam ad *ordinem Teutonicum* directam, de vitanda falsa castitate, & arripienda vera castitate conjugali: quæ forte movit *Fabrum*, ut in *Lutheri* aliquid cuderet. *Lutherus* autem (t) D. *Jona* reliquit *Fabrum* refutandum, allatis causis, cur ipse non respondeat: i.

quod

Expositio-
nem edit in
2. Cor. VII.

D. *Jona* re-
futationem
brum

quod nil afferat, quod non sit antea, non uno in libro à se refutatatum, victum & triumphatum. 2. Quod tanta colluvie tot doctorum, ab hominibus sumptorum, non videatur Papam ac Papistas voluisse defendere, aut Lutherum impugnare, sed ostentare, sese multos libros vidisse.

(o) *Ap. Seckend. p. 260. b.* (p) *Tom. II. Alt. pag. 348. a. b.* (q) *L. II. Epist. pag. 139. b.* (r) *Tom. II. Alt. p. 383. a. b. 384. ff.* (s) *ibid. pag. 293. ff.* (t) *Tom. II. Epist. pag. 129. seqq.*

§. LI.

Similiter *Lutherus D. Joanni Brismano*, Minoritæ Wurzburgensi confutandum reliquit libellum *Caspari Schazgeyeri* contra se editum, super *Votis & Missis*, qui antea quoque insulsum illud scriptum, quod *Scrutinium* appellavit, ediderat, propterea quod ipse occupatior sit, quam ut respondeat, ac licet hominem indoctum in re sacra contemnat, cogitetque nec responsione sua millies iterata firmari adversarios posse, qui tam vanis scriptis moveantur ad dissentiendum libello suo de *Votis*, omnium, quos scripserit, munitissimo, & quod auctus gloriari, invictus; tamen amicis quibusdam sic instantibus & urgentibus cessasse, ut respondendum illi esse censeret. Monet igitur *Brismannum*, ut, cum Minoritarum Sectam egregie calleat, & probe intelligat, quot *Locis* *Theaurivora* ille *Indagator & Conator*, (librum enim posteriorem *Indagine* & *Conatus* inscripsit) mentiatur, dum conscientia & experientia aliter edoctus, fidem & castitatem apud religiosos tam vulgarem esse jactitet, hypocrisin ejus detegat. Eam in rem capita confutanda suppeditat, nimirum I. quod dicta *Scripturæ S.* omnibus Christianis communia, ad suum pediculosum cucullum aptet. Unde ex *Aristotele & Porphyrio* convinci queat, quod aliud sit communia & propria dicere, ac accidens commune & proprium. Inprimis autem illud accipi posse tanquam capitale totius libelli, quod gloriatur, *Monasticen* non esse contra *Scripturas*, ne

jota quidem, ideo sentiendum esse secundum illud Christi: *qui non est contra nos, pro nobis est*, cum tamen hoc unicum egerit (Lutherus) ut probaret ipsum Monasticum institutum ex natura sua esse contrarium sacris literis; & *Schazgeyerum* dejicere posse illud ejusdem Christi: *qui non est mecum, contra me est*. II. Rechabitarum exemplum pro Monastice alleganti *Schazgeyero*, retorquendum esse, & pugnare id potius contra Monasticen sacrilegam, quæ fere semper contra parentum autoritatem filios attrahat, & prorsus extinguat illam obedientiam divinitus statutam, sua abominabili, execrabili & electitia obedientia. Neque enim Rechabitis à patre talia esse præcepta, quod his operibus quendam cultum singularem erigerent: neque pertinuisse illa ad res spirituales & animam, quæ in nostra manu non sunt, sed fuisse sanctionem liberam & corporalem, eamque non tam rigidam, ut si casus tulisset, non potuerit dissolvi aut dispensari.

Tom. II. Epistolar. pag. 113--120.

§. LII.

Epistola Lutheri ad Livonos.

Interea non destitit *Lutherus* varia & utiliora scribere, prout necessitas & occasio ferebat, in gratiam cum exterorum, tum domesticorum sive Wittenbergensium & Germanorum. Ad exteros ut scriberet, moverunt ipsum partim Evangelii progressus felices, partim persecutiones. Inter exteros longius distitos, *Livonos* numero, ad quos Noster instinctu Magistri Ordinis Teutonici, cui tunc parebat Livonia, sub initium A. 1523. libellum scripsit de re Christiana, per modum Epistolæ, qua primo gratulatur Livoniensibus patefactam Evangelii lucem, & doctrinam salutarem, cujus oppressionem plerosque in Germania furiosos Principes & Episcopos pertinaciter moliri conqueitur; ideoque eos secundo monet, ut tempus visitationis gratiosæ cognoscant, ac operam dent, ne mutantur in Galatas à vero Evangelio translati: quum haud dubie venturi sint men-

tita

tita pietate lupi, sublatis veris pastoribus, jam à Deo ipsis datis, quorum opera via veritatis blasphemetur, & illi iterum in Ægyptum ducantur, ut falsa & evicta Dei latria Diabolum viventis Dei loco impie colant, à quo jam Christus cœlesti suo lumine eos misericorditer redemptos adseruerit, inque sui cognitionem perduxerit, ut crederent firmiter, ipsum a deo solum esse nostrum Dominum, Sacerdotem, Pontificem, Magistrum, Servatorem, auxiliatorem & patronum in perpetuum, in omnibus peccatis, morte, necessitate & defectu tam corporis, quam animæ; ut, qui crediderit J. C. per sanguinem suum citra nostri meriti respectum, secundum misericordem Patris omnipotentis voluntatem, animarum nostrarum Servatorem & Episcopum esse factum, certus sit, eam fidem nude, & sine omnium operum accessione Christum nobis donare gratuito, cum omnibus bonis partis, juxta Paulum Rom. III. 28. Hanc fidem tranquillum, lætum & pacatum nobis erga Deum facere animum, ita ut cogatur eundem ex intimis visceribus diligere. Atque hoc tandem esse per Christum venire ad Patrem, & à Patre ad Christum trahi, & pacem cum Deo habere, & agere securo & otioso animo, mortem & omnia necessitatis discrimina expectare. Caput itaque totius Christianæ doctrinæ esse fidem in Christum, & deinceps erga proximum dilectionem. Indulgentiarum autem nundinationes, sanctorum cultum, & quicquid præterea operum ad animarum nostrarum usum pertrahitur, ut venenum lethale & præsentissimum devitandum.

Tom. II. Epist. pag. 122 -- 125.

§. LIII.

Ex Livonia in Belgium progredimur, cujus provinciæ licet *Ad fratres*
durissimo Cæsarei edicti jugo premerentur, tamen semen Evan- *in Hollan-*
gelii capiebant, adeo ut *Fridericus Canirminus*, Delphensis Scho- *dia, Bra-*
læ Rector A. 1522. ad *Hedionem* Moguntiam scripserit, scire se, *bantia,*
si vel semel liceret concionari in publico, res Monachorum *Flandria.*
plane

plane

plane ad nihilum redituras, cum magna ex parte labefactæ sint pauculis in Gymnasio sermonibus à se habitis. (Vid. *Seckendorf. pag. 241.*) Inter Monachos etiam fuerunt, qui propter puriorem doctrinam ignis supplicium sustinuerunt, nominatim, *Henricus Voës*, natu quidem minimus, sed doctrina & facundia cæteris superior, *Johannes Esch*, vel *Nesse*, & *Lampertus*, Augustiniani, ex Antverpiensi cœnobio, unde Bruxellam perducti, & adnitate Pontificis nomine, *Aleandro*, & sævitæ administris, *Jacobo Hochstraten* & *Nicolao Egmondano*, aliisque, duo exusti sunt, propterea quod aperte faterentur, se per scripta Lutheri ad cognitionem Evangelii pervenisse, & per omnia fere cum eo consentire. Hac occasione tristi data *Lutherus ad omnes in Christo fratres, qui sunt in Hollandia, Brabantia & Flandria*, scripsit, iisque gratulatus est, non tantum quod Deus lumen Evangelii admirabile rursus videndum revexerit ipsis, sed etiam primos illos esse voluerit, qui ob suum nomen & Evangelium acceptis injuriis, ignominiam, angustias, tribulationes, carcerem, pericula, mortem denique sufferrent, atque adeo tanto fructu & animi magnitudine eos repleverit, ut qua etiam propria sanguinis effusione conspersi, Evangelium Christi infracto animo confirmare non dubitaverint. Ad hæc beatas felicesque prædicat duas illas pretiosas animas, *Henricum & Johannem*, vitam suam vilem æstimantes, quo Christus verbo suo solus adeo plenioribus præconiorum tibiis ebuccinetur; licet enim ignominioso supplicii genere damnatæ sint, reversuras tamen ineffabili gloria, & inæstimabili gaudio, olim vere judicaturas eos, à quibus hic inique latam sententiam audiverint. Vere enim leviculam, imo nullius prorsus momenti rem esse, à mundo ignominiose tractari, occidi, & calumniari, his præsertim, qui certo persuasum habeant, sanguinem celebrem, & mortem eorum fore pretiosam in conspectu Domini &c.

Tom. II. Epist. pag. 142. seqq. 149.

§. LIV.

§. LIV.

Hoc ipso etiam anno cum fama accepisset, per Annemundum Coctum, equitem auratum Gallum, incredibiliter ferventem in gloriam Dei *Carolus, Ducem Sabaudia*, sinceræ pietatis vehementer studiosum esse, dignum judicavit, ut dignissimus Princeps à se indignissimo, gratulandi officio saltem benediceretur & animaretur, quod exemplo tanti Principis pulcherrimo plurimos lucrifacere possit Christus. Itaque quo certius internoscat quantum cum Evangelicis sapiat Dux, & quam diversum sacrilegi Sophistæ hætenus sub Papa docuerint, aliquot capita per ordinem recensuit, simul velut rationem reddens suæ doctrinæ. I. Docemur & docemus, inquit, salutis initium, imo totum pondus esse fidem in Christum, per sanguinem suum solum, non per nostra opera, peccata delentem, mortis imperium tollentem. Sic enim Paulus Rom. III. 28. Gal. II. 16. 21. Hanc vero adserimus donum Dei esse, & in corde nostro per Spiritum S. creati, non actibus nostris (ut vocant) fingi aut formari, quam illi fidem acquisitam, id est, imaginem somni habent. Res viva est fides, totum immutans hominem, nullo præcedente nostro merito, sed solo verbo Dei, ut dicitur Rom. X. 17. *fides est auditu* &c. Ex quo consequens est, sacrilegum esse & abominabile, quicquid hætenus Pontifices, Scholæ & Monasteria de satisfactionibus, de operibus meritoris, congruis & indignis in toto orbe disseminaverunt: esseque omnia Monasteriorum & Sacerdotum instituta prorsus perditionis sectas, abominationes in loco sancto stantes, penitus abolendas, ut quæ in manifestam sanguinis Christi & fidei injuriam homines persuadent operibus suis fidere, salutem quærere; quod nihil est aliud, quam Dominum, qui nos mercatus est, negare, ut Petrus ait. II. Justificatis jam per fidem verbi, & in societatem Christi incorporatis, omnibusque jam peccatis & morbis in Christo victis, restare, ut bona faciamus & bene vivamus; non ut per hæc

Q boni

*Ad Ducem
Sabaudia.*

boni fiamus, aut peccata deleamus (quod fidei solius est) sed ut
 tanquam bonæ arbores bonis fructibus testemur, nos esse jam
 sine peccatis, & fidem per charitatem efficacem esse probemus.
 Proinde talia docemus opera, quæ non nobis sed proximo tan-
 tum utilia & necessaria sunt. Hic iterum damnantur Monaste-
 ria, & totius orbis vulgatæ illæ foundationes, quod talia sint eo-
 rum omnia opera & studia, tam fundantium, quam fundato-
 rum, ut iis suæ salutis pro suis (ut vocant) animabus, & suorum
 consuluerint. Ex iis jam III. sequitur, quod nullæ traditiones
 aut decreta Patrum, aut statuta Conciliorum necessaria sint,
 aut ad peccatum obligare possint. Quia sicut opera talium ser-
 vata, seu obedientia eorum nihil prodest coram Deo pro pecca-
 tis tollendis (hoc enim solius agni est peccata tollentis, etiam
 totius mundi, per fidem in sese) ita nec neglecta faciunt reum.
 Proinde fatemur mundum esse per Papas, Concilia, Patrum
 decreta miserrime seductum ac irretitum iis hominum traditio-
 nibus, verius autem laqueis diaboli, dum omnibus persuasum
 fuit, iis servatis salutem, iis omissis perditionem contingere.
 Quare & teterrimam illam tyrannidem excommunicationis
 abolitam & desertam oportuit, qua suas abominationes stabilie-
 runt, cum Christiani non alio nisi verbo eo regi debeant, quo
 Christiani, id est, liberi à peccatis fiant, h. e. solo Evangelii Dei
 puro, sine additionibus Conciliorum, Doctorum, Patrum, non
 operibus & virtutibus, nec legibus hominum, sed sola virtute
 Christi in nobis. Quia certum est, Christianos non esse, nisi
 spontaneè boni sint, quod fit vi Spiritus fidei. Certissimus ergo
 certissimi Antichristi ausus & temeritas est, liberos Christianos
 suis legibus vexare stultis & inutilibus, imo fidei noxiis. Insu-
 per manum misit manifeste sacrilegam in Testamentum Dei.
 I. Utramque Eucharistiæ speciem abstulit universo orbi. II. Ex
 Missa (quæ verbum est Evangelii promissionis cum adjecto signo
 corporis & sanguinis Christi, ad fidem alendam instituta) opus
 & sacrificium fecerunt.

Ad

Ad extremum addit monitum, ut Dux suscitaret eam, quæ ardere cepit, scintillam, faciatque ut ignis egrediatur de domo Sabaudia, seu de domo Joseph, & sit ei tota Gallia quasi stipula, & ardeat sanctum illud incendium Christi, imo flagret, ut vere tandem Francia possit dici ab Evangelio Christianissimum, quod hactenus ab impio in Antichristum, propter effusum sanguinem officio, impie dictum sit Christianissimum.

Tom. II. Epist. pag. 156. b. -- 160. Tom. II. Alt. pag. 360. ff.

§. LV.

Ex Bohemis quoque, & speciatim iis, quos *Picardos* vocabant, hoc anno quidam ad *Lutherum* venerunt, fidemque suam, ob quam vel maxime hæretici habeantur, de Sacramento Cœnæ ita explicarunt, ut non male jam de iis sentire se scripserit ad *Hausmannum*. Cum enim libellus Germanica & Bohemica lingua vulgatus esset, ad erudiendos pueros, in quo inter alia hoc legebatur, quod *Christus in Eucharistia non substantialiter præsens (selbständig/natürlich) nec adoranda sit Eucharistia*, *Lutherus* ad se missos à Bohemis rogavit, ut hunc articulum dilucidius declararent, quia coram ex ipsis audiverat, quod unanimiter confiterentur Christum vere cum sua carne & sanguine præsentem esse in Sacramento, ut ex *Maria* natus sit, & in cruce penderit. Quam declarationem posteaquam Latine conceptam accepit, eam non ita perspicuam deprehendit, seu optavit, eoque nec edere nec in Germanicam linguam transferre voluit, veritus, ne propter verborum obscuritatem mentem illorum non satis assequeretur. Ut vero scandalum propter libellum Germanicum ab illis editum tolleretur, *Tractatum Germanicum, Fratribus Valdenses in Bohemia & Moravia* inscriptum edidit, & quanta fieri potuit, perspicuitate hunc articulum ex Evangelio exposuit, ut inde ipsi judicare queant, quomodo utrique convenient. In hujus libelli exordio proficitur, se eos quidem olim, cum adhuc *Papista* esset, pro hæreticis habuisse;

Ad Picardos seu Valdenses in Bohemia & Moravia.

Q 2

nunc

nunc autem non amplius habere: indicaturum tamen, quid in illis desideret. Hinc de Sacramento agens fundamenti loco ponit verba Christi: *edite, hoc est corpus meum, & bibite &c.* quæ non minus attendenda ac reverenter excipienda esse docet, quam ipsum Sacramentum, imo etiam magis. Honorem autem verbis debitum non consistere in externis, ut aureis argenteisve literis scribantur, in serico reponantur, decantentur stentorea aut pulchra voce, vel aulicentur, sed ut corde fideli recipiantur & habeantur pro vivis, æternis & omnipotentibus verbis, quæ nos liberare possint à peccatis & morte, eaque omnia adferre, quæ exprimunt, ac non tantum significant corpus & sanguinem Christi, ut typi Vet. Test. ejusmodi vim significandi habuerint: nec solum inferant incorporationem vel infusionem in spirituale corpus Christi &c. Asserta igitur reali præsentia & communionem, explodit *transubstantiationem*, ac improbat *Sacramenti mutationem in Sacrificium*, ejusdemque ostentationem & circumgestationem; cum hæc omnia claris verbis institutionis repugnent. Quod ad *adorationem* attinet, eam pro necessaria habet, quæ interna animi devotione Christo ipsi exhibetur, juxta Joh. IV. 20. seq. externam autem ceremoniam, in communionem adhibendam, indifferentem habet, quæ sine hæreseos crimine omitti queat; neque tamen si servetur, reprehendi debeat, cum Christus eam nec præceperit, nec prohibuerit. Percurrit postea Waldensium dogmata, & postquam summa & ad salutem necessaria capita, de Dei essentia & personis divinis, de Christi mediatione, de Spiritus S. officio & potestate in Ecclesia, quæ Waldenses agnoscunt, probasset, recteque eos facere dixisset, quod traditiones hominum, purgatorium & ejus causa ordinatas Missas, item Sanctorum cultum rejicerent; non dissimulat tamen, quæ in illorum religione taxet, & corrigenda æstimet, nempe quod præsentiam realem corporis Christi in Cœna, & fidem infantum in Baptismo negent, quod

quod fidei salvificæ in justificationis opere charitatem annexant; quod septem Sacramenta statuunt; quod ministros Ecclesiæ à matrimonio prohibeant. Hæc omnia tamen benigne intelligi vult, quia forte ignoratione linguæ Bohemicæ eorum sententiam minus liquide penetraverit, commendatque iis literarum & linguarum trium, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ studia, perneccessaria futuris Ecclesiæ ministris ad intelligendam Scripturam S. maximopere denique morum innocentiam in iis laudat, ac rogat, ne in sequiorem partem interpretentur, quod liberius scripserit, non alio animo, quam ut puritatem sinceritatemque doctrinæ promoveat & videat, licet vitæ quoque sanctitatem libentissime conjunctam cupiat, vix tamen habitantibus in Sodoma, Gomorrha & Babylonia, sperare liceat.

Tom. II. Alt. pag. 299 -- 310.

§. LVI.

Ad Bohemos vero *Pragenses*, sive Senatū Populūque *Ad Senatū Pragensē*, (u) qui *sub utraque* sive *Calixtini* vulgo dicebantur, *populum-* & in cæteris Pontificem Romanum agnoscebant, & misera ac *que Pra-* dura necessitate coacti (posteaquam Bohemiæ regnum Episco- *gensē de* pis & Sacerdotibus sublatis, vastum & solitarium relictum esset, *instituendis* & vicini prorsus non dignarentur Pastores ordinare, cum pro *ministris* obstinatis hæreticis eos haberent) quotannis in Italiam mitte- *Ecclesiæ.* bant, & magno sumtu consecrationem pastorum petebant, & insigniter sceleratos simul & indoctos, vel lupos potius rapaces accipiebant, Lutherus sæpenumero multorumque literis rogatus scripsit *de instituendis Ministris Ecclesiæ*, in quo primo dehortatur à suscipiendis Ordinibus Papisticis, quos sedes Romana ex amore nummi det; unde manet chaos illud & Babylonia confusissima in clarissimo Bohemiæ regno, dum partim necessitate habendi ministri, partim impotentia corrigendi fiat, ut quisque doceat, quod voluerit, & sub ista confusione populus in sectas scindatur, & nusquam certa ratio credendi & vivendi sit, ut

Q3

tan-

tantum perdicionis illa ministeria esse videantur. Fidenter igitur consulit, ut si nulla alia via possint ministri haberi, quam ista, ut prorsus nullos haberent ministros. Tutius enim & salubrius esset, inquit, quemlibet Patremfamilias domui suæ legere Evangelium, & baptizare, (ex consensu totius orbis & usu) sicque juxta doctrinam Christi se & suos regere, etiamsi tota vita vel non possint Eucharistiam sumere. Si hoc modo duæ, tres, decem domus, vel tota civitas, vel multæ civitates sibi consentirent, & fidem ac charitatem per Evangelium domesticum exercerent, licet nullus in æternum accederet ordinatus, rarus, aut unctus minister, Christus absque dubio in medio eorum esset, & eos pro Ecclesia sua agnosceret. -- Melius est nullum habere, quam sacrilegum, impium & sceleratum ministrum. Nunc autem iis qui credunt & agnoscunt veritatem, liberissima facultas & copia est, omnes impios ministros profligandi, & non nisi idoneos & pios vocandi & instituendi, quoties placuerit. Quod probat prolixè ex Sacerdotio spirituali omnibus Christianis communi, de quo ex ipso hoc tractatu aliquam multa protulimus Loc. XVI. de Christo §. XLI. & reliqua, quæ huc forte pertinent, in Loco de Ministerio Eccles. proferemus. Eadem, quæ ad potestatem eligendi & ordinandi ministros, itemque de religione judicandi spectant, brevius (x) Germanico libello complexus est.

(u) Tom. II. Jen. Lat. fol. 576. b. -- 588. Tom. II. Alt. pag. 496 -- 514.

(x) Tom. II. Alt. pag. 328 -- 332.

§. LVII.

*Molestia
Luthero
creata à Du-
ce Georgio,
cui ille re-
spondit, &
libellum e-*

Ab exteris ad domesticos & Germanos revertimur, qui plus negotii & molestiæ Nostro fere crearunt quam peregrini; adeo ut continuis laboribus respondendi ad multorum quæstiones, refutandi adversarios, consolandi afflictos, & in libris scribendis defatigatus, valetudine valde tenui uteretur, ac vitæ eum non semel pœniteret: accedebat aulæ tepor, & res domi angusta,

sta. Unde (y) *Georgio Spalatino*, cum accepisset exemplar *Epistolæ* irati *Ducis Georgii*, scripsit se febrim è balneo contraxisse, *didit, quod*
 Deoque propterea gratias agere, ac optat, ut Deus & mortem *7. C. natus*
 alicunde mittat, & liberet se miserum de his malis mundi. Na- *fuert in-*
 ctus enim erat *Dux Georgius* copiam literarum, quas *Lutherus*
 ad *Harthmutum de Croneberg*, potentem in tractu Rhenano e-
 quitem, voce & scriptis mascule (z) causam Evangelii defen-
 dentem, ac eo nomine ad Papam, Cæsarem Epistolam mittentem, & apologiam coram Regimine Noriberg. facientem, nulla-
 que non tentantem & patientem, dederat, quibusque Ducis
 persecutionem adversus Evangelium improbaverat. His offen-
 sus *Georgius* graves injurias & calumnias interpretatus est, indi-
 cari sibi à *Luthero* postulavit, an literas illas pro suis agnosce-
 ret: At *Lutherus* ei promte & intrepide respondit, eumque Domi-
 num suum inclementem, mendacem, aut mendacibus creden-
 tem, Christianæ veritatis persecutorem vocat: negatque se
 animam, honorem famamque Ducis læsisse; at se potius cau-
 sam habere de læsione tali à Duce sibi facta conquerendi: silen-
 tio tamen se hæc omnia præterire, cum Christus jubeat etiam
 inimicos suos amare, & se id huc usque fecisse, ac precibus pro
 eo interpellasse: spondet etiam se porro facturum, & obsequia
 exhibiturum, quæcunq; posset; ut adeo nullum contemptum sui
 colligere inde Dux queat. Interea bullas se non extimescere.
 Cumque haud multo post *Albertus*, Comes Mansfeldensis
 cum *Luthero* non *Georgii*, sed suo solius nomine ageret, ut, si
 qua fieri possit, salva Evangelii gloria Tyranni amentiam lenio-
 ri aliquo responso mitigaret: tum respondit, se non solum illi
 sed omni hosti esse deditum servum, sicut decet Christianum,
 si salva sit maneatque Evangelii gloria, permisitque Comiti, ut
 Duci *Georgio* de se nihil non polliceretur, si cesset furere in ver-
 bum Dei; at si furere pergat, nihil minus se facturum, quam
 quæ furenti miseriæ & cæcitati placerent. Proscindebatur
 quoque

quoque calumniis Noribergæ in Comitibus à Duce *Georgio & Leo*, Regis Angliæ, legato, ac si de *Maria Deipara* irreverenter prædicasset ac scripsisset, *eam non fuisse virginem ante & post partum*, sed Christum è *Josepho* & deinceps alios quoque filios suscepisse: item, quod *Christum semen Abrahamæ* dixisset. Misera hæc & putida mendacia depulsurus (a) *Tractatum Germanicum* edidit, quod *Iesus Christus natus fuerit Judæus*, in quo virginitatem perpetuam *B. Mariæ*, & genus Christi ex *Abrahamo & Davide* multis argumentis adstruxit, monstravitque, quomodo cum *Judæis* pro conversione eorum promovenda rectius placidiusque ex *Scriptura S.* agi erroresque eorum refutari debeant, ac hucusque factum fuerit à *Papa, Episcopis, Sophistis & Monachis*, rudibus asinis.

(y) *Tom. II. Epist. pag. 132.* (z) *Tom. II. Alt. pag. 247. ff. 257. seq. Conf. Seckendorf. pag. 225.* (a) *Tom. II. Alt. pag. 313 -- 324.*

§. LVIII.

*Abrogato
cultu missa-
tico Wit-
temb. for-
mulam mis-
sandi & como-
municandi
edit.*

Wittembergæ quoque non sine difficultate magna *cultus Missaticus* prorsus abrogatus fuit, in *Ecclesia Collegiata omnium Sanctorum*, ut *Lutherus* dudum desideraverat; sed, quod cunctaretur Princeps *Fridericus*, & dubius forte adhuc & de suo jure in reformando veteri ritu, & de ipsa religione esset: quam incredulitatem & aulicam infirmitatem ad *Spalatinum* improbavit (*Tom. II. Ep. p. 166.*) hoc demum anno id effectum est, junctis *Academiæ & Senatus oppidani consiliis*, posteaquam *Lutherus* semel iterumque *Capitulares* privatim & publice commonuit, (b) & petentibus illis institutum pietatis præscripsit, quo temperetur mercenaria religio *Templi ipsorum*: huicque formæ præscriptæ adjecit de certis quibusdam capitibus perspicuam & gravem apologiam. Totam historiam diligenter & fideliter ex *Actis Archivi* retulit *Illustr. Seckendorffius* L. I. Sect. 57. §. CLIII. Addit II. p. 274. seqq. Ea occasione *Noster* (c) formulam aliquam, piam & satis prolixam, *Missæ & communionis pro Ecclesia Wittembergensi*

bergensi edidit, quam Nicol. Hausmanno transmisit, cum eam toties postulasset. In Epistola ad eum scribit, *se hactenus libellis & sermonibus egisse* inter populos, ut corda primum ab impiis ceremoniis avocaret, Christianum & commodum ratus, si causa fieret, ut absque manibus contereretur abominatio, quam Satan per hominem peccati in loco sancto statuerat; proinde nihil vi aut impetu tentasse, nec vetera novis mutasse, semper cunctabundum & formidabundum, tum propter imbecilles in fide animos, quibus subito eximi non potuerit tam verus & inolita, nec inferi tam recens & insueta ratio Dei colendi: tum maxime propter leves illos & fastidiosos spiritus, qui ceu sues immundæ, sine fide, sine mente irruant, & sola novitate gaudeant, atque statim ut novitas esse desit, nauscent. *Quo genere hominum*, inquit, *cum in rebus cæteris, nihil est molestius, tum in rebus sacris sunt molestissimi & intolerabiles*, quamvis ut rumpar ira, ferre illos cogor, nisi velim & Evangelium ipsum è publico tollere. Sed cum jam spes sit, multorum corda per gratiam Dei illustrata esse & roborata, ipsaque res poscat, ut tandem scandala tollantur de regno Christi, audendum est aliquid in nomine Christi. Justum enim est, ut vel paucis consulamus, nedum perpetuo levitatem & abusum illorum formidemus, nullis prorsus consulamus, & dum istorum futura scandala cavere volumus, universas abominationes illorum robaremus. Huc etiam pertinet Tractatus German. *de abominatione Canonis Missæ*, licet referatur inter acta Ao. 1524. Tom. II. Alt. pag. 48r. Adhæc Lutherus Germanica lingua baptizare incepit, (d) & libellum Latinum vernaculo sermone transtulit; nihil tamen mutare in ceremoniis voluit, ne infirmos offenderet, aut causam conquerendi daret, ac si novum Baptismum institueret, vel hucusque receptum prorsus improbare vellet; quum non ita multum situm sit in humanis additamentis, si modo Baptismus ipse cum verbo Dei, vera fide, & precibus ardentibus peraga-

R

tur.

tur. Biennio post, data majori libertate & securitate, iteratâ formulæ baptismatis editione, sufflationes, sal, sputum, chrisma omisit, retento saltem exorcismo, signo crucis & indusio. *Ordinem* insuper aliquem cultus publici (e) proposuit, oppositum abusibus tribus præcipuis, qui in eum irrepserunt, & operi operato, ut r. quotidie mane & vesperi verbum Dei Veteris & Novi Test. legatur & explicetur: 2. preces fiant, & 3. diebus Dominicis Missa, id est, sacra communio habeatur, cantica resonent, festorum denique numerus minuatur. Præterea cum *Leisnicenses* (non Lipsienses, ut *Varillasius* imperite scripsit, quod tamen ei tanquam homini peregrino condonandum esset, nisi contra notitiam & fidem historicam crasse impingeret) *Statutum* quoddam *circa bona & redditus Ecclesie* pie & prudenter condidissent, (f) *Lutherus* id dignum iudicavit, quod typis excubatur, & aliis ad imitationem proponatur. Cui brevem præmisit *præfationem*, qua se munit contra accusationes iniquas adversariorum, cum jam tum res Clericorum, sub specie cultus divini opes mundi diu corradentium, eo devenerit, ut Deo & hominibus molesti, nec ferendi amplius videantur, & monasteria deserui incipiant, ne hæc mutatio suæ doctrinæ imputetur, eoque curandum sibi esse monuit, quantum consilio & suasionibus possit, minuendæ invidiæ causa, ne derelicta monasteriorum & collegiorum bona in prædam promiscuam avarorum hominum cedant, sed pie & utiliter impendantur. Non tamen ipse expelli voluit monachos, sed volentes dimitti, manentibus autem victum etiam uberiores præberi, quam habuerint; ne avaritiæ sed charitatis impulsu ista fieri videantur. Neque se aliis consulere ait, quam qui Evangelicam doctrinam recipiant, & facultatem disponendi de his rebus habeant. Falsissimum igitur est, quod voluerit, ut quæ ex redditibus monasteriorum desertorum supersunt, Principibus & Magistratibus accrescant; quin imo diserte suadet, ut omnia ad pias causas sive ad Christiana chari-

charitatis exercitia impendantur, tanquam *bona Ecclesiastica*, quo nomine olim vocata fuerint, id est, communia, & ad ceterum & Ecclesiam, in pios usus pertinentia. Addit exceptionem, si forte fundatorum posterii ipsi nunc egeant, ut & his de alimentis & subsidiis quibusdam prospiciatur, sed citra abusum, & ad præscriptum ordinatæ charitatis. Improbatur autem promiscuam istiusmodi foundationum retractationem, qualis in Bohemia facta sit. De Ecclesiarum Cathedralium & collegiatarum redditibus ita iudicat, quod in effectu & re ipsa nil aliud sint, quam *Politici redditus*, atque ita mallet Episcopos, & Prælatos in numerum civilium potestatum referri, quam pro divini cultus ministris haberi; aut ut ad fundatorum hæredes proventus isti, eo, quo supra dixit, modo, reverterentur, aut communi fisco Ecclesiastico accederent. Calumniose igitur à Pontificiis insimulantur Principes & Magistratus Germaniæ, quod Lutheri doctrinam hoc uno fere argumento receperint, ut spoliis ex bonis Ecclesiasticis ditari possint. Quam calumniam Illustr. *Seckendorffius* prolixè & solide diluit L. I. p. 238. seq.

(b) *Tom. II. Alt. pag. 355. seqq. Tom. II. Epist. pag. 126. b. 152. b. seqq.*

(c) *Tom. II. Jen. Lat. fol. 588--594.* (d) *Tom. II. Alt. pag. 324--328.* (e) *ibid. pag. 332.* (f) *ibid. pag. 333. b.--342.*

§. LIX.

Videbantur quoque alibi impedimenta objici Evangelio. *Ludovic. R. Hung. & Boh. persecuitur Lutheranos & Henricus Dux.* *Ludovicus* Hungariæ Bohemiæque Rex Lutherum apud *Fridericum Electorem* graviter accusavit, quod fidem & Ecclesiam Christianam oppugnaret, Reges & Principes Christianos proterve traduceret, & Turcas extolleret, petiitque, ut Elector Monachum istum cohiberet & puniret. Cui *Fridericus* respondit, falso ea *Luthero*, & sibi errorum hæresiumque tolerantiam imputari ab adversariis: se enim, ceu par sit, obediuisse semper Christianæ Ecclesiæ, honoremque Dei & verbi ejus, ac charitatem proximi pro scopo habere. Mitigari tamen non potuit

R 2

Ludo-

Ludovicus, sed persecutus est gravissime, quos Lutheri partibus favere existimavit, maxime per Episcopum. In Misnia etiam & Thuringia, quæ Duci Georgio parebat, carcere, multæ, exiliis, & paulo post capitalibus suppliciis sævitum est. *Henricus* insuper Dux Freibergæ residens, licet Luthero primum favere cœpisset, & ab eo literas petiisset, tamen Georgii fratris potentia aut furori cedens, instinctu D. *Stelini* tres virgines nobiles gynecæo eiecit, quod libros Lutheri legissent; has Lutherus epistolio consolatorio, monente *Amsdorffio*, recreavit, & monuit, ne hanc contumeliam ægre ferrent, aut pejus quid imprecetur illis, quorum consilio & malevolentia hoc eis obveniret, sed patienti animo omnia sustineant, Christo discernenda reservantes, brevique futurum sperantes, ut per hunc illarum ignominia cumulate pensetur, altius evehendo, quam unquam votis suis essent exoptaturæ.

Tom. II. Epist. pag. 138. seq. Conf. Seckendorf. pag. 278. A.

§. LX.

Ad Miltenbergens. Epistolam consolator. misit Luther. cum explicat Pf. 120. *Miltenbergenses* ad Mœnum, in Moguntino Electoratu, hoc anno primi omnium vim armatarum, religionis causa experti sunt. Extat D. *Johannis Draconis Caroloſtadii* Pastoris Miltenbergensium exulis Epistola A. 1523. excusa cum relatione de Miltenbergensium persecutione, ad *Albertum* Cardinalem, in qua vehementer de injusta excommunicatione & sæva ejus executione, inscio, ut putat, Cardinale facta, conqueritur, & captivos cives suumque Diaconum ex vinculis liberari petit; cum nil docuerit, quod non coram divino tribunali confiteri audeat, nec vis à se civibusque alicui facta fuerit, sed fraude officialium ad fugam inductos finxisse se à pastore ejectos esse. Tandem humilime rogat Cardinalem, ut ipse Miltenbergam se conferat, omniaque exploret, pollicitus se culpam suam, si qua deprehendatur, sanguine luere velle. *Lutherus* cum bonos homines talia passos ex *Dracone* aliisque accepisset, sequenti anno Epistolam

lam

Iam consolatoriam ad eos mittit una cum explicatione Psalmi CXX. *ad Dominum, cum tribularer, clamavi*, qua eos instruit quomodo vindictam pie ab hostibus repetere debeant. Ubi non procul ab initio Epistolæ scribit, malitiose egisse adversarios & calumniose, quod verbum Dei sive Evangelium *Lutheranarum* doctrinam appellaverint, ut prætextum aliquem haberent, ac si humanam doctrinam persequerentur. Certos deinde eos reddit, quod propter verbum Dei patientur, licet hostes hæresin vocent, quam nec probaverint, nec probare possint. Ineffabile autem solatium esse pati propter Deum, 1. Pet. III. 14. Ad objectionem, interdictum esse de verbo Dei loqui, respondet, cum qui fide firmus sit, non servare ejusmodi interdictum, cum nemo possit interdicare lectioni vel auscultationi verbi Dei; infirmis autem consilium suppeditat, ut intus gaudeant, Deo gratias agant, ejus verbum deprædicent, Deumque rogent, ut robur sufficiat publice de eo colloquendi, quo adversarius deturbetur & præcipitetur: quem in finem explicationem Psalmi CXX. eis donare se dicit, brevibus scholis illustratum, ut coram oculis intueantur, quomodo eos Deus per Scripturam confirmet: tum quæ ratione ipsis orandum sit adversus maledicos & blasphemos sycophantas. Sub finem Epistolæ scribit, *agre se ferre, quod in contumeliam verbi divini doctrina Evangelica Lutherana, eamque profitentes Lutherani vocentur*; prædicat tamen confidenti & heroico animo, futurum, ut *Lutherus Lutherique doctrina & Lutherani* durent, adversarii autem eorumque doctrinæ pereant & pudore suffundantur, licet totus mundus eorum casum & exilium condoleat, & omnes diaboli impatientissime ferant, furiant ac sæviant. *Si vixerimus*, inquit, *eos non dimitemus in pace*: si moriamur, multo minus pacem habebunt. Summa: non liberabuntur à nobis (*sollen unser niche los werden*) nisi se subjiciant, & ad nos redeant; furor & sævitia nihil eos juvabit. Scimus enim cujus sit verbum, quod prædicamus, & nobis omni-

bus id eripere nequeunt. Hæc mea esto prophetia, quæ me non fallat; Deus eorum misereatur.

Tom. II. Alt. pag. 751--755. Tom. II. Epist. pag. 185--194. Conf. Seckendorf. L. I. pag. 278. seq.

§. LXI.

Wormatiensibus confirmat.

Ad *Wormatienses* etiam Epistolam misit, posteaquam lætus audivit, Patrem luminum eos luce veræ cognitionis per Jesum Christum collustrasse; qua eos exhortatur ad gratiarum actionem pro tanto beneficio cœlitus dato, & constantiam in retinenda & tuenda veritate agnita, cum inter scorpiones habitent, & velut rosæ inter spinas sint, ac hostes puillo gregi Evangelicorum multitudinem Catholicorum & novitatem suæ doctrinæ pro more sint objecturi. His eos minime offendi sed confirmari potius debere, cum videant sentiantque, eadem propter verbum Dei passos expertosque Prophetas & Apostolos, imo Christum ipsum: ac solatium ad eos etiam pertinere, quod Christus pronuntiaverit Luc. VI. 22. seq.

Tom. II. Alt. pag. 358. b. 359.

§. LXII.

Eslingensibus respondet ad 6. articulos parochi.

Porro, cum D. *Michael Stifelius* aliquot articulos *Eslinga* ad Lutherum misisset, quos Parochus ejus urbis cum sociis quibusdam condiderat, in hanc sententiam: I. *Quod decreverint cum gratia eos absolvere, qui Lutheranam doctrinam abdicarent, quanquam eosdem jure ut à Pontifice & Casare condemnatos, proscribere possint.* II. *Quod proscribere velint, non absolvere, præter Romanæ Ecclesiæ morem & decretum carnibus aut ovibus vescentes, nisi vehemens causa intercessisset.* III. *Quod velint homines omnia sua peccata confiteri Sacerdoti, quorum essent sibi conscii, veluti Lutherus ipse confessionem commendaret.* IV. *Quod in peccatis & casibus Pontifici & Episcoporum judicio reservatis se gerere perinde velint, atque hæctenus sint soliti.* V. *Quia recepta usu consuetudo condita legis instar haberetur, velut bina per Quadrage-*

dragestimale jejunium confessione homines purgari. VI. Quod nolint eis absolutionem donare, qui injunctam essent recusaturi penitentiam, dicentes Christum pro peccatis satisfecisse: ac responsum Nostri super iis flagitaret, *Epistola ad omnes, qui sunt Eslinga, fratres in Christo*, breviter respondit, Parochi excecatis articulos omnes ad unum esse impios, quibus I. Christi sanguis pretiosus summa contumelia adficiatur, ceu constat ex Rom. III. 23. ff. ubi Paulus doceat, citra meritum atque adeo gratuito remitti peccata, nempe per sanguinem Christi: hancque fidem adeo solam sine operibus justificare; quam cum Parochus, Pontifex, Cæsar & Episcopi damnent, eos damnare doctrinam Pauli & sanguinem Christi. II. Eum qui conscientiam suam exhibet articulo II. illaqueandam, iterum Christum ejusque sanguinem turpiter & impie pernegare, & non Christianum sed gentilem esse; nec coram Deo peccatum esse, carnibus vesci aut piscibus, quocumque die libuerit, Rom. XIV. 17. 1. Cor. VIII. 8. &c. Impie quoque & perperam III. IV. & V. articulum Parochi esse assertum, ad intricandas simplicium conscientias, & sanguinem Christi pessundandum, ne nummus, quem ex confessione certum expectant, è faucibus creptus, elabatur manibus. Se non negare, quod dixerit confessionem esse rem multi pretii; sed nec jejunio unquam interdixisse, nec peregrinationem reprobasse, aut esum piscium, aut ferias &c. verum sic, ut hæc libere fiant, ne quis animo coacto faceret, ac rem, quæ conscientia periculo negligi non possit, aut quæ omissa reddat mortali peccato obnoxium, qui perpetret. Conscientiam in omnibus rebus liberam esse debere, quæ non ad fidem confirmandam, aut proximum sublevandum instituta sint: charitatis tamen officium faciendum, & propter infirmas conscientias, quas Papa legibus suis captivas tenet, carnibus abstineri posse, si eæ offendantur.

Tom. II. Epist. pag. 162. -- 166.

§. LXIII.

§. LXIII.

*Ad amicos
electosque
Dei Augu-
sta Vindel.
scribit.*

Ad omnes amicos electosque Dei qui sunt Augusta, etiam scripsit sub anni hujus (1523.) finem, cum fama percepisset, quosdam apud eos damno affectos esse immerenter, ob celebratas Sacerdotis cujusdam nuptias, præterque injuriæ oblatae acceptum damnum etiam rideri ab iis, quibus voluptati est Christum subinde crucifigi. Pulcherrimis autem picturis & egregiis S. Scripturæ dictis eos solatur, quo ea, quæ injuriæ inferendæ & nocendi studio adversarii intulerunt, non tantum æquo ferant animo, verum etiam alacriores fiant, & robustiores ad bis majora exspectanda superandaque. Passim enim in Scripturis hoc præconio celebrari Evangelium, quod nonnisi persecutionem, ignominiam, & omnis generis tribulationes secum adferat in præsentī seculo, exhibita pariter admonitione & consolatione, qua cognoscimus, quanta sit hujus gazæ pretiositas, & quam non contemnendo subinde cumulo augeri soleat per tribulationes hujusmodi. Tandem rogat, ut sinceros Evangelii Doctores commendatos sibi habeant.

Tom. II. Epist. pag. 172 -- 176.

§. LXIV.

*Polemica
Lutheri
scripta 1.
contra Coch-
laum.*

Polemica etiam scripta varia edidit noster hoc anno, ab adversariis variis provocatus & incitatus. Inter quæ forte primo loco referri meretur brevis quidem sed acris illa invectiva in *Joh. Cochlaum*, qui inter Sacellanos Georgii Ducis ac deinceps Collegiatae Ecclesiæ ad B. Virginem Francofurti Decanus fuerat, quam *Vilheilo Neseno* consecravit, & hoc titulo insignivit: *adversus armatum virum Cocleum*; libellum enim ita exorsus est: *arma virumque cano Mogani qui nuper ab oris Leucoream facto stolidus Saxonaque venit littora* &c. quia Cochlaeus Lutherum non satis armatum esse aut oppugnasse regnum Pontificium putavit. Ei ergo false & vere respondet: *scilicet, postquam per me Dominus Papam, Episcopos, Monasteria & Academias, totumque*

sumque illud corpus Behemoth non solum percussit, sed & pene jam palam traduxit per orbem, illa tandem festiva & festina Testudo arma requirit. Papa sentit vulnus, Papista queruntur suum casum, & undique plurima mortis imago: & ille negat mihi esse arma? Imo ut cum insano cerebro insaniam, si non fuerunt mihi arma, quid sic plorat? quid gemit? quid ejulat Testudo ista, tanta per me esse facta? Cur queritur tanto ululatu, Philippum esse à me perditum, quem tanti facit? Si hæc stipulis & plumis effeci, aut solis, quod insanit, convitiis, cur tanto impetu armorum in me surgit? Cur non contemnit Hector iste tam puerilem & muliebrem Lutherum? Hinc in memoriam ei revocat fortunam hætenus contra se bellantium, quibus ne calcar quidem tangere possit, Eccii in Scholasticis erroribus incomparabilis ad cochlear, Parisiense, Lovaniense, Coloniense, Romanense, qui omnes nil nisi ignominiam à se retulerint. Porro mendacia repellit Cochlear, gloriantis se unum jam librum contra Lutherum scripserit, & Wormatix sic ei locutum esse, ut ad lachrymas cogeret, & duellum obtulisse, quod is recusat; cum nihil horum verum sit. Unde hoc plane se divinis consiliis tribuere dicit, ut Papa & Papista fere nullos habeant Patronos, nisi qui vel insigni inscitia, vel mendaciis impudentibus semper suam auctoritatem traducant, ne quis amplius per abominationem Romanam decipiatur. Nullus adhuc, inquit, adversus me scripsit, qui non sit insigniter & palam ac multis modis mentitus. Plorandam certe sortem Papæ, quod sui non nisi mendaciis protecti in arenam descendunt, nec desinunt tamen mentiri, postquam multos vident à me palam convictos, uno furore mentiendi omnes pergunt. Post hæc ad rem ipsam venit Lutherus, cumque Cochlear maxime urgeat toto libello, ut falsum & hæreticum faciat, quod passim asseruerit Lutherus, sola fide nos justificari, docendo n̄ ultis Patrum dictis, per Baptismum nos ablui à peccatis, per Christum deleri peccata, charitate operiri

S

multi-

multitudinem peccatorum, ac inde concludendo: non solam fidem justificare, sed Spiritum S. & gratiam, & Baptismum, & Christum, & charitatem: ineptias Testudinis exagitat Noster & l. concedit, plura esse, quibus justificatio adscribitur, sed distincte; ita stylo Cochleariano Patrem justificare autoritative, Filium mediative, Spir. S. applicative, Christum meritively, gratiam reputative, fidem subjective, verbum doctive, Sacramentum significative, opera probative. Verum de his omnibus monet non esse quæstionem, sed de fide & operibus tantum: *an justificationis quidquam operibus sit tribuendum?* Se igitur in suis assertionibus hoc egisse, dum soli fidei justificationem tribuerit, ut impia studia Sophistarum & Monachorum refutaret, qui totum orbem fiducia operum seduxerint, & operibus totam gloriam justificationis tribuerint. Nec temere à se adjectam vocem *Sola*; sed conatum reddere, quam potuerit clarissime, vim Paulinæ sententiæ, quam Sophistæ diuturno & sacrilego verborum abusu penitus obscurant. Id enim Apostolum de fide & operibus disputantem, adversus justitiam operum, vehementissime urgere, ut justificationem operibus in totum adimat & soli fidei tribuat, Rom. III. 20. 23. 24. 28. hæcque confirmare potentissimo exemplo Abrahæ, qui justificatus sit non ex circumcissione, sed fide ante circumcissionem, & negare eum habere gloriam coram Deo, si ullis operibus sit justificatus; Scripturam vero dicere, fide esse justificatum. Tamen si igitur vocabulo *Sola* non utatur Apostolus, robustius tamen eum affirmare solam fidem justificare, quam si dixisset: *Sola fides justificat*; nisi quod hoc clarius sonet, quam illud, dum per impios Sophistas Paulitum phrasim, tum sententia neglecta perierit. Exceptionem Coclei: *dabo, quod Paulus ita diceret, (quod non facit) non tamen contra omnem Ecclesiam per verba Pauli protervire oporteret. Major est sensus Ecclesie, quam sonus Scripturæ, non oportet ubique sonum sequi Scripturæ*: tanquam blasphemam exagitat, cum

cum

cum Paulus Gal. I. sic sapere docuerit orbem, ut etiam Angelo de cælo non credat, si aliter doceat, quam sonat Scriptura. Ad Patrum dicta respondet, ea esse dicta hominum sibi ipsis sæpius pugnantium, & aliquando humano sensu extra Scripturas eos docuisse. Hac occasione quoque disputat *de fide infantium*, eamque fide & precibus Ecclesiæ offerentis illis impetrari statuit; alioquin enim parvulos prorsus non esse baptisandos, si verum sit eos in Baptismo non credere, ne illudatur majestatis Sacramentum & verbum.

Huic Lutheri libello *Cochleus* alium opposuit, hoc insignitum titulo: *adversus cucullatum minotaurum*, præscriptis itidem versibus: *monstra bovemque cano &c.* ac gloriatus est, nihil aut Lutherum aut alios ejus nomine respondisse. At contemptu potius & silentio dignum esse censuit Lutherus, quam proluxa refutatione; quod semel iterumque in hoc ipso tractatu indicavit. *Quid ego*, inquit, *hic facio, nisi ut bis stolidus & insanus fiam ipse, qui cum tam stupido & stolido capite & verba & tempora perdo?* Tandem *Neseno* vale dixit, eumque Testudini suæ dicere jussit, ut desinat tempus perdere bonis ingeniis, suis sentimentis & sonimentis, tum stolidis, tum impiis prorsus.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 599 -- 603. Tom. II. Alt. pag. 905 -- 911.

§. LXV.

Alterum scriptum Polemicum dici posset illud, quo *Exemplum Theologia & Doctrina Papistica* edidit, quando *animadversiones* scripsit in quendam Sermonem Provincialis Ordinis Prædicatorum, habitum in velatione Virginis, Monasterium ingredientis, super thema ex Psal. XLV. *offerantur Regi virgines post eam.* In ejus præf. (g) ad Lectorem ait: *non est ulli vere Christiano dubium*, quod omnia pertineant ad gloriam Christi illustrandam, quæcunque dicuntur aut scribuntur ad ignominiam & destructionem abominationis istius & tyrannidis Papisticæ. Cum enim ipsa devastarit & conculcarit regnum Dei & Christi,

S 2

nihil

nihil utilius, nihil sanctius, nihil, quod Deo magis placeat, fecerimus, quam si vastatricem illam salutis nostræ & profanatricem gloriæ Dei, rursus vastaverimus & conculcaverimus, quantum possumus, juxta illud Apoc. XVIII. *reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis, & duplicate illi duplicia secundum opera ejus, in poculo, quo miscuit vobis, miscete illi duplum. Quantum glorificavit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Loquitur enim de Tyrannide abominationis Papalis; & longe aliter loquitur, quam ii, qui contendunt, non esse perpetuo in Papatum invehendum. Dicit enim: *duplicate illi, reddite ei duplum* &c. Volens scilicet hac exhortatione sedulos nos facere & assiduos, in torquenda & vastanda abominatione ista.

Cum autem & ego sim unus de Antipapis, revelatione divina ad hoc vocatus, ut dissipem, perdam & destruum regnum illud maledictionis, cupide & libenter eo fungor officio, sicut hactenus feci. Ideo statui hunc sermonem, seu portentum potius, in publicum edere, & in faciem sistere, impudentibus illis frontibus & inverecundis faciebus Papistarum; qui cum totam Ecclesiam ejusmodi portentis repleverint, sintque ejus abominationis palam convicti, tamen adeo sunt duræ cervicis & impenitentis cordis, ut ea non modo nolint agnoscere, confiteri & emendare, sed studeant etiam occultare & tegere, deinde seipso ornare & colere, donec (uti sperant) adepti veterem & pristinam speciem sanctimoniam, rursus eadem monstra per Ecclesiam erigant & statuunt. Cogemus itaque eos, videre sua monstra, revelabimusque turpitudines & pudenda eorum, & ut Propheeta dicit: *projiciemus in facies eorum sterces solennitatum ipsorum,* ut tam hujus quam posterius seculi homines videant, & perpetuo meminerint hujus purpuratæ Meretricis, & cum viderint, perfecto odio oderint, & conjunctis studiis abominandas fornicationes ejus detestentur ac persequantur.

Post glossas margini adjectas, commentario quodam bre-

vi refellit impiam & blasphemam in Deum & Christum doctrinam Papisticam de votis monasticis, ac (1) ipsum thema magno sacrilegio ex Psal. XLV. qui de virginitate fidei & Catholica Ecclesia agit, decerptum & detortum in Sectas à Dominica Castro observat. (2) Notat glossam de triplici gradu sacrificiorum, scil. de bonis bene acquisitis, de operibus bonis, de seipso, male de virginibus tantum exponi, quasi non omnes Christiani ea Deo debeant: & valere istam blasphemiam ad obscuranda & conculcanda optima illa sacrificia laudis & mortificationis Rom. XII. 1. (3) Perstringit, quod Aristotelem citet, & ex eo tria esse bona probet, temporalia, corporalia & spiritualia. Illum enim ait fuisse tum inter Papistas doctoralissimum, qui frequenter Aristotelem & nunquam Christum, Apostolos vel Prophetas citare posset. (4) Blasphemias memorat in sanguinem Christi, quod remissionem peccatorum eos consequi dixerit, qui bona temporalia ad structuras templorum, vel seipsos per votum religiosum obtulerint: quod spernere mundum eis sit fugere in Monasteria, non vitia mundi, incredulitatem, fiduciam sui, ignorantiam & inobedientiam Dei, & reliqua opera diaboli, adeoque spernere œconomiam, politiam & Ecclesiam. Hujus generis scripta alia (h) brevia & plura extant, quibus vel defendit Monachorum & Monialium exitum è Monasteriis, vel instituit exeuntes, quomodo se gerere debeant: ea omnia recensere, nimis longum foret.

(g) Tom. II. Gen. Lat. fol. 593 -- 599. (h) Tom. II. Alt. pag. 310, ff. 516 -- 519.

§. LXVI.

Huc quoque pertinet Tractatus Germanicus contra cœcã Ingolstadiensem & insanã condemnationem XVII. Articulorum, à misera & turdiensium pi Universitate Ingolstadiensi factam, wider das blinde und tolle Verdamnis der XVII. Artikel von der elenden / schändlichen Unversität zu Ingolstadt außgangen. Occasio vero scripti Ingolstadiensis

*hoferi à Lu-
thero exa-
minata*

diensis Academiae hæc erat: *M. Arfacius Seehoferus* (al. scribunt Schoverus) Monachiensis, libellos quosdam edidit, è quibus dicta Universitas XVII. Articulos excerpfit & hæreticos declaravit, eorundemque autorem carceri mancipavit, ac tandem commovit vel coegit, ut illos publice revocaverit. Quos Articulos ut Noster accepit, eos cum animadversionibus suis edidit, eo fine, ut infirmi confirmetur, si viderint, quomodo Deus ad exaltandum verbum suum hostes & calumniatores ejus tanta cœcitate percutiat. Unde rogat, ut quilibet Christianus schedas Ingolstadienses sibi commendatas habeat, tanquam libellum optimum, inservientem ad promovendam Dei gloriam & dignum, qui ad posteros serveretur, quo sciant: quam scelestæ Scholæ (*Zuben Schulen*) antehac fuerint, & qua ratione diabolus per eas regimen obtinuerit. Graviter vero etiam monet, ne, qui se *Evangelicos* jactitant, & non sunt in precibus & studio ardenti verbi, superbiant & segnescant, sicque occasionem dent adversariis nos eludendi. Post præcimum articulos condemnatos ordine examinat. I. Articulus Arfacii erat: *sola fides sufficit, ut homo justus fiat, seu justificetur.* Hunc Articulum *Ingolstadienses*, ut verba sonant, verum esse & à Paulo Rom. IV. & V. sic enunciari fatentur & probant sequenti ratione: homo qui justificari debet, est injustus; si enim justus esset, non deberet fieri justus. Si vero injustus & in peccatis est, non habet gratiam Dei; si hanc non habet, opera ejus grata non sunt Deo, nec ad salutem sunt meritoria: opera enim hominis non placent Deo, nisi prius homo placeat: ita Genes. IV. *Deus respexit ad Abel, & ad munera ejus*, ad Abelem nempe primo, deinde ad munera; si igitur hominis actio Deo placere debet, placere prius oportet hominem Deo, opera enim non faciunt, ut homo bonus fiat, sed homo bonus facit & præstat bona opera. Porro si homo lapsus & injustus justificatur, fit id ex gratia & misericordia Dei. Hæc dicitur gratia, post eam sequuntur bona opera.

Quan-

Quamquam vero (pergunt) *Articulus hoc modo verus sit, non tamen ita simpliciter proponi debet* rudibus, levibus, pigris & impiis hominibus; tales enim putarent, se fidem habere & ideo nihil opus esse, ut mandata Dei servant, jejument, orent, elemosynas dent, aut alia bona opera faciant, quia Paulus & Habacuc dicunt: *justus ex fide vivit &c.* ideo *revocatus est* hic articulus. Adhæc Lutherus: Cum hunc articulum pro vero habeant, & probent ipsi ex Paulo & Habacuc, quæ immanis cæcitas est, ut ideo pro hæretico illum damnent, quia impii per eum scandalizantur? Sic quoque hæreticus esset articulus, *quod Jesus Christus sit Deus & homo*, quia Judæi & Gentiles eo offenduntur. Deinde, cur non simpliciter diceretur, cum Christus & Paulus simpliciter dixerint. Num possibile est uno halitu & simul dicere: *sola fides justificat, & fides facit bona opera?* Unum sane post alterum dici debet. An prius hæreticum est ideo solum, quod alio tempore dictum sit, quam prius? Artic. II. *Arfacii*, quo assererat, *justitiam Dei talem esse, quam Deus æstimet in nobis, vel accipit sine intuitu operum nostrum*, Ingolstadienses interpretantur de justitia Dei vindicativa: quos propterea Lutherus ignorantia arguit, cum Articulus loquatur de justitia, qua nos Deus donat & justificat, ut Paulus ait Rom. I. 17. indeque colligit, quod Arfacium nunquam audiverint, sed subdole & proditorie damnaverint, qui si ipsum audivissent, procul dubio mentem suam ita expositurus fuisset. Artic. III. Arfacius asseruit, *quod homo per nulla bona opera aut merita justificari possit*; Ingolstadienses contra dixerunt, eum adversari Scripturæ, quia Act. X. 17. *Cornelius* paganus per elemosynas & preces, quas in statu gentilismi fecit, impetraverit, ut vera fides ei revelata & annunciata fuerit à Petro. Quamquam enim verum sit, quod opera bona hominis mortaliter peccantis per se non sint meritoria, aut peccatoris justificationem impetrare queant; misericordiam tamen & gratiam Dei ea pro melioribus & dignio-

dignio-

dignioribus accipere, quam sint, & propter ea homini operanti benefacere. At *Lutherus* negavit *Cornelium* gentilem fuisse, cum bona ista opera fecisset, & statuit eum profelytum veram habuisse fidem *Judæorum* in futurum *Messiam*, quæ fides deinceps bona opera fecerit, sicque ad revelationem *Christi*, qui jam apparuerit, & ad libertatem à lege *Mosis* pervenerit; quia impossibile sit sine fide placere Deo, *Ebr. XI. 6.* Falsum igitur esse dicit, quod Deus mortaliter peccantis opera pro melioribus accipiat, ac sint, & contradicere jam hic sibi ipsis notat, cum in *I. Artic. confessi* sint, opera Deo placere non posse, nisi homo antea ei placeat. *IV. Artic. Arfacii: solus Deus nos justificat, si infundit nobis Spiritum S. sine ullis nostris operibus*, *Ingolstadienses* planum esse dicunt ex *Artic. I. explicatione*, cum alias interpretatione bona indigeat, quia *Augustinus* dicat: qui te creavit sine te, ille te non justificabit aut salvabit sine te. *Lutherus Augustinum* non supra *Paulum* esse respondit, qui *Rom. III. 28.* diversum sentiat. *V. Articulum: non debemus fiduciam ponere in nostra bona opera*, verum videri ajunt adversarii ex *Luc. XVII. 10.* sed cum terreat infirmos, potius eos docendos esse secundum consilium viri sapientis *Eccles. IX. 10.* *Johannis Apocal. XIV. 13.* & *Christi Matth. XX. 8. voca operarios, & da ipsis mercedem.* Quanquam enim opera nostra minime extollere debeamus, cum manca sint & mutila; ea tamen divina misericordia mercedem consequi, *Lutherus* notat, eos *Articulum* non intelligere, nec capere, quod aliud sit bona opera facere, aliud fiduciam in operibus collocare, *Articulum* de fiducia diserte loqui, *Academicos* autem probare, quod bona opera sint facienda. *VI. Articulum impossibile est fidem esse sine operibus*, dicunt *Ingolstadienses* esse contra *Evangelium Luc. XII. 47. Matth. VII. 22. seq.* & *Paulum*, qui in multis locis fidem & opera separet (*sondert von einander*) *Lutherus* dicit, talem esse istorum fidem, qualis *Theologia* sit *Ingolstadiensium*. *Arfacium* loqui de fide

fide

de fide vera & efficaci, Censores autem sycophantice & sophistice de historica. VII. Artic. *Scriptura cum loquitur de mercede bonorum operum, sic intelligi debet, quod per fidem salvemur, eodem modo sophistice refellere conantur, quod diaboli quoque ita salventur, cum Jacobus II. 19. eos credere affirmet. Eodem ergo etiam modo Lutherus eos refutat. Et Artic. VIII. qui per opera sua bona justificari volunt, non super petra sed arena edificant, ex antecedentibus similiter vindicatur, quia loquitur de fiducia operum. Art. IX. X. XI. XII. quibus asserit Arfacius: Nemini in Ecclesia credendum esse, nisi quod certo & clare ex verbo Dei probet: neminem quoque quidquam facere aut docere debere, nisi quod Deus praeceperit & docuerit: proinde Episcopum decere nil aliud docere, nisi verbum Dei: cum Episcopum esse nil aliud sit quam profiteri verbum Dei; Academici nil quicquam eludere conantur. Art. XIII. XIV. XV. de Divortio & juramentis agunt, nec multum habent difficultatis. Art. XVI. *Lex Moysis plus exigit ab homine, quam is prestare potest, durum esse dicunt Censores, ac si Deus impossibilia praecepisset; fatentur tamen eum extare Actor. XV. 10. ubi lex dicitur jugum insupportabile, sed addunt, portari posse auxiliis gratiae divinae, Joh. I. 17. Ita, subdit Lutherus, seiplos refutant, Articulus agit de implemento legis extra gratiam, quod est impossibile; at cum gratia est possibile, quod Arfacius non negasset. Denique XVII. Artic. *Evangelium Christi non est spiritus, sed litera, contra Paulum 2. Cor. III. 6. esse contendunt, ac contra Christum Joh. VI. 63. Lutherus condonandum porcis esse hunc articulum judicat, nescientibus quid Spiritus & litera sit, cum Origenes, Hieronymus, & fere omnes Patres, praeter Augustinum, id ignoraverint. Sufficienter illis, si tantum è Vocabulario Ex quo scirent, quid Spiritus & litera sit.***

Tom. II. Alt. pag. 771--777.

T

§. LXVII.

*Contra apo-
theosin Ben-
nonis, Epi-
scopi Mis-
nensis.*

Cum hoc anno Bulla *Adriani VI. de canonizatione Benno-*
nis, Episcopi Misnensis, advolasset, Lutherus occasionem inde
arripuit, hanc apotheosin, cum sequenti anno solenniter pera-
genda esset, vehementer insectandi. Edidit igitur tractatum
Germanicum, quem inscripsit *contra novum idolum & veterem*
Damonem Misnensem. Protestatus autem ab initio est, se de-
functum Episcopum *Bennonem* judicare vel damnare nolle, cum
suum habeat judicem; sed contra vivum Satanam scribere se
velle dicit, qui tempore Evangelii exorti in contemptum Dei &
Verbi sub nomine *Bennonis* tanta pompa & ludicro spectaculo
extolli & adorari cupiat, ut, qui Evangelium ad salutem nec au-
dire nec ferre velint, mendaciis & signis diaboli credant ad
condemnationem, 2. Thess. II. 10. seqq. Ipsi enim *Bennoni*, si
vere beatus sit, non gratam fore hanc apotheosin, quemadmo-
dum nulli sancto grata sit ejusmodi canonisatio, cum manife-
stum sit, quod per talem sanctorum exaltationem fiducia ho-
minum in Dei gratiam & Christum cadat, & in cœlitum merita
ac interpellationes vertatur. Ideoque Deum in V. T. voluisse
Mosen sepelire, ne quis ejus sepulchrum sciret, eumve invoca-
ret; multo minus in N. T. tolerare istiusmodi *ιδελοθρησκείαν*. At-
que ut apotheosin hujus indignitatem ostendat, 1. observat eam
ab *Adriano VI.* factam, qui quamvis speciem pietatis habuerit,
tamen summus hypocrita, hostis Dei ejusque verbi & persecu-
tor acerrimus fidelium fuerit, ejus quippe auspiciis duos *Augu-*
stinianos *Bruxellæ* concrematos esse, & nunc *Bennonem*, imo
Diabolum ipsum exaltari; pro officio scilicet Pontificum, qui
veros sanctos occidunt, falsos autem extollant, sub prætextu
honoris Dei, Joh. XVI. 2. Deinde pudore potius suffundi quam
gloriarum debere de *Bennonis* canonisatione, Papam & asecclas,
dum eam præcipue ob causam laureolam meruisse Episcopum
defunctum judicent, quod Papæ *Gregorio VII.* contra *Henri-*
cum

eum IV. Imperatorem & Marchionem Misnensem adhæserit in lite, quæ tamen ad religionem non spectaverit, sed qua solum Papæ potestas secularis & opes quærebantur, Cæsari autem & Germaniæ ignominia & damnum parabatur. Immo talia à Misnensibus conficta esse arbitratur, ut Papam facilius commoverent ad Bennonis apotheosin, qui multiplex homicida, autor omnis calamitatis in Germania, hostis Evangelii & socius Antichristi particepsque ejus sceleris fuerit. Ita miracula in Bulla celebrata mera mendacia vel diabolicas illusiones fuisse, ut, quod Marchioni Misnensi se propter bona temporalia in maxillam cædenti interminatus mortem fuerit, secutam eodem die, anno vertente, & quod ei post obitum oculum eruerit; & tamen Bullam ex eo facere Deum, dum dixerit: *hinc facile concipi potest, divinam virtutem divino homini esse communicatam*; nec Adrianum, qui precibus à Deo petiisse se in Bulla scribat, ne in canonizatione hac erreret, certum esse potuisse, an exauditus à Deo fuerit. Quare rejicit prorsus ejusmodi venerationem sanctorum, cum de sanctis in cælo, vel parum vel nihil in Scriptura S. legatur, sed de sanctis in terra tantum, ut Rom. XII. 13. I. Tim. V. 10. Paulus in omnibus Epistolis sanctos eos vocet, ad quos scribit; ut sanctum esse pateat quemlibet Christianum in terra. Cumque dicta nonnulla habeant adversarii, quibus pro laude & cultu Sanctorum abuti solent, ea à perverso sensu liberat. I. Adducunt verba Psal. CL. 1. *laudate Dominum in Sanctis ejus*, eaque ad Sanctorum cultum trahunt; sed perperam id fieri Noster ostendit, cum (1) Psalmus de Vet. Test. loquatur, ubi nullus adhuc sanctus exaltatus aut invocatus fuerit, sed solus Deus, juxta Psal. L. 15. (2) Adhæc non de personis sed de locis sanctis; sic enim secundum fontes Hebr. verba sonare: *laudate Dominum in sancto, vel sanctuario suo*, ut & Psal. XX. 3. XXII. 4. Cumque in Novo Test. non habeamus locum sanctum à Deo mandatum, sed ipsi simus

templum Dei, 1. Cor. III. 16. Psalmum etiam allegatum despiritu-
rituali sanctuario esse intelligendum h. s. *laudate Dominum in
sanctuario suo*, id est, in Ecclesia Christiana, & inter nos ipsos.
II. Proferunt verba Jobi V. 1. *voca, & ad aliquem sanctorum con-
vertere.* Verum sic intelligenda verba esse docet Lutherus,
quod Eliphaz Jobum iis reprehendat dicatque: nomina mihi &
respice sanctos, quos Deus ita castigaverit, nullos invenies. Te
igitur non sanctum sed peccatorem esse oportet. III. Prov. XX.
25. *ruina est homini devorare sanctum, & postea querere vota.*
Ubi pro *devorare* legerunt *devotare*; ut ita egregie firmarent
sanctos. At Salomonis longe alia est sententia, nempe hæc: *la-
queus est homini exprobrare rem sacram, & postea vota querere.*
Quod pulchre quadrat in Pontificios, qui verbum Dei & quic-
quid sanctum est, persequuntur, deinde missas celebrant, &
bona opera faciunt, non tamen solliciti sunt, ut sanctum devo-
rare intermittant, & profanam vitam mutent. Præterea, cum
sic de ponte dejiciantur, nullamque Scripturam allegare possint
pro invocatione & mediatione Sanctorum, sed videant Scriptu-
ram solum Christum facere Mediatorem & Intercessorem, Rom.
III. 25. V. 1. 2. 1. Tim. II. 5. nova effugia quærunt, & duplicem
faciunt Mediatorem, *satisfactorium & intercessorium*, illum so-
lum Christum esse largiuntur; sanctos autem intercessorios
Mediatores esse fingunt, non probant, sed ad Ecclesiam pro-
vocant, quæ non possit errare: sicque petitionem principii
committunt.

Respondisse huic Lutheri scripto *Emserum* observavit
Seckendorf. pag. 285. b. magna cum acerbitate, qui solennitatem
ingenti concursu populi nihilominus peractam fuisse jactarit, &
perpetuam futuram falso ominatus sit, cum post obitum Ducis
Georgii omnia evanuerint.

Tom. II. Alt. pag. 780 -- 787.

§. LXVIII.

An huc referre liceat, quæ occasione monstroforum par- *Monstrosos*
 tuum, quando Romæ A. 1496. in fluvio Tiberi mortuus inven- *partus in*
 tus est *Papasinus* (der *Pabstsesel*) sive monstrum, caput habens asi- *Papam &*
 ninum, corpus humanum, manum dextram similem pedi Ele- *Monachos*
 phanti, sinistram humanæ, pedem dextrum bovis ac sinistrum *torquet Lu-*
 gryphi similem: & *Freibergæ* in *Misnia* vitulus Monachum repræ- *therus.*
 sentans, (*Münchkalb*) de iis *Melanchthon & Lutherus* scriptis &
 explicationibus in Pontificium regnum directis, luserunt, du-
 bious sum; præterire tamen nolui, quia Deus excitare homines
 solet ejusmodi prodigiis è somno securitatis, & bestix sæpe te-
 stantur de hominum malitia.

Tom. II. Alt. pag. 376 -- 383. Tom. II. Witt. fol. 425. seqq. Conf. Tom. II. Epist. pag. 113.

§. LXIX.

Præter Polemica Megalander etiam *Dogmatica & Mora-* *Dogmatica*
lia scripta edidit, inter quæ primum occurrit Responso ad quæ *& Moralia*
 stionem: *an Deus etiam illos, qui sine fide moriuntur, salvos face-* *Scripta Lu-*
re velit, ac possit? Ubi primo cavendum monet, ne rationi no- *theri.*
 stræ nimium indulgeamus, ut *Origenes* aliique fecere, statuen-
 tes damnationem non fore æternam, ac Deum non homines
 tantum omnes sed & diabolos tandem salvaturum, huc trahen-
 tes *Pf. LXXVIII. 60. 68. LXXXV. 6. 1. Tim. II. 4.* verum ut cla-
 ris Scripturæ testimoniis credamus, quæ affirmant, quod sine
 fide Deus nec velit nec possit salvare, *Marc. XVI. 16. Ebr. XI. 6.*
 Aliud esse, si quærat: an Deus quibusdam in morte vel post
 mortem fidem dare atque ita per fidem salvare possit? Ac du-
 bitandum quidem non esse, quin id possit Deus; an vero faciat,
 probari haud posse. Loca ex *Psalmis* allegata loqui observat de
 passionibus sanctorum in terra, quemadmodum ex anteceden-
 tibus & consequentibus omnibusque textus circumstantiis col-
 ligatur & pateat.

Tom. II. Alt. pag. 349. seqq.

T 3

§. LXX.

§. LXX.

*Explicatio
in Epist. Pe-
tri & Juda.*

Inter dogmatica eminent Explicationes vel *Conciones in Epistolas utramque D. Petri & Juda.* In præfatione scribit, omnes Apostolos eandem doctrinam tractare & urgere, nempe Evangelium, quomodo sola fides in Christum justificet; ideoque non bene dici, esse quatuor tantum Evangelia, cum Apostolorum scripta æque Evangelium contineant: ejusque generis esse Epistolas Petri.

Tom. II. Alt. pag. 405 -- 491.

§. LXXI.

*Concordia
consilia in-
ter Luthe-
rum & ad-
versarios ir-
rita.*

Quæ igitur incrementa A. 123, habuerit doctrinæ purioris, à Luthero repurgatæ, propagatio, & corruptæ à Pontificiis diminutio, ex dictis, ut opinor, abunde constat: ac promptum est inde colligere, quam nihil valeant contra Deum ejusque consilium sive machinationes sive consultationes humanæ. Nam, tametsi etiam visum quibusdam è Germaniæ proceribus fuerit, post soluta vel dilata Comitibus Norimbergæ, è refore Ecclesiæ, si certus dies & locus constitueretur, vel Servestæ, vel Naumburgi, aut alibi, prout Electori Sax. & Archiepiscopo Moguntino commodum esset, & præsentibus Johanne & Georgio Saxoniarum Ducibus, vel duobus aliis ex Principibus aut Comitibus, qui invitandi sint, *Lutherus* ad colloquium vocaretur, adhibitis ex utraque parte quatuor aut quinque idoneis viris, ac placide de controversis religionis causis ageretur, argumenta Lutheri & instructiones audirentur, ac tentaretur, an, auditis & ponderatis utrinque rationibus, componi disceptationes vel in omnibus vel quibusdam capitibus possent: tamen isti conatus successu caruerunt, & *Fridericus* Elector fratrem Johannem monuit per literas, ne agonotheatæ munus susciperet, & nemi- ne prohibente, *Lutherus* interea, toto hoc anno, scriptis egregiis Evangelium illustravit ac propagavit. Quod vix fieri potuisset, si concordia ratio inita fuisset. Sic sapientia & providentia divi-

divina humana consilia disturbavit, & ostendit; minime sibi placere, ut Christus & Belial uniantur. Hoc enim ingenio sunt Politici, in causis religionis, ac si res mundanæ essent, ut cogitent de mediis conciliationis, daß man eine Vergleichung treffen/ Christum und den Teuffel in ein Bette zusammen legen möchte.

Tom. II. Alt. pag. 343. a. & pag. 492. a, b. Conf. Seckendorff, p. 263. b.

§. LXXII.

Exeunte anno 1523. Clemens VII. Adriano VI. successit, *Clemens VII.* cuius Pontificatui *Edmundus Richerius*, *Doctor Sorbonicus*, in *Adriano* *Histor. Concil. L. IV. Part. II.* (apud *Seckendorf. p. 287. a.*) *Lutheranismi augmenta* aperte tribuit; quia, ut *P. Suavis L. I. p. m. 27.* *astutior Pa-* scribit, facile animadvertit, Adrianum præter morem à sagacioribus quibusque Pontificibus consuetum, cum nimis facilem in agnoscendis aulæ suæ erratis, & emendatione promittenda; tum nimis abjectū fuisse in petendo è Germanis consilio, qua ratione contentionibus ibi natis optime posset consulere. Etenim hoc factō, & petitionem de Concilio indicendo, rem maximi momenti (inprimis si in Germania celebretur) in caput suum accersivisse, & Principibus tantum animi addidisse, ut C. Gravamina, scripti genus, non minus Curia Romanæ, quam universo Ordini Ecclesiastico in Germania, grave & ignominiosum, ausi sint non tantum Romam mittere, sed etiam prælo subjicere. Interim, cum necessarium sibi duceret, parte aliqua Germanis satisfacere, astute talem modum reperit, ut neque autoritas sua in discrimen veniret, neque Curia suæ commodis quicquam decederet. Reputabat secum, etsi è C. Gravaminibus multa Curiam Romanam spectarent, majorem tamen partem Episcopos, Officiales, Curatos & alios Germaniæ Sacerdotes attingere. Itaque in spem aliquam erigebatur, Germanos, si suorum aliquam emendationem sensissent, de iis, quæ Romam respicerent, non admodum laboraturos; imo per hanc ipsam Cleri Germanici reformationem, se Concilii celebrationem decli-

Clemens VII.
Adriano VI.
Lutheranismi augmenta
P. Suavis L. I. p. m. 27.
astutior Pa-
Germanos.

*Legatum
Campegium
instruit.*

declinaturum. Ea de caussa *Laurentium Campegium*, Cardinalem & Episcopum Bononientem ad Comitiam Noribergensiam ablegavit, satis cautum & præmonitum, ut centum gravaminum exhibitionem *Adriano* factam dissimularet, ac nonnisi privatam eorum notitiam fateretur, ne ea res actioni, quam suscepit, fraudi sit, atque ut tandem re integra possit procedere. Immo, quod *Pallavicinus* prodidit, fixum erat Pontifici, quod idem legatus in privatis colloquiis haud obscure significavit, nihil concedere Germanis, potiusque pati, quæ eventura essent, quam suo consensu, aut aliqua moderatione postulatis eorum annuere. Metui enim Romæ aiebat, ne eadem quæ Germanis indulgerentur, etiam cæteræ nationes extorquerent; animarum vero periculum, quod erumpente apertius schismate ostendebatur, tanta jactura dignitatis & opum redimi debere negabat, cum verendum esset, ne impetratis istis alia atque alia proponerentur, ac nullus postulandi finis esset.

P. Suav. l. c. & Seckendorf. pag. 288. a.

§. LXXIII.

*Clementis
ejusque Legati
literæ ad Electo-
rem.*

Scripserat jam ante *Clemens* (d. 7. Decemb. A. 1523.) perferendasque *Hieronymo Rorario*, familiari & camerario suo, traderat literas ad *Electorem Fridericum*, (i) quibus significabat, se propediem Nuncium Apostolicum missurum esse, qui Ordinum opera, favore atque authoritate, ea perficiat, quæ in universum salutaria atque utilia apparebunt: ac hortabatur Electorem in Domino, ut pro suo officio, ac pro tam necessaria causa, Deo omnipotenti gratissima futura, ad Conventum ipsum, nisi jam profectus sit, proficisci velit, ibique dare operam, ut legatus non solum tuto venire possit, sed honorifice quoque accipiatur & benigne exaudiatur, sicut Nobilitatem sive familiam ejus deceret, quæ tot Romanos Pontifices, & Pontificum advocatos Cæsares habuerit. Alias quoque non minus blandas & clementes, sed prolixiores (k) Papæ literas Legatus ipse attulit d. 15. Jan. 1524. scriptas;

scriptas; cum vero Fridericus jam ante Legati adventum domum rediisset, non eas tantum transmisit, sed suas quoque addidit, quibus Electori apertius Pontificis mentem exposuit, eumque irritare in Lutherum studuit, vulgato illo & toties repetito argumento usus: fore, ut, qui Ecclesiasticum ordinem contemserint, etiam adversus Principes insurrecturi sint. Sed nihil profecit uterque; quin, Deo pro sua stante causa, Evangelium magis etiam crevit, ut alibi, ita Norimbergæ: adeo ut *Ferdinandus* Senatui Lutheranismum exprobarit, & ab eo dehottatus sit, & cum Legato Consiliarioque Cæsareo, *Johanne Haunarto*, concluderit de Reginine Norimberga, utpote Lutherano dogmate jam repleta urbe, Eslingam transferendo. Offenderat etiam Legatum Pontificium Concionator in templo Laurentiano, qui dicere ausus fuit: *Antichristum eo die Romam ingressum esse, quo Constantinus Imperator exiisset*; ac dolere inde sollicitumque se esse dixit, non tam de Germania, quod Lutheri doctrinam amplecteretur, quam de Italia; jam enim *Venezis libros Lutheri copiose legi*. Germanos eo esse ingenio, ut nova cupide accipiant, sed & facile deponant; Italos pertinaciter inhaerere semel acceptis. Secuto mox festo Paschali, *omissa est palmitum consecratio* & lectisternium, sive sepulchri sacri representatio, neque de Juda cantatum est, nec alia observata sunt, quæ usitata erant. *Communionem sub utraque* concionatores palam suaserunt, & licet in Parochiis eam administrare vetitum esset à Legato, apud *Augustinianos* tamen plures quam quatuor hominum millia ea usos esse memoratur. *Regina etiam Dania* publice id in arce fecit, summe indignante *Ferdinando* fratre, ita ut ei in faciem diceret: se optare ut soror sua non esset. Refertur & hujus responsio; dixit enim: se ab una eademque matre, qua ille, editam esse, velle tamen verbo Dei adhærere, & quidem soli, absque ullius hominis respectu; in aliis omnia facturam, quæ fratri placerent, quod si se pro sorore habere noller,

U

passu-

passuram id esse. *Monachii* quoque in Bavaria libri *Lutheri* publice vendebantur, & ab ipso *Wilhelmo* Duce legebantur. *Heidelbergæ* conciones Evangelicæ habebantur, nec tamen *Lutheranismus* agnoscebatur. *Johannes de Schwarzenberg* (l) Epistolam ad Episcopum *Bambergensem* dedit, qua causas indicavit, cur filiam suam è *Cœnobio S. Sepulchri* eduxerit, & à tyrannico statu *Monachali* liberaverit; quam præmissa proluxa præfatione edidit *Andreas Osiander* hoc ipso anno *Norimbergæ*, qua *Monachos* de futuro interitu graviter monuit.

(l) *Tom. II. Jen. Lat. fol. 603.* (k) *Seckendorf. L. I. pag. 287 -- 290.*

(l) *die Sabbati post Martini 1524. in 4.*

§. LXXIV.

Epistola Lutheri ad Albertum Brandenburg, qua respondet ad V. quæst. de Papa ejusq. potestate.

Interfuit etiam his Comitibus *Albertus Brandenburgicus*, Ordinis *Teutonici* in *Borussia*, magnus, quem vocabant, *Magister*, qui inter *Ecclesiasticos Principes Germaniæ* post *Archiepiscopos* locum habere solebat: is jam ante *Luthero* favebat, & in ejus doctrina ex concionibus *Andr. Osiandri* confirmatior fiebat. Et tum commodum accidit, ut *Lutherus* ad *V. quæstiones* sive articulos ab illo propositos per *Epistolam* responsurus, eam *Spalatino* offerendam traderet. *I. Articulus* erat: *An Christus Ecclesiam suam super Petrum & successores Papas ædificaverit?* Respondit *Lutherus*: *Non*; sed super solum *Jesum Christum*, *Filium Dei*, & probavit ex *1. Cor. III. 11.* *2. Cor. IV. 5.* *Matth. XVI. 18.* Quod autem *Petrus* aut *Papa* non possint esse fundamentum aut *Petra* ista *Ecclesiæ*, multis modis probavit: (1) quia portæ inferorum prævaluerunt contra *Petrum* & *Papas*, dum ceciderunt & peccaverunt aliquando. (2) *Ecclesia* est res in spiritu & sancta, sicut dicimus: *credo Ecclesiam sanctam Catholicam*, id est *invisibilem*. Quomodo *E. Petrus* aut *Papa* *Ecclesiam* regere aut sustentare unquam potest, cum nesciant, qui sint sancti, & nunquam *Ecclesiam* videant; sed cogantur eam credere, sicut & nos omnes. *Solus Christus* eam videt, qui eam solus

solus congregat, servat & sustentat. (3) Papa vel Petrus non possunt dare Ecclesiæ fidem, charitatem & reliqua dona Spiritus S. nec ea auferre, aut mutare, aut secundum ea regere; sed solus Christus hic regit Ecclesiam. E. ipse solus est rector, fundamentum & magister Ecclesiæ, Matth. XXIII. 8. Nam (4) & ipse Petrus & Papa opus habent fundamento, charitate, spiritu & aliis donis: & si habent eadem cum cæteris omnibus, ac æqualia, non possunt in his Ecclesiis ulli esse inæquales aut superiores in Ecclesia. Si non habent eadem, non sunt in Ecclesia; quia non est aliud fundamentum Ecclesiæ, quam unum generale totius Ecclesiæ Christus. Hinc si quærat: quid sint Papa & Episcopi, quæque illorum potestas in Ecclesia? Respondet è Paulo I. Cor. IV. 1. *ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, non nostrum. Unde infallibiliter sequitur, Ecclesiam Christi non posse, nec debere audire, docere, nosse, acceptare, ullam aliam doctrinam, quam qua dispensantur ista mysteria Dei: eosque qui aliud docent, latrones & fures esse, & Papam, si & sua & Conciliorum præcepta, tanquam necessaria ad salutem, obtrudit, verissime esse Antichristum. II. Artic. *An Papa, cum, vel absque consilio à Deo facultas concessa sit, ultra Dei præceptum legem condere, cujus observatione homo salvari, vel contemptu damnari possit?* Resp. non. Imo nec omnibus Angelis hoc licet, aut ullis creaturis, quia salus & damnatio determinata est per Christum ad solam fidem in Spiritu, Marc. XVI. 15. 16. III. Artic. *An Papa & Concilia Dei præcepta commutare & ad nutum suum seu libitum depravare habeant?* Resp. non. Imo Paulus dicit: *anathema sit, qui aliud docuerit*, Gal. I. 9. & Christus Matth. V. 19. *qui solverit unum &c.* IV. *An Papa legitimos conjuges absque eo, quod alter eorum adulterium comiserit, divorciare, & cum utroque dispensare habeat, ut ad secunda vota convocare possint?* Resp. non. Quia stat verbum Dei: *quos Deus conjunxit, homo non separet.* Si autem aliqui juxta istum casum

separati sunt per Papam, & alius alii nupserit, adulteri sunt, nec excusabit eos Papæ error; quia verbum Dei debent omnes nosse. V. *An Papa matrimonium inter agnatos & cognatos, affines, vel cognatione spirituali conjunctos, contractum, præter gradus, qui lege Dei prohibiti sunt, absque utrorumque consensu vel voluntate discindere vel dissolvere possit: ita quod utrique demum nubere vel matrimonium contrahere liceat?* Resp. non. Quia à Papa & omnibus ministris verbi nihil prorsus debet tractari nisi mysteria Dei, verbum vitæ, doctrina fidei, nec quicquam geri secundum arbitrium cujuscunque citra verbum Dei. Subjectus est enim verbo Dei, licet usu jamdudum sese extulerit super omnem Deum, qui dicitur & colitur, 2. Thess. II. & omnia faciat contra, & supra, & citra verbum Dei.

Tom. II. Epist. pag. 176--180.

§. LXXV.

*Decretum
Noriberg.
conventus,*

In ipsis Comitibus, quod ad causam religionis attinet, *Campogius* omnem lapidem movit, ut *edictum Wormatiense*, utpote cum consensu statuum conditum, omnino executioni mandaretur, & de modo executionis deliberaretur. Idque etiam urgebat vehementer *Haunartus*, Legatus Imperatoris, ac tandem d. XVIII. Aprilis non sine contradictione multorum id decretum fuit, ad quod responderant ordines, se, *quantum ejus præstare possint, facturos*, speciatim, quæ de non edendis famosis libellis & picturis, & contra typographorum licentiam constituta essent: quod si molestiæ aut impedimenta suborirentur, ad regimen Imperiale recursuros, cui mandatum esset remedia adhibere. Hacque clausula, *quantum fieri possit*, satis consulebant Evangelicæ veritati, ut eventus quoque docuit. Conenserunt etiam unanimiter in Concilium liberum primo quoque tempore in Germania convocandum, ac ut interea Ordines Imperii Spiræ ad XI. Novembris convenirent, ibique deliberarent, quid eligi & sequi oporteat: & deligant viros probos at-
que

que doctos, qui ex libris novorum doctorum colligant, quæ disputanda sint in Concilio mox indicendo. Repetebatur quoque totidem verbis, quod in Edicto priorum Comitiorum d. VI. Martij A. 1523. sancitum fuerat, nimirum, ut interea verbum Dei pure & modeste doceatur, (quod mala fide *Pallavicinus & Maimburgius* reticent) juxta sensum & interpretationem scriptorum, ab Ecclesia approbatorum. Hæc non omnia placebant *Campegio*; unde respondit, non esse hominum secularium de rebus fidei, aut quomodo ea docenda vel prædicanda sit, pronunciare; adeoque examen, quod *Spiræ* instituendum judicassent, merito improbandum esse. De gravaminibus etiam adversus Ecclesiasticos superfluum dicebat deliberationem fore; cum sibi satis esset auctoritatis ad defectus illos corrigendos: at quæ ad Curiam Romanam vel Pontificem attinent, de iis per Oratores Romam missos cum *Clemente* commode agi posse. Ad hæc, cum *Argentineses* contra Episcopum suum querelas moverent apud *Campegium*, quod is, neglecta conventionne, Sacerdotes magna sui parte turpiter cum meretricibus, quas domi foveant, pessimo exemplo, vivere sineret, nec Magistratui eos puniri permetteret, impie respondit, non quidem recte facere, qui sic vivant, & Episcopum quoque talia tolerantem, negligere suum officium; sed tamen idcirco non licere istis matrimonium contrahere: & quod Sacerdotes fiant mariti, multo esse gravius peccatum, quam si plurimas domi meretrices alant &c. Nec hic substitere subdolæ *Campegii* artes; sed discedentibus à Conventu *Noriberg.* Principibus, cum iis, quos suæ causæ favere scivit, *Ratisbonæ* convenit, ibique in toto *et aliud quorundam Ratisbonæ consilio.* arcto fœdere pro defendenda religione Catholica & impugnanda evertendaque Lutheri doctrina, statuerunt, ut edictum Imperatoris contra Lutherum ejusque sectatores exacte servetur; in Missæ & Sacramentorum celebratione, ritibus, præceptis & consuetudinibus Ecclesiæ nihil innovetur; Monachi & Moniales,

niales, ordines suos deserentes, aut matrimonium contrahentes, S. Cœnam omiffa confessione percipientes, diebus vetitis carnem comedentes, fevere puniantur: Lutheri libri prohibeantur, & fuæ ditionis homines Wittembergæ literis operam dantes, revocentur, ac fi ire nolint, beneficiis omnibus & hæreditate priventur. Legatus quoque, consentientibus tum præfentibus Principibus, Canones divulgabat ad reformationem Cleri fpectantes, de veftitu, fabricis templorum, conviviiis, celebrandis feriis, jejuniis & fimilibus levioris momenti rebus.

Sleidan, *L. IV. p. m. 102. ff.* Suav. *p. 29. feq.* Seckendorf, *p. 288. ff.*

§. LXXVI.

*Quod Status
imperii ple-
riq, impro-
barunt
multis mo-
dis.*

Parum igitur effecit *Campegius* cum aflectis. Nam Ordines Imperii plurimi succensebant iis, qui Ratisbonæ conveniant, ac injuria fe affectos, conquerebantur, tum à Legato, ut candide *Suavis* fcribit, qui paucorum interventu id decreverat, quod ad univerfam Germaniam pertineret, idque pofteaquam nunciatum effer, nullum inde bonum cuiquam redundaturum, tum à pauculis Principibus ac Epifcopis, qui foli fibi fumpfiffent, cæteris etiam diflentibus, aétioni intervenire, quæ totam eam nationem obligaret. Illud etiam in ea reformatione reprehendebant, quod neglectis iis, quæ maximi effer momenti, quali nihil in fe haberent malefanum, aut incompoftum, de leviffimis quibusque emendandis cogitaffent; populo interim Germaniæ levia detrimenta ab infimis è Clero, multo graviora ab Epifcopis & Prælatiis indebita occupantibus; fed longe maxima ab oppreffionibus Curiæ Romanæ perpetente. Horum tamen, tanquam ad Ecclefiæ primitivæ exemplum, aut melius effer omnia conformata, ne mentionem quidem factam. Etiam in minutis illis è clero, ulcera non tangebant, fed iis incuratis, ac veluti approbatis, offenfionculis curandis manum applicabant, non veris folidisque ad mala perfananda adhibitis remediis, fola improbe factorum designatione atque objurgatione

conten-

contenti. Scilicet, quid loqueretur Germania, aut in quam partem acciperet Edicti publicationem, & quid inde sequeretur, id Legato, & iis qui cum eo sentiebant Principibus, admodum curæ non erat. Id unum illi curabant, Pontifici ut satisfacerent. Pontifici autem non aliud erat propositum, quam omni studio providere, ne Concilium videretur esse necessarium; perspiciebat enim pro sagacitate sua politica & carnali, aliam jam temporum hominumque rationem esse, ac antea, & *Hadriano* adhuc superstitie senserat pertinaciterque defenderat, perniciosum esse eorum consilium, qui Pontifici suaderent, illorum temporum difficultatibus Conciliorum via consulendum esse.

P. Suav. Lib. I. p. m. 29. 30.

§. LXXVII.

Recte igitur *Conventum Ratisbonensem schismatis initium* *Ratisbonen-*
 & quasi classicum fuisse scribit *Seckendorf*. Agnoscebant quippe *sis E. conven-*
 adhuc omnes Germaniæ Ordines (diverso licet aliquantum gra- *tus fuit ini-*
 du, nec sine dubitatione) Pontificem pro Capite Ecclesiæ, nec *tium schis-*
 spem de reformatione penitus abjecerant; sed hac per violen- *mat.*
 ta consilia, & ludicram potius quam seriam defectuum emenda-
 tionem, prorsus præcipitata, non potuit non immane illud schis-
 ma erumpere. Nam, quia nihil statuebatur de veris Curia Ro-
 manæ abusibus, de quibus in centum gravaminibus à Principi-
 bus ad Papam missis vel maxime agebatur, Lutheranos hinc
 ansam arripuisse dicit *Maimburgius*, ut animos hominum sua-
 rum partium tanto acrius adversus Romam irritarent. Quan-
 quam id nec factum sit, nec necesse fuerit, cum omnibus bonis
 jam dudum invisâ fuerit Pontificia tyrannis & dominatus im-
 potens. Hoc autem ex vero scribit, quod cæteri Principes, qui
 à Legato in Comitibus Noriberg. dissenserant, (imo etiam qui
 tum non dissenserant,) ægerrime tulerint, quod tam exiguus
 Collegarum numerus separatione facta ausus esset Ratisbonæ
 leges componere, quæ non nisi in universali totius Imperii con-
 ventu

ventu communicque consensu statui debuissent. Neque Cæsari placuit, quod Ordines Imperii Noribergæ, cum extraneo Principe, se inconsulto tantam rem agitassent adeoque definite respondissent. Itaque literis ad Principes datis questus est, quod cum ille libros omnes Lutheri damnasset, id Ordines ad contumeliosos tantum restrinxissent. Sed gravius eos increpuit, quod decrevissent Concilium in Germania celebrandum, & Legatum appellassent, ut ea de re cum Pontifice ageret: quasi id non magis ad Pontificem, & ad se, quam ad ipsos pertineret. Quod autem novum Conventum Spiræ habendum indixerint, ad religionem constituendam, donec Concilium congregetur, id se dicebat omnino nolle concedere, sed pro suo munere, quandoquidem sit Ecclesiæ Romanæ tutor atque patronus, modis omnibus decretum hoc improbare, ac contra mandare, ut edicto *Wormatiensi* pareant, & actionem omnem religionis differant, donec Pontificis suoque jussu Concilium habeatur. His literis imperiosius scriptis nihil effecit Cæsar, nec *Wormatiensis* decreti executio facta in plerisque locis est, & Principes Ferdinando Archiduci, qui literas Fratris miserat, responderunt, reperire se in provinciis & civitatibus suis impedimenta insuperabiliter obstantia demandatæ executioni. Accedebat etiam, quod sequente anno seditio rusticorum & Anabaptistarum motus exorti Germaniæ Principes satis occupatos distinuerint. Ita & callida consilia, & conatus sævi subito refrænabantur, & quod *Maimburgius* veritate convictus faretur, Lutherus securum se *Wittembergæ* ab Imperatoris fulmine esse videbat, quod longe magis quam Pontificium metuebat.

Seckendorff. pag. 293. a, b. Sleid. pag. 106. seq. Suav. pag. 31.

§. LXXVIII.

Admiranda providentia divina singularis.

Admiranda quædam Providentiæ divinæ singularis hic sunt notanda, præter ea, quæ ex dictis colligi facile possunt. Spirabant hostes minas & sanguinem contra Evangelicos. Audita fuit ante

ante decretum Norimberg. vox *Ferdinandi* ad Treviri aliorum-
que Electorum legatos, dicentis: *nisi Lutheri doctrinam extin-*
guatis, nihilo secius pellemini, ac si auxilia contra Turcas non
præstiteritis, maxime vos Prælati. *Episcopus Gurcensis* id con-
firmavit his verbis: *satius esse, ut Lutherani, quam ut Turci ex-*
tirparentur, & se adversus illos lubentius opem esse laturum.
Nil moti nec territi sunt indurati, præsentem manu Domini & Tra-
gico exemplo *Cancellarii Trevirensis*, qui biduo ante mortem in
convivio gloriatus fuerat, ante festum Martini abolendum esse
ferro negotium Lutheranum, ut *Lutherus Nic. Hausmanno* per
litteras significaverat, qui proinde, posteaquam finitis Comitibus
exemplum mandati Noriberg. à Comitibus Mansfeld. nactus
esset, illud una cum edicto WORMATIENSI publicatum edidit, &
adversa fronte illa inter se pugnare ostendit, adjuncto prologo
& epilogo vero & severo, non tamen, ceu *Maimburgius* pro mo-
re suo calumniatur, virulento. In prologo causam exprimit,
cur contraria edicta Imperatoria ediderit, nempe *εὐμπαθεία*
ingenti erga Germanos, si forte Deus ex gratia superabundante
quosdam Principes & alios ita feriret, ut cœcitatem suam sen-
tirent & palparent. Turpe quidem esse, quod Imperator &
Principes publice mendacia sectentur: longe autem turpius ef-
se, quod edicta sibi adversa promulgent; quemadmodum vel
inde cerni queat, quod mandetur, agi cum *Luthero* debere se-
cundum edictum *Wormatia* confectum: & tamen aliud repu-
gnans mandatum subjungatur, in futuris Comitibus, *Spira* insti-
tuendis, deliberandum esse, quid probari vel improbari in do-
ctrina *Lutheri* debeat. Hic, inquit *Lutherus*, sum simul damna-
tus, & ad futurum iudicium reservatus. En ebrios & stolidos
Principes, talia statuentes! Nos Germani debemus Papæ asini
& martyres esse ac manere: nil juvant hic querelæ, preces aut
monita, nil experientia propria & quotidiana, quantopere nos
vexaverit & deglutiverit pastor ille malus Pontifex. Ad mor-

tem me miserum cito expetitis, charissimi Principes & Domini, & quando id effeceritis, in magno lucro deputabitis. At si faciles ad audiendum aures haberetis, dicerem aliquid admirandum. Quid? si Lutheri vita tantum coram Deo valeret, ut illo non vivente amplius nec vos viveretis, aut de ditionibus vestris securi essetis, ejusque mors maximum vestrum omnium infortunium esset? Sane cum Deo non licet joculari. Per me quidem pergatis furere, occidatis & cremetis: non fugiam, Deo me roborente. Hic sum, vosque rogo humanissime, ut si semel me occideritis, ne me rursus excitetis & denuo trucidetis. Non cum hominibus ratione præditis, ut video, mihi res est, sed bestiarum Germanicarum me devorabunt, si dignus fuero, perinde ac si lupi & porci me dilacerarent. Consulo tamen omnibus, qui Deum esse credunt, ut abstineant ab isto edicto; quanquam enim Deus mihi eam gratiam concesserit, ut mortem non timeam, sicut antehac feci, isque mihi adfuturus sit, ut lubens & volens moriar: non tamen ante id effecerit, quam destinata hora advenerit, & Deus me vocaverit, ut ut scævierint quam maxime. Qui enim hucusque me salvum & incolumem præstitit, contra illorum voluntatem, & meam spem, ille me porro servare poterit, licet id non valde petam. Ac si mortem mihi inferunt, talem inferent mortem, ut neque ipsi neque illorum liberi vincant. Quare eos præmonitos vellem; neque enim id illis optarem. Sed parum proficio. Deus illos excecavit & induravit. Rogo autem vos omnes, Principes & Dominos meos clementes & inclementes (neque enim mala vobis imprecor, Deum testor, nec vos nocere mihi posse, certum habeo) per Deum, ut Deum ante oculos habeatis, & negotium alia ratione aggrediamini. Imminet profecto calamitas, & ira Dei ingruit, quam, si ita perrexeritis, non evadetis. Quid vultis, ô boni Domini! Deus sapientior est, quam vos; subito infaturate vos potest: fortior etiam est, & cito opprimere potest. Timete paululum ejus prudentiam,

dentiam, ne forte ex displicentia (Ungnade) tales cogitationes vobis indiderit, ut impingatis: quemadmodum semper cum Magnatibus ludere solet, & in toto mundo gloriose ebuccinat Psal. XXXIII. 13. *Deus irrita reddit consilia Principum.* DEPOSUIT POTENTES DE SEDE. Hoc vobis eveniet, si contra Deum surrexeritis.

In Epilogo rogat omnes Christianos, ut Deum orent pro ejusmodi miseris excecatis Principibus, quos Deus in ira dedit: & monet, ne temere arma adversus Turcos arripiant, nec pecunias ad isthoc bellum conferant, cum à talibus Principibus, qui decies Turcis pejores sint, nullus sperari queat successus. Cæsarem quippe impudentissime nomen sibi sumere summi defensoris fidei & Ecclesiæ Christianæ; cum tamen Scriptura dicat, fidem Christianam esse petram, quam nec diabolus nec mors superare possit, Matth. XVI. 18. Pari stoliditate Angliæ Regem eundem defensoris titulum sibi arrogare, & Hungaros Dei defensores se vocare, dum in litania canant: *nos defensores tuos exaudire digneris.* Hæc se ait dolere toto pectore & effundere in sinum omnium piorum, ut ejusmodi insanorum & furibundorum misereantur. Vel decies, inquit, mortem obire exoptatius esset, quam audire tales blasphemias Majestatis divinæ. Digna hæc merces est, ut verbum Dei persequantur; idcirco tam palpabili cœcitate percutiuntur, & impingunt. Deus nos ab illis liberet, & alios nobis ex gratia Magistratus largiatur, Amen.

Tom. II. Alt. pag. 762 -- 771. Tom. II. Lat. Wittemb. fol. 444. ff.

§. LXXIX.

Non sivit inauditas piorum preces Deus, sed subinde non-
 va hoc anno incrementa dedit prædicationi Evangelii puriori: *Incrementa*
 quod *Maimburgius* diffiteri nequit, licet nonnulla ex sequentium *Evangelium*
 annorum historia huc referat, merito à *Seckendorffio* propterea *Prussia, per*
 notatus. Nos veriora & certiora strictim persequemur. Ipse *Georg. à Po-*
lensis Episco-
pum Sam-
biensem.
Lutherus (m) ad *Spalatinum*, qui cum Electore ad Comitum *Nö-*
riberg.

riberg. iverat, Calendis Febr. ita de progressu *Evangelii* scripsit: quotidie magis ac magis Evangelion oritur & procedit in Livonia, præsertim apud Rigenses sceleriter, quorum literas ac Legatum nuper suscepi. Sic mirabilis est CHRISTUS! Sed & *Episcopus* tandem unus CHRISTO nomen dedit, & evangelizat in Prussia, nempe *Sambiensis*, (*Georgius Polentius*, qui emisso ad Parochos diplomate Lutheri libros commendavit legendos, & Baptismum lingua patria instituit.) quem fovet & erudit *Johannes Brisnannus*, quem illuc misimus abjecto cucullo, ut & Prussia regno Satanæ valedicere incipiat. Quæ *Uratislavia* gesta sunt & Thurego (*Tiguri*) apud Helvetios, credo te audivisse. Ut videant aliquando stulti Principes & Episcopi, non Lutherum nihili hominem, sed omnipotentem CHRISTUM hæc agere, & ab sese damnari si digni fuerint, id quoque videre. In Epistola, (n) qua Lutherus *Sambiensis Episcopo* Deuteronomium ex Ebræo castigatum cum annotationibus nuncupavit, quæque hoc anno exarata fuit, licet sequens 1525. cum commentarius ederetur, adscriptus ei sit, plurima notatu digna reperiuntur, quæ huc pertinent. Testatur Lutherus lætitiâ summam, quam concepit ex Episcopi sincera fide in Christum, & operosa charitate in fratres; sicque existimat, si forte Dominus dare dignetur, ut exemplo hoc tam novo & singulari & alii Pontifices & Principes aliquot accensi, Ecclesiam Dei novo miraculo lætificarent, & purum Dei verbum rejectis traditionibus & opinionibus humanis, susciperent, colerent, & proveherent, sicut exigit eorum vocatio & professio. Insigne igitur miraculum gratiæ Dei extollit, quam in Episcopo valere, regnare & triumphare videant & audiant boni quique cum gaudio; quod cum unicum & solum inter omnes Episcopos orbis elegerit Dominus, & liberaverit ex ore Satanæ: cum in cæteris Episcopis nihil videatur (licet inter eos speret aliquot Nicodemus) nisi quod subversis Cæsare & Regibus ac Principibus, fremant & insaniant

Cui Lutherus annotationes in Deuteronomio dedit.

niant contra resurgens, vel potius oriens Evangelium. Gratulatur ergo *Ei* de singulari plano & mirabili gratia Dei donata, ut non modo verbum acceperit & crediderit, sed pro Episcopali autoritate etiam palam & publice confessus docuerit docerique per suam Diocesin curaverit, liberaliter his, qui in verbo laborant, provisus, videntibus impiis, irascentibus ac dentibus suis frementibus & tabescentibus frustra. Addit insuper, se non esse veritum, quod hac deprædicatione oneret Episcopum odio & invidia cæterorum Pontificum, Regum & Principum, aut etiam in periculum vitæ trahat, quandoquidem hodie nullum flagitium par sit, huic uni & summo sacrilegio, scilicet Evangelium Dei confiteri. Persuasum tamen se certissime esse dixit, quod is, qui Episcopum honoraverit verbo crucis, simul eum roboraturus sit & spiritu crucis, triumphaturusque in carne ejus, non modo blasphemias nominis, & odia, & furores Potentium in mundo, sed etiam vires & violentiam Satanæ cum toto suo regno.

Gratulatur denique ei, quod divina benignitate nactus fuerit Principem terræ Evangelio studiosissimum, Albertum Ducem, ac sperat utriusque præsidio Christianissimo, Prussiam totam Evangelii doctrina illustratam ac repurgatam iri.

(m) *Tom. II. Epist. p. 183.* (n) *Tom. III. Jen. Lat. fol. 76. b. -- 78. a.*
Tom. II. Epist. pag. 285. seqq.

§. LXXX.

Alibi quoque ostium Evangelio apertum est, ut iterum *Breme & Lutherus* Spalatino significavit his verbis per Epistolam: *Bre. Brunsvigi. menses* proficiunt in verbo, ut jam vocarint nostrum *Jacobum Iperensem* pro Evangelista in alteram Ecclesiam, *Duces Melkelburgenses* ambo, alter per *Hansen Loser* / alter per priorem *Sternbergensem* petunt Evangelistas. Dux *Henricus Brunsvicensis*, teste *Cordo Rucio* incipit Evangelion amplecti, vocato quodam nostri Ordinis ex *Helmsted* in *Concionatorem*, quem post-

quam Senatus Brunsvicensis recusasset, ipse constituit in domo sua Brunsvigi, ut prædicet; nam *Wilhelmum* fratrem ipse captivum quidem sed Christianissimum prædicat. *Uratislavia* disputatio *Johannis Hessi* processit feliciter, frustra resistantibus tot Legatis Regum & technis Episcopi.

Tom. II. Epist. pag. 205. conf. pag. 233. & Seckendorff. pag. 294. b.

§. LXXXI.

*Epistola Lutheri ad Bre-
menses, qua
Henrici
Sudphani
martyrium
celebrat.*

Quod de *Bremensibus* innuimus, confirmat *Epistola Lutheri ad Bre-ri ad omnes Dei electos Brema* hoc anno scripta, qua historiam martyrii *Henrici Zutphanensis*, Augustiniani, qui posteaquam Antverpiæ à tyrannis & hostibus Evangelii expulsus Bremam venit, ut Wittembergam tenderet, ibique post unam alteramque exhortationem Evangelicam, rogatu piorum habitam, à tota parochiæ Ecclesia ad officium verbi vocatus, per biennium substitit, deinde A. 1524. à civibus *Meldorffensibus* in Dithmarfia expetitus eo abiit, & à furiosis adversariis tandem propter Evangelii doctrinam ad supplicium ignis raptus & condemnatus, miserabili morte & magno cum cruciatu interfectus fuit, cordate celebravit, atque vulgavit, in cumulum laudis & gloriæ omnipotentis gratiæ Dei, quod non solum verbi sui sincere audiendi & legendi copiam fecerit, sed etiam efficacibus indubitatisque virtutibus illud ipsum confirmaverit, & tam audaces fortesque reddiderit testes veritatis, ut crucis contumeliam patienter sufferentes indignis modis affligantur. Inter hos haud dubie *Henricum Sudphanum* potissimum eminenter elucere dixit, qui terribilem adeo mortem à Dithmariis parricidis crudeliter peremptus obierit, sanguineque suo prodigaliter effuso, doctrinæ Christianæ testimonium certissimum exhibuerit. Atque hinc visum sibi fuisse recte facturum memorat, si ejus martyrii seriem historica narratione contextam ad Bremenses perscriberet publicaretque, quo eos moneret in tempore, ne aut se ipsos tristitia perturbarent, aut in parridas Dithmarios pro-

probrosi dictis invehentur acerbius, sed exultarent gaudio, Deum laudarent, & gratias agerent, qui dignos ipsos iudicaverit, ut viderint ejus miraculum & gratiam. Nam cædis auctores jam justo majorem ultionem perpeffos esse, cum quod suas ipsorum manus innocentis hominis sanguine adeo funeste & crudeliter contaminaverint, tum quod tanti parricidii criminis sic horribiliter coram Deo rei facti sint, ita, ut longe magis opus sit eorum inauditam crudelitatem quam Henrici innocentem mortem deplorare. Atqui etiam pro iis orandum esse, quo nedum ipsi, verum etiam totius Dietmariæ regionis incolæ ad veram fidem, inque veritatis cognitionem perducti convertantur; quem fructum ex *Henrici* morte certo secuturum sperat: præcipue cum jam bona eorum pars Evangelii cupida dicatur, quæque plurimum doleat tanti parricidii scelus à suis esse commissum; Deum enim, qui *B. Henricum* ab his occidi voluerit, haud dubie in animum induxisse, non solum graviter punire impios, non relapsos, verum etiam hanc *Henrici* mortem multis in ea regione facere salutiferam, multosque per hanc ad æternæ immortalitatis securitatem perducere. Quamobrem orat, eisque commendat nonum Psalmum decantandum & legendum, huic rei apte & peculiariter congruentem, ne quo modo ob Christi gloriam occisis martyribus sint afflictio animo, sed alacri & gestiente, pietissimi Dei inæstimabilem misericordiam laudantes, certi fructus gratia, quem Deus per suorum martyrum passiones in terris mirabiliter & multo sænore producat. Cujus Psalmi enarrationem brevem iis transmisit, & ad extremum *Jacobum*, Præpositum ipsorum aliosque diligenter illis commendavit, precatusque est, ut Deus masculino spiritu eos animare suamque gratiam largiti dignetur, ut à doctrina Evangelii *Henrici* sanguine obsignata confirmataque stent perseverantes, & Deo vocante intrepide alacriterque sequantur.

Tom. II. Epistol. pag. 252 -- 268. Tom. VIII. Hist. Lat. fol. 492. seqq.

§. LXXXII.

*Antichri-
stiana per-
secutiones,
Budæ, Vien-
na, Praga.*

Sed & alibi Satanas & Antichristus persecutionibus Evan-
gelium evertere studuit, quod tamen inter eos magis magisque
enituit. Nam, ut in eadem Epistola ad Bremenses *Lutherus* scri-
psit: in album & catalogum martyrum referendus merito etiam
est *Caspar Tauberus*, Viennæ Pannoniæ igni absumptus, item
Georgius Bibliopola, quem vita spoliavit Ungaria Budæ, qui si-
mul cum libris circa eum positus exustus est. Sed & illum non
injuria his adjungendum censeo, quem non ita pridem *Praga*
in Bohemia supremo supplicio adfectum esse audio, non aliam
ob culpam, quam quod libidinosa castitatis deserto ordine, ad
Christiani connubii & vere celebis vitæ ordinem sese contule-
rat. Tales & ejusmodi sunt, qui suo sanguine Papatum una cum
diabolo Papistarum DEO brevi sunt suffocaturi. Hi quoque sunt,
quorum opera & studio divini verbi pura sinceritas illibate ad-
servabitur, præ recentium & noviter subortorum calumniato-
rum immunditie & spurcicia, *Carolstadiana* nimirum factionis
Pseudoprophetarum, quorum vesana rabies passim grassatur im-
pie & ingravescit. Neque enim dubium est, quin in hoc DEUS
omnipotens pro sua in nos paterna misericordia hos morti & san-
guinem effundere permittat hoc tempore, in quo tam varii sup-
pullulant errores, ut nos per hoc monere videatur, horumque
morte testatum habere, hanc suam esse doctrinam, per quam
veri spiritus donum CHRISTO credentibus cœlitus demitti-
tur: & quam ipsi docuerint, servaverint, & cui tandem morte
multati, martyrio suo verum præstiterunt testimonium. Non
secus atque olim sancti martyres ob Evangelii gloriam mortui
sunt, illudque sanguinis sui signo consignatum ut verax & in-
fallibile persuaserunt omnibus. Et eam quidem piæ jactantiæ
gloriam nunquam habuerunt hi, qui bonorum operum falsa
præsumta fiducia humanæ justitiæ damnabili hypocrisi, liberi
arbitrii mentito titulo mundum docuerunt & seduxerunt. Nam

obtalem doctrinam Diabolus occidit neminem, facile eandem perferens. Quin etiam hujus nomine mendaciorum & vanitatum doctoribus magnas opes, honorem, dignitates, hujus mundi potestatem & dominium largitur, quibus aucti pacatam & mollem vitam exigant. Quod si quoque ob hoc mortem oppeterent, non tamen Dei martyres essent, sed suorum ipsorum & diaboli, non secus atque Gentiles, qui ob justitiam & bona temporalia, obque inanem nominis celebritatem non semel fortiter mortem pertulerunt atrocissimis suppliciis excarnificati.

Tom. II. Epist. pag. 253. Conf. pag. 243. b.

§. LXXXIII.

Eadem sævitia in media Saxoniam sive Misnia grassabatur *in Saxoniam.*
Georgius Saxoniam Dux, adversus Lipsienses inprimis, ex quibus, narrante Schneidero in Chron. Lips. apud Seckendorf. p. 316. a. duro licet Principis & Episcopi Mersburgensis, ac universi Cleri jugo pressis, multi doctrinam Evangelicam magno desiderio flagrabant, sed multatis, carcere, exiliis coerciti, meliora tempora expectare cogebantur. Capite tum publice in foro Lipsiensi plexus est Johannes Hergotius, Bibliopola: ex Academicis Magister quidam Sebastianus Fröschelius, instigante Episcopo, Lutheranismi causa captus, & in arcem ductus ab ipso Principe vehementissime increpatus & in exilium ejectus est, (is postea Diaconatum Wittembergæ multis gessit annis) alii Mersburgum missi, in carceribus Episcopi dum viverent habendi, nec multo post duo alii ex civibus capitibus truncati sunt.

§. LXXXIV.

Quamquam verò pax fuerit sub Ducatu Electoris Frid- *Bavaria & Treviris.*
 rici, ut Lutherus ad *Lampertum Thorn*, in vinculis Evangelii causa positum, scribit, (quem epistola egregia consolatur, & confirmat, proposito exemplo gemino, *Henrici & Johannis*, & Christi ipsius, qui in eo patitur & glorificetur, intusque roborat suo spiritu, se vero miserum vocat, qui primus ista docuisse

Y

jacte.

jactetur, & novissimus aut forte nunquam vinculorum & signium particeps esse dignus sit;) Dux tamen Bavarix & Episcopus Trevirensis multos perdebat, proscribent ac persequerentur. Alii Episcopi & Principes à sanguine quidem temperabant, sed non à vi & minis.

Tom. II. Epist. pag. 182.

§. LXXXV.

Initia reformationis in Hassia sub Philippo Landgravio.

De incrementis Lutheranismi aliis alibi locorum observatis, inter persecutiones, non licet prolixè agere, nec opus est, cum quæ *Maimburgius* huc retulit, ex historia sequentium annorum anticipata esse *Seckendorffius* notaverit & discussit. De *Hassia* tamen ut nonnulla addam, amor me cogit, cujus *Maimburgius* est oblitus; cum tamen *Varillasius* Philippum Landgravium Hassiæ, omnis ætatis memoriæq; clarissimum, inter primos Lutheri protectores jam Comitiorum Wormatiensium tempore A. 1521. retulerit. Illud certum est, quod A. 1524. quædam reformationis sive initia sive præludia in Hassia facta sint, cujus occasionem forte dedit (o) *Philippus Melancthon*, qui hoc ipso anno edidit *Summam doctrinæ Christianæ à Deo reddita mundo*, quam *Philippo* nuncupavit, in qua de Luthero testatus est, quod purum Dei Evangelium doceat, & his maxime verbis claudit: commendo fidei negotium T. C. conscientix, quod si curæ cordique ei fuerit, optabit potius *Josaphat* quam *Pharao* esse. Precor ut *Christus* T. C. illuminet, & talem det mentem, quo & sibi & suis bene consulat, ne Evangelium impediatur, nec tyrannice agat cum iis, qui conscientia urgente ea aggrediuntur, quæ *Papa* prohibuit in suis Canonibus.

Huc etiam refero, quod non tantum d. 18. Julij 1524. editum vulgaverit (p) ad Proceres & præfectos Hassiæ, in quo compositiones aliæque prohibet, in bonos mores & publicam utilitatem peccantia; verum etiam de cultu vero divino mandaverit. ut Pastoribus, quibus concionandi munus incumbit, injungere-

gre-

geretur, ut populum in Evangelio & doctrina Christi Servatoris nostri pure & liquido instruant, ad amorem Dei & proximi, ad concordiam & pacem mutuan, & ad reverentiam obsequiumque erga magistratum legitimum, utque seditiones, turbas ac rixas cum omnibus hominibus evitent, secundum doctrinam Christi omniumque ejus Apostolorum. Nonnulla etiam statuit de non ferendis in provincia mendicis & vagantibus, & prohibuit *stationarios*, qui reliquias sanctorum *circumferebant ad stationem*, quam vocabant, sive mendicationem, admitti, exceptis *Antonianis*, qui in urbe *Grünberga* erant. Legisse *Philippum* Lutheri & Melanchthonis scripta, constat ex Epistola *Nicolai Ferberi*, Minoritarum Marpurgensium Guardiani ad Principem d. IX. Januar. sequentis anni data, qua ei hoc objicit. Cui *Philippus* respondit optime, eique neganti *homines sola fide justificari*, dicta sacrarum literarum opposuit. Improbavit quoque, quod virginem Deiparam pro Mediatrix inter Deum & homines venditaverit, ac Evangelium plebi rusticæ prædicari inconsultum duxerit: utrumque Minoritæ assertum S. Scripturæ testimoniis breviter refutavit, & cohortantise, ut exemplo aliorum Regum & Principum in Italia, Gallia, Hispania, & alibi gladio in Lutheranos animadverteret, regessit: hoc cum Christiana charitate parum congruere, ac se à veteribus institutis, quæ fundamentum in Scriptura S. haberent, non discessurum, neque tamen meris hominum traditionibus in hæsurum esse, sed regulam verbi divini servaturum. Feria 2. post Lætare A. 1525. (q) ad Spalatinum ita scripsit: gaudeo *Hessorum Principem* nostris Principibus colloqui; spero Evangelii fructum fore.

(o) D. Henr. Leuchter antiqua *Hessorum fides Christiana & vera* p. 10. f. (p) Seckendorf, pag. 295 b. 296. a. (q) Tom. II, Epist. pag. 278. b.

§. LXXXVI.

Inter progressus Evangelii multa certamina subeunda fuerunt Luthero, contra internos pariter atque externos hostes, quæ

*Certamina
Lutheri
cum Carol-*

*Radio &
Anabapt.*

quæ cursui remoram objicere videbantur. Nimis prolixum esset, omnia hic memorare, nedum excutere: nec id fert instituti ratio. Nemo ignorat quantas turbas excitaverit *Carolo stadus & Münzerus*, & quanta virtute eis se opposuerit Noster, cum in disputationibus, tum in scriptis. Cœpit etiam hoc anno infelix illa *controversia Sacramentaria*, de qua breviter Lutherus in Epistolis passim & in scriptis peculiaribus prolixè egit, quæ nunc non attingimus, sed argumento nostro insistentes, ea duntaxat strictim persequemur, quæ historiam Papatus oppugnati spectant.

§. LXXXVII.

*Liber de
seruo arbitrio
contra
Erasmum.*

Inter præcipua haud dubie scripta hujus anni *Polemica* numeratur Tractatus de *Seruo Arbitrio*, quo *Diatriba Erasmi* de hoc argumento in Nostrum edita, respondit. Quanquam enim *Erasmus* jam ante editis libellis in aliquot locis, pro Pontificiorum gratia captanda, aut furore mitigando, Lutherum acerbiuscule momorderit & perstrinxerit; *Lutherus* tamen id non admodum ægre tulit, quia videbat ei nondum à Domino datam esse fortitudinem, ut monstris illis secum fidenter occurreret, ac propterea stylum in eum cohibuit, eumque rogavit, ut si per imbecillitatem aliud præstare non posset, spectator tantum sit Tragediæ, nec copias jungat cum adversariis suis, præsertim ne edat libellos contra se, sicuti vicissim recipiat, se neque aliquid contra eum editurum. Respondit *Luthero Erasmus*, & cum timiditatem objectam negavit, tum haud obscure indicavit, se omnino in Lutherum scripturum. *Fortasse*, inquit, *Erasmus scribens in te magis profuerit Evangelio, quam quidam stolidè scribentes pro te*, per quos non licet esse spectatorem istius Tragediæ. Fecit etiam re ipsa hoc, stimulatus ab Adriano Pontifice Rege Angliæ, Episcopo Londinensi, Cutberto Tonstallo, aliisque, ne pensionum jacturam, quibus in Anglia fruebatur, amitteret, & Monachos confirmaret, quod juratissimus *Luthero*

thero esset. *Lutherus* ei tardius nonnihil præter morem suum respondit, non ex quadam formidine, sed mero tædio, indignatione & contemptu, quod videret, *Erasmum* in tanta re nihil dicere, quod non sit dictum prius, atque adeo minus dicere & plustribuere libero arbitrio, quam hætenus *Sophistæ* dixerint & tribuerint, ut etiam supervacaneum visum fuerit respondere argumentis ejus, antea à se quoque toties confutatis, conculcatis vero & prorsus prohibitis per *Philippum Melanch.* de Locis Theologicis invidium libellum. Summam hujus Tractatus in Loco de Libero Arbitrio habes. Reliqua ad historiam spectantia, *Seckendorffius* exposuit omnia. Liceat mihi spicilegium facere tantum & brevissime ex *Erasmi Hyperaspiste Diatriba adversus Seruum Arbitrium M. Lutheri*, edit. Basil. A. 1526. referre, quæ dicta quodammodo illustrent. In præfatione scribit, *Lutheri* librum serio sibi redditum, ac visum esse aliquam saltem responsionis partem, ad præfationem *Lutheri*, quamvis tumultuariam edere. In tractatione primum miratur, quod, quum *Diatriba* nil habeat nisi moderatam de re disputationem, quumque è propinquo & longinquo allatrent hostes, ad omnes obmutescens, *Diatribæ* respondendum putarit, & quidem immodeste; obsecutus fratribus, inter quos permultos esse sciat, quorum mores procul absint ab Evangelio, cujus titulo se venditent. Deinde coactum se & diu satis cunctatum esse, ut in *Lutherum* scriberet. Ego, inquit, tor eruditus, tot *Ecclesiæ* proceribus, tot orbis Monarchis efflagitantibus, quibusdam etiam cum minis exigentibus, ut summis eloquentiæ viribus in te detonarem, ac fulminarem, nisi vellem *Ecclesiæ* desertor, & tuæ sodalitatis fautor videri, tamen excusavi, non quod probarem tua dogmata, quæ sicuti vere scribis non intelligebam, sed partim ne imprudens læderem causam, cui initio totus pene orbis applaudebat, partim quod intelligerem negotium non esse mearum virium. Itaque metuebam, ne, quod solent imperiti medici, ma-

lum sinistra curatione exasperarem. Postremo sic aliquando mecum cogitabam, quid si Deo visum est corruptissimis horum temporum moribus, tam sævum dare medicum, qui sectionibus & usturis sanet, quod potionibus & malagmatis non poterat. Videbam eruditos homines pedibus in tua dogmata discedere, perspiciebam fatalem quendam orbis favorem, animadvertēbam quo vehementius à Theologis Principibus obsistebatur, hoc latius propagari, ac magis invalescere negotium; ex his ratiocinabar rem non sine numine geri, itaque decreveram spectator esse tuæ Tragœdiæ, sic apud me cogitans juxta Gamalielis sententiam, si Deus hæc movet, non est meum resistere, sin aliunde ortum est, quod agitur, sua sponte dissipabitur. In Actis Apostolorum legimus: cæterorum nemo audebat se illis conjugere. Simili religione abstinebam à vestro negotio. Verum ubi Principibus diutius excusare non possem, & opprimerer invidia falsissimaque suspicione, scripsi Diatribam, sed ita temperato stilo, ut tu non posses optare disputationem civiliorem, ac Phariseis quibusdam visus sim tecum non decertare, sed coludere, qui sic dentes & unges continuerim. Certe putabam me abunde vitasse, ne tibi debachandi convitiis ansa data videretur. Quædam in tua assertionione dicta odiosius prudens dissimulavi; quoniam nisi te læso tractari non poterant. His autem omnibus insuper habitis Lutherum conqueritur in neminem amarulentius & hostilius scripisse, quam in se; nec illum unum fuisse, sed in uno libro varias voces diversasque manus sentire ait. Virulentiam & violentiam calami omnes in Luthero agnoscere, & moderationem desiderare, etiam ei addictissimos. Verum mordacitatem styli & alia satis diluit *Lutherus* multis in locis; ut nihil opus sit talia refellere. Alteram *Hyperaspista* partem A. 1527. edidit, & *Georgio Saxonie* Duci misit Erasmus.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 165. b. 166. a. P. Erasmi Hyperasp.

§. LXXXVIII.

Non defuerunt etiam alii hoc anno, qui Lutherum acer- *Cochleo cur*
bissimis scriptis insectarentur, inter quos *Cochleus* primipilus *non respon-*
fuit. Sed Noster latratus eorum contempsit generose, & ad Spa- *derit,*
latinum, qui duos libellos Cochleæi Luthero Norimberga mise-
rat, ita scripsit: *Cochleo non est ut respondeatur*, cum aliis simus
occupati melioribus, & ejusmodi libri per se pereant quotidie
multi.

Tom. II. Epist. pag. 183. a.

§. LXXXIX.

Majorem operam dedit Lutherus, ut Evangelium quovis *nec aliis*
modo propagaret, quam ut adversarios omnes refutaret. Re- *omnibus*
putavit nimirum id secum jam tum, quod A. 1537. in præfat. ad *adversarios*
Artic. Smalcald. scripserat: deberem quidem ad omnia respon-
dere, dum adhuc vivo. Sed quæso, quomodo omnia diaboli ora
obstruere solus possum? præsertim eorum, (utpote venenato-
rum omnium) qui nec audire, nec attendere volunt, quid scri-
bamus, sed in eo toti sunt, ut verba nostra etiam in minutissimis
litteris scelerate pervertant & depravent. His ergo diabolus re-
spondeat, & tandem ira Dei, quemadmodum merentur. Sæpe
recordor boni Gersonis, dubitantis, num quid boni publice
scribendum & proferendum sit? si scriptio omittitur, multæ
animæ negliguntur, quæ liberari potuissent. Si vero illa præsta-
tur, statim diabolus præsto est cum linguis pestiferis & calumnia-
rum plenis, quæ omnia corrumpunt, & veneno inficiunt, ut
utilitas scriptorum impediatur. Quid tamen ex ista malitia
sua commodi recipiant, manifestum est. Quia enim nos men-
daciis perditæ onerantur, & simplices per ista mendacia in
suo cœtu retinere voluerunt, DEUS opus suum subinde pro-
movit, & ipsorum cœtum reddidit minorem, nostrorum vero
majorem, ac ipsos ob mendacia confudit, & confundit
etiamnum

Artic. Smalcald. præfat. pag. 299. 300.

§. XC.

*Germanica
Bibliorum
translatio
& cantio-
nes.*

Ad propagationem vero Evangelii cum plurimum facere nosset Bibliorum in vernaculam linguam translationem & cantiones Germanicas, in utroque studium suum hoc anno diligenter continuavit. Quod ex ejus Epistola ad *Spalatinum* Feria III. post Reminiscere data liquet, qua (r) ita scribit: *expecto simul quoque*, si quid partum tibi est, *Cantilena spiritualis*, in Psalmos, sicut nuper scripsi. In transferendo Hiob tantum est nobis negotii ob styli grandissimi granditatem, ut videatur multo impatientior translationis nostræ esse, quam fuit consolationis amicorum, aut certe perpetuo vult sedere in sterquilinio. Nisi forte id voluit author libri ejus, ne unquam transferatur: ea res moratur præla in hac tertia parte Bibliæ. Hoc anno etiam Psalterium prodiit; de quo & aliis ad historiam Versionis German. Bibl. B. Viri spectantibus vid. *D. Mayerus* Cap. I. §. II.

De hymnis mentem suam aperuit, & *Spalatinus Doltzique*, equestris ordinis viri, sociatos labores petiit his verbis: *Consilium est exemplo Prophetarum & priscorum Patrum Ecclesiæ, Psalmos vernaculos condere pro vulgo, id est, spirituales cantilenas, quo verbum Dei vel cantu inter populos maneat. Quærimus itaque undique Poëtas, cum vero tibi data sit & copia & elegantia linguæ Germanicæ, ac multo usu exculta, oro ut nobiscum in hac re labores, & tentes aliquem Psalmorum in cantilenam transferre, sicut hîc habes meum exemplum; velim autem novas & aulicas vuculas omitti, quo pro captu vulgi, quam simplicissima, vulgatissimaque, tamen munda simul & apta verba canerentur. Deinde sententia perspicua & Psalmis quam proxima redderetur, libere itaque hîc agendum & accepto sensu, verbis relictis, per alia verba commoda vertendum, ego non habeo tantum gratiæ, ut tale quid possem, quale vellem. Itaque tentabo, si tu vel Heman, vel Asaph, vel Jeduthum sis. Idem peterem à Joanne Doltziko, qui & ipse copiosus & elegans est.*

est, sicutamen, si vobis otium fuerit, quod suspicor modo non esse tantū. Habes (s) autem meos septem Psalmos pœnitentiales & commentarios, è quibus sensum Psalmi capere poteris, aut si placet assignari tibi Psalmum primum, ita, *Domine ne in furore*, vel septimum, *Domine exaudi orationem*: Joanni Doltziko Psalmum secundum, item, *Beati quorum*, assigno, nam *de profundis*, à me versus est, *Miserere mei* jam prædestinatus fieri, vel si hi difficiliore sunt, arripite illos duos: *benedicam Dominum in omni tempore*, & *exultate justi in Domino*, id est, 33. & 32. vel Psal. 103. *benedic anima mea Dominum*. Nec fructu consilium fuit destitutum. Erat enim in aula Friderici præfectus Musici chori, Jo. Waltherus, qui tonos composuit quatuor vocum, exiitque hoc anno primus Cationum sacrarum libellus, cui præfatiunculam *Lutherus* præmisit, (t) in qua piorum hyannorum usum ex Ecclesiæ non solum ritu, sed etiam ex verbo Dei adstruit, 1. Cor. XIV. 16. Coloss. III. 16. causasque editarum cationum memorat, ut Evangelium Dei gratia rursus exortum urgeatur & propagetur, nosque gloriari possemus, ut Moses facit in suo Cantico Ex. XVI. 1. ff. Christum esse nostram laudem & canticū, & nil dicamus aut canamus nisi Jesum Christum, Salvatorem nostrum, 1. Cor. II. 2. porro juvenus in Musica pie instituatur ac pro impuris canticis (*Bulens Lieder*) sacra substituatur. Rogat denique omnes Christianos, ut in hoc pio opere instituendæ juvenutis elaborent. A. M. D. XXIX. denuo prodiit iste libellus cum veteri & nova præfatione, (u) sed auctior & emendatior, cui insertæ sunt aliorum etiam compositiones. Unde Lutherus monet funeralem hymnum, *Nun laffet uns den Leib begraben*/nomen suum præferre, quod removendum sit, cum ipse eum non composuerit, nec tamen rejiciat, quia autorem habeat bonum Poëtam, Johannem Weis/ nisi quod parumper erraverit in Sacramento Cœnæ, *daß er ein wenig geschwärmee hat im Sacrament*.

(r) Tom. II. Epist. p. 183. b. (s) Tom. II. Epistol. pag. 239. (t) Tom. II. pag. 751. a. (u) Tom. VIII. Alt. pag. 570 -- 587.

Z

§. XCI.

*Paranesis
Lutheri ad
Magistra-
tus Germ. de
Scholis eri-
gendis.*

Valde igitur sollicitus fuit *Lutherus* de juventute rite imbuenda, ac eo nomine formam Scholæ instituendæ per (x) *Spatinum* Principi proponendam misit, pauloq; post gravissimam publicavit parænesin, (y) *ad Consules & Senatores Germania de Scholis erigendis*, qua primo queritur, passim Scholas interire, Academias detrimenta pati, monasteria desereri, & plebem carnalem, cum liberos suos, alieno sumtu hucusque in monasteriis sustentatos, videat non sic amplius ali posse, nec Sacerdotes, Monachos monachasque fieri, malle eos omnes alio vitæ genere victum sibi parare: sicque diabolum notat in aliud extremum tendere, & id moliri, ut juventutem, quam corruptelis monasticis eximi cernat, jam ab omni informatione & eruditione remotam, in barbariem & animæ periculum præcipitet. Deinde culpam istam parentum tenacitatem, quod tot sumtibus indulgentiarum, missarum, vigiliarum, foundationum, testamentorum, anniversariorum, fraternitatum, peregrinationum, & quos in mendicantium greges erogabant, levati, tantillam partem ad liberorum in Scholis educationem conferre detrectent; ac monet, ut tempus gratiosæ visitationis Dei observent, quo vivant juvenes virique doctissimi, omni artium linguarumque peritia instructissimi, per quos pueri & adolescentes brevi plus discere possint, quam hucusque omnes Academia & Monasteria noverunt. Dei enim verbum & gratiam esse instar imbris, qui non redeat eo, ubi semel fuerit. Porro urget *severum Dei mandatum*, toties inculcatum Parentibus, ut liberos suos in timore & adhortatione Dei educant; quod si negligent, eos deterioribus brutis judicat, utpote quæ pullos suos de necessariis instruant. Proverbium esse vetus, *non minus est negligere Scholarem, quam corrumpere virginem*. Quia vero multi parentes officium suum non faciunt, alii vel propter imperitiam, vel ob domestica & servilia officia facere non possunt, Magistratui incumbere.

cumbere ostendit, ut juventutis instituendæ curam suscipiat, non solum in pietate, sed etiam eruditione & peritia variarum linguarum & artium liberalium, ad interpretationem & intelligentiam Scripturæ S. necessariarum. Hæc dona Dei largissime Germanis divinitus concessa, æstimari & coli debere, nisi Evangelium, quod quidem per Spiritum S. venit & quotidie venit, sed tamen mediantibus linguis, perque eas crevit & conservari debet, rursus amittere velimus &c. Vide plura hanc in rem adducta in Prolegom. de Theologia §. XXXI. pag. 41.

(x) Tom. II. Epist. pag. 235. b. (y) Tom. II. Alt. pag. 804. -- 815.

§. XCII.

Sermones & tractatus exegeticos vel hoc anno editos, vel ante scriptos, sed nunc Germanice factos, ut *Revelationem Antichristi* ex Daniele contra Catharinum, *de instituendis Ministris Ecclesiæ*, *Commentarium in Psalmos priores* usque ad XXII. &c. recensere supersedeo.

§. XCIII.

Hoc unum restare videtur, ut attingamus, priusquam ad sequentis anni acta progrediamur, quod Lutherus vestem monachalem, qua hucusque usus erat, deposuerit Dom. XX. P. Trinit. posteaquam Elector ei pannum misisset, & veluti jocans ei significasset, conficere ex eo sibi curaret vel togam pastorem, vel cucullum monachalem, aut Hispanicum. Quod ab Electore licentiam exuendi cucullum impetraverit, & titulum *Reverendi Patris* deposuerit, nullumque alium admiserit, quam *D. Martini Lutheri*, ut *Maimburgius* scribit, non constat satis, nec credibile est. Doctoris & Professoris munere functus, hocque titulo contentus fuit. Habitum monasticum & cognomen Augustiniani mutare necesse habuit, quia fratres cœnobitæ omnes, præter unicum Priorem, diffluxerant.

Tom. II. Alt. pag. 864. col. 4. Seckendorf. pag. 307.

Z 2

§. XCIV.

Lutherus
cucullum
exuit.

*A. 1525.
causa exor-
ta seditionis
Anabapti-
starum &
rusticorum
male Lu-
thero tri-
buitur.*

Annus MDXXV. videbatur cœptæ reformationi mul-
tum obstare, & hostibus non tantum calumniandi materiam
sed & bene sperandi de interitu exorti Lutheranismi occasio-
nem dedit, quando & Anabaptistarum & rusticorum turbæ
contra Magistratus conjuraverunt, atque insurrexerunt: quo-
rum *motuum causam* Lutherò malevoli tribuebant. Quan-
quam vero & Lutherus ipse, & alii multi sapius ejusmodi ca-
lumnias diluerint; non tamen cessant recentiores ex Pontificiis
scriptores eas recoquere, quemadmodum ex *Maimburgio* liquet.
Nobis ergo id hic repetere sufficiat, quod veræ seditionis rusti-
cæ causæ fuerint onera & tributa Germanicæ nationi, quæ li-
bertati assueta erat, ab Ecclesiasticis & Politicis Magistratibus
imposita. Cum enim Cleri & Monachorum ordines novi sem-
per surgerent, qui fruges, rusticorum labore & sudore partas,
consumere nati & assueti erant, augeri servitia (*Strohndienste*)
& graviores multæ indici, usuris gravissimis augeri peculia
Cleri cœperunt. Quo accessit decimarum collectio, sive ad
Levitici juris imitationem, sive prætextu expeditionum adver-
sus Saracenos & Turcas, qui Palæstinam occupaverant, institu-
ta. Has similesque artes & ancupia pecuniæ à Clero didice-
re Reges & Principes Germaniæ, & ab aliis nationibus, cum à
patria simplicitate abeuntes exterorum luxum adoptarent.
Quod jugum cum intolerabile nec ferendum esse putarent
subditi, variis in locis, & jam ante reformationem à Lutherò
susceptam, illud excutere aucti sunt, & tumultuari cœperunt, in
Algoia A. 1491. in agro Spirensi A. 1503. in Ducatu Würtem-
bergico A. 1514. in Austria 1515. in Croatia A. 1517. imò coloni
Carniolæ, Stiriæ & Carinthiæ, magno numero supra centum
millia congregati in scripto ad Magistratum & Nobilitatem nul-
lam circa reformationem religionis mentionem fecerunt. Quod
vero alibi deinceps Transdanubiani rustici inter XII. Articulos,
quos

quos publice vulgarunt, à Principibus & Magistratibus primo loco postularunt, ut sibi & singulis Ecclesiis potestas ac jus concederetur, eligendi ministros Ecclesie, eosque, rursus deponendi, si mereantur: & ut electi ministri purum Dei verbum sine omni additione vel admixtione humanarum traditionum aut praeceptionum docerent &c. id Lutherus in scriptis quibusdam Germanicis subinde declaravit prætexi tantum & dicis causa præmitti. In *præfatiuncula*, quam transactioni inter Suevici fœderis socios & rusticos præfixit, laudat quidem initam compositionem à rusticis; in *epilogo* tamen severe graviterque monet rusticos, ut à malo proposito desistant; cum nemo negare queat, eos malam habere causam, gravissimis peccatis oneratos intolerabilem Dei iram provocasse, insurgendo contra Magistratus à Deo sibi datos, quibus sub fide juramenti obstricti tolerare potius patienter debuissent omnes injurias sibi illatas, quam propria vindicta propulsare, & rebelliones concitare: atque hoc, quod turpissimum & maxime detestandum, sub Christiano nomine & prætextu Evangelii. Ita, ait, nomen Dei turpissime dehonestant & blasphemant, quasi Deo perfidi, rebelles, & proditores, imo manifesti latrones & blasphemi Deo placerent. Mox vix denunciat falsis prophetis, qui miseram plebem in corporum & animarum jacturam præcipites dent. *Adhortationem* quoque ad pacem super XII. Articulos rusticorum in Suevia, jam ante quam imania ab iis facinora patrata rescivisset, mense Majo edidit, qua Principes & rusticos fideliter officii sui admonuit. In ea aperte palamque 1. Principibus ac præcipue *cacis Episcopis & furentibus Monachis* causam motuum & seditionum tribuit; qui nondum sævire cessent in S. Evangelium, licet verum illud esse sciant, nec refellere queant; in Politico autem regimine exactionibus grassentur, per quas cum oppressione pauperum luxui & superbix satisfaciant. Sic Deum effundere contemtum super Principes, & per seditiosos rusticos frangere contumaciam

maciam eorum, qui verbo Dei obnituntur, & minati sunt, se Lutheranam doctrinam etiam cum provinciarum suarum interitu extincturos esse. Hinc 2. graviter à se amolitur calumniam, quod tumultus iste suæ doctrinæ fructus esse dicatur; quum ipsi pariter ac alii omnes testimonium sibi perhibere debeant, vel inviti, quod in summa quiete docuerit, contra omnem seditionem vehementer disputaverit, subditos ad honorem & obsequium superioribus præstandum, etiam tyrannis, semper cohortatus fuerit. Nullo igitur modo dogma illud à se profectum esse, sed autores ejus non alios esse, quam Pseudo-prophetas illos sanguinarios, qui jam toto triennio in plebe concitanda occupati fuerint; quibus nemo animosius quam ipse restiterit, qui sævientibus contra se Pontifice & Imperatore, patientia sua effecerit, ut quo magis sævierint, tanto latius propagata sit doctrina Evangelii. Deum itaque, cui omnia commiserit, cujusque potentia & tutela unice fiderit, se, invito Papa & omnibus adversariis, vivum servasse miraculose, & Evangelio semper majora augmenta dedisse. Ipse quoque passim in Comitatu Mansfeld. Stolberg. item Northusæ, Erfurti, Vinaris, Orlamundæ, Calæ & Jenæ ad sedandos rusticos conciones habuit. Hæc & similia his, abunde satis liberant nostrum ab impacta calumnia seditionis motæ: quemadmodum *Seckendorffius* operose, alique post eum breviter, interque hos honoratiss. Dn. Collega noster *D. Weberus* h. t. Acad. Prorektor Magnif. in Rustico seditioso ostenderunt. *Lutherus* quoque postea alium libellum Germanicum edidit, cum rescivisset rusticos, insuper habitis admonitionibus, in cædes & rapinas irruisse, sub hoc titulo: *Wider die räubischen und mörderischen Bauern / contra latrones & sicarios rusticos*: cui lemmatis loco præfixit verba Psal. VII. 17. *convertetur dolor ejus, (infortunium) in caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* In quo diabolica opera eos moliri & prodere mendacia scribit, quæ sub nomine

sine Evangelii in XII. Articulis occultaverint. Detegit etiam Archidiabolum Mülhusii tunc grassantem, *Thomam Münzerum*, eique ac sequacibus tria crimina exprobravit atrocissima, 1. juramenti Magistratus dati violationem. 2. seditiones, monasteriorum & arcium exspoliationem & destructionem. 3. Quod tam enormia facinora Evangelio pallient, & alios invites in societatem suam trahant, quam non sine contumelia Dei Christianam vocent. Refellit porro *communione bonorum*, quam prætendebant, & Baptisimum animas non corpora & bona reddere libera, affirmat, rusticosque in flagranti delicto cæcos damnari pronunciat; mitius tamen cum iis agi suadet, qui invites ad factionem seditiosam coacti fuerunt. Magnam sibi hoc scripto invidiam conciliaverat Lutherus, ac eo nomine paulo post apologiam prolixiusculam per modum Epistolæ ad *Casparum Müllerum*, Cancellarium Mansfeldensem edidit, brevius autem se purgavit in Epistola ad *Amsdorfium* feria III. post Exaudi * cum *novam gloriam* ipsi annunciasset Amsdorfius, quod *adulator Principum* vocetur à sciolis quibusdam concionatoribus. *Nostra*, inquit, *conscientia tuta est*, rectum esse coram Deo, quod egressum est ex ore meo, in hac parte. Ego sic sentio, melius est omnes Rusticos cædi, quam Principes & Magistratus, eo quod Rustici sine autoritate Dei gladium accipiunt. Quam nequitiam Satanæ sequi non potest, nisi mera Satânica vastitas regni Dei: & mundi Principes, etsi excedunt, tamen gladium autoritate Dei gerunt. Ibi utrumque regnum consistere potest, quare nulla misericordia, nulla patientia rusticis debetur, sed ira & indignatio Dei & hominum iis, qui non acquiescunt monitis, nec oblati conditionibus æquissimis cedunt, sed furore Satanæ solo pergunt omnia miscere. Quales sunt isti Thuringici & Franconici; hos ergo justificare, horum misereri, illis favere est Deum negare, blasphemare & de cælo velle dejicere. Hoc
dic

dic istis vestris concionatoribus, ut audiant & tentent, sed me non contentiente, imo eorum studia maledicente in nomine Domini, postea judicabit Dominus, uter spiritus sit ex diabolo, meus an illorum. Sed doleo istis blasphemis hominibus officium verbi & notitiam contigisse etiam per nos, Deus ipsos convertat & erudiat, aut rursus de sede deponat, Amen.

*Tom. III. Alt. p. 106. - 126. ff. 141. ff. * T. II. Ep. p. 289. Conf. Sleid. L. V.*

§. XCV.

αἰὲν ἁ-
λοῖστος
brevis.

Tantum igitur abest, ut causa motuum istorum Luthero ejusque doctrinae tribui possit, ut potius à denegata veritatis evangelicæ prædicatione ea arcessenda sit, quemadmodum *Fridericus Elector*, lethaliter decumbens in literis ad fratrem *Johannem* ingenue confessus est. Unde *Spalatinus*, qui ei à secretis & sacris erat, optimum remedium sedandorum tumultuum esse affirmavit, si Duces Sax. publico edicto provinciarum suarum prælatos exhortarentur, ut cultum divinum secundum purum Dei verbum instituerent, & ceremonias ei adversantes abrogarent; nec enim aliam esse seditionis rusticanae causam, quam idololatrici & impii cultus continuationem, quam eo usque Principes dissimulaverant. Moritur mox Sapientissimus Elector, & *Wittembergæ* in Templo omnium Sanctorum, modica pompa, sine Missa & vigiliis, absente ob expeditiones bellicas fratre. Binas ei habuit conciones funebres *Lutherus* super 1. Tess. IV. 13. ff. in quibus, cum laudasset pacificum *FridERICI* regimen, cognitionem veri Evangelii & firmam fidem in Christum, cujusque documenta illustria in morbo dederit, deplorat infelicitatem temporum & mala ominatur rebellibus rusticis, secuto mox eventu probata. Germaniæ quoque minatur, fore, nisi Evangelii thesauros grato animo foveat & emendatio sequatur, ut in spissiores tenebras, quam sub Papatu, ruitura, & novissima pejora sint futura prioribus, Luc. XI. 26.

Seckendorf. L. II. p. 33. f. Tom. II. Alt. pag. 889. -- 897.

§. XCVI.

§. XCVI.

Cum omnia sic turbata essent, *Lutherus* improviso plane *Nuptias* consilio & motu, nihilque tale expectantibus amicis, nuptias *cum Catharina de Bora*, quæ *ex improvi-* ante biennium una cum octo aliis Monialibus, nobili genere na- *so contrahit* tis, è Niemptschenſi cœnobio, prope Grimmam, Wittember- *Lutherus,* gam, per honestos cives Torgenses, advecta fuerat. Quantis *et calumni-* calumniis oneratus ob hoc ipsum factum sit bonus *Lutherus,* & *as adversa-* adhuc à Papicolis oneretur, notius est, quam ut dici debeat. *rriorum pre-* Prævidit ipse facile clamores hostium; sed quod non ex infami *occupat.* cæcoque amore, verum deliberato prudentique consilio rem uxoriæ aggressus sit, vel inde constat, quod annos vitæ 42. absque conjugio & sine impudicitia labe transegit; unde haut difficulter, si non prorsus omittere, differre tamen nubendi propositum potuisset. Nihil igitur vel impie, vel stolidè fecit, quando honestam uxorem duxit, & singulari quodam providentiæ divinæ nutu factum censeri debet, ut non tantum verbo sed & exemplo refelleret impurissimum illum statum cœlibatus in Papatu. Hoc amicis, quibus intima pectoris candidi aperuit, non semel significavit. In Epistola Germanica d. XV. Junii ad D. *Ruhelium, Jo. Thier, & Casp. Müllerum,* postquam de furentibus in se ob rusticorum tumultum, adversariis questus esset, ita scripserat: age, quia sic insaniunt, ita me quoque parabo ante, ut ante obitum meum eo in statu, in quo conditus sum à Deo, reperiar, & quantum potero, nihil ex priori vita mea Papistica retineatur; quo magis insaniant: & hæc valedictoria erunt. Mens enim mihi præſagit, me à Deo ad gratiam suam aliquando evocatum iri. Postulante itaque patre meo matrimonium iniit, & ut linguas maledicas aliaque impedimenta vitarem, congressum nuptialem properanter institui. *Ams-* *dorſio* id ſciſcitanti, ſimiliter reſpondit, veram eſſe famam, quod cum *Catharina* ſubito copulatus ſit; ſperare enim ſe breve tem-

A a

pus

pus adhuc victurum , & hoc novissimum obsequium Parenti suo postulanti noluisse denegare, spe prolis, simul ut confirmaret facta, quæ docuisset, quum tam multos inveniat pusillanimes in tanta luce Evangelii. *Sic, inquit, Deus voluit, & fecit. Ego enim nec amo, nec astuo, sed diligo uxorem.* Idem *Wenceslao Linco* significavit: *Dominus me subito aliaque cogitantem, coniecit mire in conjugium, cum Catharina Borensi*, Moniali illa. Plura non addo, quia adducta forte sufficiunt ad retundendas hostium calumnias. Si quis vero plura desiderat, *Seckendorffium* adeat, qui omnia exhaust.

Tom. III. Altenb. pag. 150. b. -- 152. Tom. II. Epist. pag. 295. seq.

§. XCVII.

*Lutherus
Alberto
nuptias sua-
dere tentat,
sed frustra.*

Ad nuptias propendisse *Albertum*, Archiepiscopum *Moguntinum* & *Magdeburgensem*, ac de hoc negotio per *D. Rubelium*, Lutheri consilia in silentio expetiisse, ex literis nostri ad utrumque scriptis luculenter patet; sive serio id egerit *Albertus*, sive ficto animo, cum ex rustico tumultu se extricandi nullam commodiorem occasionem videret, & Consilarii ejus eidem tale quid suggererent. *Lutherus* itaque candide simpliciterque Archiepiscopo respondet, optimum sibi videri, si nuberet, & Episcopatum in Principatum secularem converteret, ac falsum nomen prætextumque Ecclesiastici status missum faceret; quum in aprico sit, & vulgo quoque satis perspectum, spiritua-lem istum statum contra Deum ejusque gloriam militare, & ludibrio passim haberi, ac Deus ipse comminetur, se eum extirpare velle *Pl. X. 15.* Præoccupare autem judicia Dei posse Archiepiscopum, si sponte aboleat, cujus urgentissimas habeat rationes, quia *Halis* multis impensis impietatem ecclesiasticam foverit & confirmaverit. (Imo scorta loculis, in quibus sanctorum corpora in processionibus gestari solebant inclusa, cum cereis & vexillis arci suæ *Mauritianæ Hallensi* inferri curavit. *Tom. VII. Alt. p. 394. a.*) Expirari autem talia & subditorum

amo-

amorem consiliari, ejusque laudabili exemplo fieri posse, ut omnes alii Episcopi ex pravo & infelici clericatus & cœlibatus, quo irretiti essent, ordine exempti, in sancto & beato matrimonio statu stabilirentur. Eos enim, qui donum continentia à Deo non habeant, stimulos autem carnis, & oriundas inde ultiones pollutionesque carnis compescere ac vitare nequeant, necessario ad conjugium compelli, vi effati divini: *non est bonum, hominem esse solum* &c. Hæc non ex temeritate aut imprudentia, sed cordis sinceritate & veritate scripsisse Lutherum ad Cardinalem, nemo non intelligit, qui non odio Jesuitico in Megalandrum repletus est, licet Albertus vel Nostro inapofuerit, vel cessante à seditione rustica periculo, mentem mutaverit. Erat enim Albertus egregius simulator & impurus scortator, à quo turpissimo vitæ genere abducere tum Lutherus eum volebat.

Tom. III. Alt. p. 139. f. conf. Seckendorf. L. II. p. 20.

§. XCVIII.

De eodem fere argumento egit prolixè Lutherus per Epistolam ad D. Wolf. Reissenbusch, Præceptorem Lichtenbergæ, antequam ipse de nuptiis suis cogitasset, & ad contrahendum matrimonium eum gravibus argumentis cohortatus est, petitis ab ordinatione Dei & ejus mandato, à conditione hominis apti ad generationem. Eum igitur, qui se hominem esse agnoscat, & credat hominis appellatione se quoque comprehendere, purgatis auribus audire debere, quam Deus omnium rerum conditor super omnem carnem pronunciet sententiam, dicendo, se nolle quenquam vivere *ἄγαμνον*, sed multiplicari, ad quod quidem illi adjutorium creavit coram eo, cujus præsidio fretus, *μὴνος παρὸς* vivere necesse non habeat. Hoc esse verbum, quo vis genitalis & ferventis naturæ in mulierem inclinatio in corpore masculino creetur & conservetur, quod nullis votis aut legibus eradicari aut opprimi possit &c. Hic, & deinceps, ubi

Reissenbusch
schio autem
persuadet.

videtur liberius esse locutus, nihil tamen præter verum dixit nec obscenitatis argui potest, uti Maimburgius alique clamant.

Tom. II. Epist. p. 274. 1699.

§. XCIX.

*Johannis
Electoris
curam con-
servanda
Academ.
Wittenberg.
& propagan-
do Evange-
lio.*

Dum interea *Friderico* Sapienti succedit Frater *Johannes*, à mentis bonitate & constantia *Boni & Constantis* cognomen tum adeptus, Reformationis opus non parum successit inter tumultus rusticanos & Carolstadianos, qui armis & scriptis pededentim sedabantur. *Lutheri* prima cura fuit sollicitare Electorem novum ejusque Filium, *Johannem Fridericum*, doctrina ac virtute præclare instructum, ad suscipiendam curam de conservanda Academia Wittenbergensi, ex qua Evangelium in totum orbem propagatum est. Quod facturum se Elector & re ipsa ostensurum, finita expeditione bellica, recepit. Misit itaque, denuo petente *Luthero*, legatos, qui lectiones Academicas & salaria professorum constituerent, formamque sacrorum rituum præferberent, & acta *Lutheri* autoritate sua confirmarent. Deinde etiam cum in tumultu rustico monasteria evacuata essent, & populus cultum missaticum ac sacerdotes indoctos, qui concionari non possent, aut impudice viverent, ferre amplius nollet, mandatis Principis ad exemplum eorum, quæ *Wittenbergæ* circa cultum publicum ordinata erant, prospectum fuit; ita tamen ut plenior reformatio per visitatores instituenda promitteretur. Dom. *Cantate D.* *Lutherus* ordinationem Ministrorum ritu Apostolico restituit, ac primus inter ordinandos fuit *M. Georg Koravius* Dom. XX. post Trinitat. Missæ sive S. cœnæ vernacula lingua pro laicis celebrandæ primum experimentum factum est. Quotidianus vero cultus latinus erat, conjunctis lectionibus vernaculis.

Tom. II. Epist. pag. 301. b. Tom. III. Alt. p. 303. b. 304. a. Seckendorf. L. II. p. 23, 24.

§. C.

§. C.

Ad profectum seu Incrementa Reformationis referri et Incrementa
iam debet, quod hoc anno in Lusaria urbes haud ignobiles, *Gor-* reformatio-
lutium & Lauba, cum pagis vicinis, ad Misnensis Episcopi dicece- nis in Lusa-
tani jurisdictionem spectantibus, consentientibus plebanis, ab- tia.
rogarunt, & Baptisimum Germanice, Sacramque Cœnam sub
utraque specie administrare cœperunt, ductu Francisci Meno-
barti, Gorlitienſis Diaconi.

Seckendorf. L. II. p. 35. b.

§. CI.

Hoc anno circa Pascha vocatus est *Lutherus* à Comite *Eislebii,*
Alberto Eislebium, pro instituenda Schola Christiana, & opta- *Norimber-*
re incepit conatusque est, ut *Nürnbergæ Philippus* similem in- *ge, Danti-*
ceptet. Cujus voti compos factus deinceps fuit, quemadmo- *sci.*
dum ex ejus literis ad Spalatinum in vigilia Michaelis scriptis
colligitur. *Nürnbergensis*, inquit, *Senatus* Scholam Christia-
nam erecturus, Philippum nostrum evocavit pro consilio, isque
propediem ibit, spero Christum fortunaturum. *Magdebur-*
genses etiam *Casparum Creuziger* vocarunt, *M. Arnoldum*
Dantisceni, venitque ad Principem pastor unus *Dantiscensis*
populi, postulaturus favorem Ducis pro vocando *Johanne Bu-*
genhagio, qui mira narravit, quæ Christus *Dantisci* operatus
est. *Lutherus* quamvis eum virum retinere vellet, tamen
in re tanta & causa verbi cedendum arbitratus est.

Supplém. Epist. Luth. Ep. 64. p. 46. Tom. II. Epist. p. 279. a. & pag.
299. b.

§. CII.

In Silesia eiusque urbe prin ariá *Uratislavia Jacobus à Salza, in Silesia.*
Episcopus, ut & successor ejus, *Balthasar Promnitzius*, modera-
tione sua multum profuerunt reformationi, & *Ambrosius Mei-*
banus Pastor in templo *S. Elitabethæ* constitutus est, accepto
ab Episcopo à *Salza* mandato, his verbis: *ito & doceto Evan-*

Aa 3

gelium

gelium Domini nostri Iesu Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Erat ibi Johannes Hesselus, Norimbergensis Th. D. Luthero valde charus, Pastor ædis S. Mariæ Magdalenz constitutus, qui anno superiore (A. 1524.) de fiducia in solum Deum, & contra sacrificium missaticum, tum pro matrimonio Cleri, publice per octiduum disputavit feliciter, frustra resistantibus tot legatis Regum & technis Episcoporum. Is hoc anno una cum Meibano uxorem duxit.

Seckendorf. Lut. Lib. I. pag. 270. Lib. II. pag. 36. a. Tom. II. Epist. Luth. pag. 205. a.

§. CIII.

In Comitibus & urbibus quibusdam.

Hoc quoque anno Philippus, Comes Hanoviensis, & diversa parte Christophorus & Antonius Oldenburgici, & Conradus Tecklenburgensis, reformationis principia admiserunt. Inter urbes liberæ idem fecerunt Northusa in Thuringia, ubi Prior Augustinianorum Laurentius Suffius docendi munus suscepit; & Hagenoa, in Alsatia, Capitonis civis sui opera, Argentorato eo profecti. Argentorati etiam Decanus Canonicorum, Sigismundus Comes Hohenloicus, edito scripto Germanico, Clerum suum ad lectionem Scripturarum adhortatus, & desiderium de reformatione testatus est. Miserunt etiam ministri Ecclesiæ Argentinensis, cum erronea opinio de Sacramento Altaris primo per Carolstadium, postea per Zuinglium & Oecolampadium latissime spargeretur, quam tamen Lutherus editis in lucem aliquot libellis confutarat, ac plurimæ Ecclesiæ superioris Germaniæ Zuinglii dogma amplecterentur, Chassellium Ling. Hebr. Professore Wittenbergam, qui de negotio Cœnæ Domini, coram cum Luthero conferret, eumque placaret, ne adeo graviter in Zuinglium & Oecolampadium inveheretur. Respondet igitur peculiari Epistola Lutherus, se quidem pacem cupere, sed salva veritate; quæstionem autem tanti momenti esse, ut alterutrius sententiæ propugnatores oporteat esse Satanæ ministros

stos. Consilio itaque medio locum non esse. Quare Argentinen-
ses adhortatur, ut sibi ab impio isto Zuinglii dogmate caveant
suamque de cœna Domini sententiam exposuit & adversario-
rum argumenta rationesque instructione data Chalcelio solide
confutavit.

Seckendorf. Lib. II. pag. 36. a. Tom. II. Epistol. p. 302. -- 304.

§. CIV.

De incrementis Evangelii in *Hessia* tandem aliquid ad-
dendum est, postquam primordia reformationis in ea superiore
anno attigimus. Tanto certe magis admirandus est succes-
sus, quanto majora impedimenta objici videbantur. Duxerat
Philippus Landgravius filiam *Georgii* Ducis, infensissimi & im-
placabilis hostis Lutheri, quemadmodum ex ejus responso ad
humiles & valde sinceras literas Nostri patet, qui à socero nihil
aliud sperare poterat, quam traductionem Lutheranismi invi-
diosissimam; veritatitamen magis cedebat, quam carnali ne-
cessitudini laudatissimus Princeps: ac non parum ei profuerant
amicitiæ arctioris, cum Electore Saxon. ejusque Filio in conven-
tu *Creuzbergæ* in *Thuringia* d. 20. Martii hoc anno instituto,
initæ primitiæ. Hinc enim merito bonum omen cepit *Lu-
therus*, quod his verbis in literis ad *Spalatinum* feria II. post *Læ-
tare* expressit: *gaudeo Hessorum Principem nostris Principibus
colloqui, spero Evangelii fructum fore.* Nec spes eum fefellit.
Siquidem *Jo. Fridericus*, Electoris Filius in Epistola ad *Dolzi-
gium* *Marescallum* d. 2. April. scripta, lætus significavit, Land-
gravium in conventu illo asseverasse, quod *corpus & opes, pro-
vinciam & omnia amissurus potius sit, quam ut à verbo Dei desice-
ret.* Hinc ab eodem instigatus *Philippus* per literas socerum
invitare ad professionem veritatis Evangelicæ studuit, licet fru-
stra operam impenderit. Ex alia tamen ejus ad *Jo. Frideri-
cum* Epistola liquet, *Johannem*, *Georgii* Filium, cum uxore,
quæ Landgravii soror erat, Evangelicæ doctrinæ addictos
esse.

esse. *Mein Schwager und Schwester sind so gut Evangelisch/ als ich.* Et Lutherus d. XII. Martii Spalatino renunciavit : dicitur *Hessus scripsisse Duci Georgio, se cum Palatino statuisse, ut Evangelio locus fiat in sua ditione, victus veritate.* Quando igitur *Maimburgius* dixit, Philippum cessisse persuasionibus Electoris Sax. & Lutheranum factum esse, frustra renitentibus & Georgio focero & matre Anna Mechelburgica, partem veri dixit, licet nonnulla quoque conjunxerit, quæ vel ad præcedentem, vel sequentem annum referri debent.

Tom. II. Epist. p. 278. b. Seckendorf. L. II. p. 35. b. 36. a. Supplem. Ep. Luth. Ep. 60. p. 42.

§. CV.

Admiranda providentia divine singulari in motibus rusticorum,

Singularem hic rursus providentiam Dei respicere fas est, circa conservationem & propagationem Evangelii inter seditiones rusticanas, & varias sectas hoc anno exortas. Nam, ut *Lutherus* sub initium anni 1526. *ad omnes Christianos Reutlingia* observavit, (2) diabolus duabus præcipue in partibus ostendit, quam potens sit in mundo Dominus, si ei Deus permitteret agere pro arbitrio, 1. dum Reges & Principes adversus Evangelium concitavit, & tandem etiam plebem ad seditionem impulit sub nomine Evangelii, cui hoc dedecus affricare studuit, quod causa omnium malorum à rusticis motorum & in eorum capita recidentium sit; licet si veritas dicenda sit, Domini rusticos non cæciderint, ceu jactitant, sed illi ante per Evangelium coram Deo cæsi sint. Deum tamen vindicaturum rursus Evangelii honorem. 2. Dum variis sectis, hæresibus & falsis spiritibus, præcipue in articulo de Baptismo & S. Cœna Ecclesiam puriorem adortus est, & plus damni ei intulit, quam priori modo. Esse tamen illos spiritus primos dissipatos, eorumque sequaces non diu duraturos, sed juxta Psal. I. stipulasum vel palearum instar dissipandos esse, sperat.

Clemens VII. Pontifex siccis oculis, aut lætus forte calamitatem

ratem Germaniæ rusticorum tumultu & clade illatam, intuebatur, interimque per nuntios suos ubique Principes ad supplicia hæreticorum instigabat, & Helveticorum internas discordias fovebat: itaque inter *Carolus Cæsarem & Franciscum Galliarum* Regem se gerebat, ut neutri fidus esset; quorum Regum fortunæ mirum in modum est conversa, & Gallus, qui viribus potior videbatur, ad Ticinum à Cæsareanis subito oppressus, atque in Hispaniam captivus deductus fuit. Quo nuntio accepto *Lutherus* admiranda Dei judicia agnovit, & ad *Spalatinum* d. 13. Mart. hunc in modum scripsit: (a) *Regem Gallorum*, sive caro sit, sive aliud, non gaudeo victum & captum esse; victum esse, ferri potuit, captum esse certe monstrum est; sed *quid in his operibus Dei, nisi opera Dei consideres?* qui elevat regnat, ut dejiciat, venit hora regni Gallorum forte, & ut de Troja ille dixit: *venit summa dies, & ineluctabile fatum.* Cepit ille sic antea *Ducem Mediolanensem*, nunc capitur ipse, Cæsar triumphat, ut & ipse cadat tandem, quanquam sic Reges & Principes dejici nostro seculo, mihi unum de signis esse videtur testantibus casurum mundum per novissimum diem. Majora sunt signa hæc, quam quisque putet. Et ut nunc Principes sinunt vulgus insolescere, futurum est, ut plures ita cadant. Sic urget forte fatum. Unum placet, *frustratum esse Antichristi conatum*, qui in Rege Galliarum ceperat niti, ut ostendat Deus, se & hujus Tyranni animarum omnia consilia velle irrita facere, & ad finem sui perducere.

Pontifex (b) cum Cæsarem vidisset Gallum superasse, uti erat versutus & subdolos, suis duntaxat utilitatibus intentus, deserto hoc ei adhæsit, novumque cum eo foedus pactus est, ac postulavit, ut Cæsar, Ferdinandus Archidux, & Rex Angliæ, arma adversus turbatores Catholicæ religionis, injuriososque Pontifici, omni potentia suæ conatu caperent, atque omnes illius injurias, ut proprias, vindicarent. Deinde tamen iterum deserto Cæsare, adversus eum cum Gallis & Anglis foedus iniit,

eo tendens similiter, ut Turci & Lutherani profligarentur. Id quoque Aloisia, Regis Gall. mater, quæ rei summam obtinebat, per Cardinalem Eboracensem, *Thom. m. Valsejum*, apud Henricum Britannia Regem obtinuit, constituto hoc primo fœderis capite, ut & Turcarum impetus, & pestifera secta Lutherana profligeretur, à qua non minus periculi sit, quam à Turcis. Idem denique d. XIV. anni sequentis inter Cæsarem & Regem Gallia transactum, ut & Christianæ religionis hostes & sectæ Lutheranae extirpentur hæreses. Ita ex omni parte conspirarunt hostes contra Evangelium, & tamen Deus illud mirabiliter conservavit & propagavit.

(z) *Tom. III. Alc. pag. 332. b. 33 a.* (a) *Tom. II. Epist. pag. 273. b. 274. a.* (b) *Sleidan. L. VI. pag. m. 148. f. Seckendorf. L. II. p. 36. b.*

§. CVI.

§ *Carolo-
stadio cœ-
lestibusque
Prophetis.*

Speciatim quoque eluxit singularis divina providentia in motibus à *Carolo studio & Münzero* excitatis, de quibus Pontificii summe lætabantur, ac inde interitum doctrinæ Evangelicæ ominabantur. Verum *Lutherus* Deo, pro sua stante causa, fretus, bono semper animo fuit, & spiritibus istis divina virtute restitit, eosque feliciter profligavit, in libro *Carolo studio* (c) opposito, qui inscribitur *adversus cœlestes Prophetas*. In ejus II. Parte ita scribit: nullum mihi dubium est, quin hoc dissidium magnum gaudium ac spem apud Pontificios excitet, ac si negotium à nobis susceptum finem suum mox sit habiturum. Sed glorientur ut volent. Sæpe multumque dixi, si ex Deo est quod cœpi, nemo id opprimit: si non est ex Deo, servet id nescio quis; neque enim ego id servavero. Nil perdere possum, quia nil impendi. Hoc vero certo scio, quod nemo nisi solus Deus id auferre queat. Et quanquam hoc scandalum ægre feram, id tamen lætor, quod princeps tenebrarum in lucem pertractus per cœlestes hosce suos Prophetas ignominiam reportaturus sit. Diulatuerunt isti spiritus, donec aureo uno (Carolo,

roloftadio Jenæ dato, ut contra me scriberet) eos auctoravi, qui Dei gratia bene collocatus est; nec me pœnitet. Bono sum animo. Novi quis hic auctor sit, Deus me hactenus nunquam destituit auxilio suo in variis gravibusque afflictionibus constitutum; & ne nunc mihi deerit. Confidenti ergo sit animo qui libet, cui Evangelium datum est.

Hanc fiduciam cum humilitate conjunctam jam A. 1524. testatus est in literis (d) ad *Fridericum* Electorem datis, ubi, cum ostendisset, hanc esse verbi divini fortunam, ut ei Satanas omnibus suæ potestatis & imperii viribus repugnet, primo vi, deinde, si non succedat, linguis virulentis, erroneis spiritibus & pestiferis doctoribus, id sibi singulare præbere gaudium scribit, quod ipsi erronei spiritus se jactitent, quod nihil à se didicerint, aut acceperint, sed de cœlo descenderint, perpetuos tres annos cum Deo collocuti, Scripturam nihil esse aut posse, identidem vociferantes, ac dicentes, ja *Bibel/ Bubel/ Babel/* &c. Quos deinde inceptat, quod lucem & probationis examen subterfugiant, & domi feroces, nolint prodire, aliorumque judicio se submittere, quod Christus, & ipse ejus exemplo fecerit, dum humiliter quidem Papatum adortus sit, steterit tamen fortiter coram periculosissima communione, Augustæ, Wormatiæ, Lipsiæ, rationemque reddiderit spei suæ omnibus exigentibus. Se fateri, quod nihil possit, nisi quantum à Christo sibi datum fuerit, à quo deserti etiam foliorum strepitu metu exanimentur. Hoc ipso vero præsentem, & animam suo verbo confirmante, *Alsterini spiritus* thraſonicam jactantiam nihil se morari.

(c) Tom. III. Alt. pag. 65. b. seqq. (d) Tom. II. Epistol. pag. 223. ff.

§. CVII.

Idem fere jam ante, hoc ipso anno, cum accepisset erro- *Antuerpia-*
neos spiritus *Antuerpie* suboriri, qui sua vesania Christianam do- *nos monet,*
ctrinam impedire & commaculare moliebantur, ad fratres *ut spiritus*
omnes Antuerpianos, Christianæ charitatis officio compulsus, *erroneos ca-*
veant.

B b 2

mo-

monuit, ut, cum hucusque sub Papatu, orbis terrarum spirituum tumultuantium *ἑσωματιῶν*, pro animabus hominum se venditantium, fuerit refertissimus, nunc mundus spirituum *σωματιῶν* tumultuantium, & pro meris angelis cœlestibus sese venditantium sit plenissimus, sibi caveant, & confidentes sint, nec confterentur animo emergentibus in dies sic diversis sectis & hæresibus. Ac quo melius cavere queant offutias & perfidiam perversorum, tumultuantis cujusdam spiritus articulos erroneos enumerat, quales erant: *Omnem hominem habere Spiritum S. Spiritum S. nihil aliud esse, quam nostram rationem & intelligentiam. Omnem hominem credere. Non esse inferos aut condemnationem, sed solum corpus damnari. Omnem animam vitam eternam possessurã. Ductu naturæ doceri nos illud proximo facere, quod ab illo nobis fieri velimus; & hanc voluntatem esse fidem. Adversus legem non peccari concupiscentiis, quatenus concupiscentiis voluntate non consenserimus.* Spiritum S. non habentem, nec peccatum habere, eo quod ratione careat, quæ sit Spiritus S. Meminit etiam colloqui habiti cum ejusmodi spiritu, qui coram omnibus hos articulos pernegaverit, tamen ab aliis convinceretur testimonio: & hinc spiritus inconstantiam, petulantiam, pertinaciam, mendaciam & vanæ gloriæ cupiditatem redarguit, oratque fideles, ne ei crederent calumnianti, ac si ipse (Lutherus) dixisset, Deum velle habere peccata, cum id tantum concedere spiritui noluerit, quod Deus non permittat peccata fieri: monet insuper, ut quæstionem de occulta Dei voluntate devitent, & necessaria ac à Deo præcepta amplectantur & discant.

Tom. II. Epist. p. 281. - 285.

§. CVIII.

*Singularis
providentia
Dei circa*

Refero & hoc ad providentiam Dei singularem erga *Lutherum*, quod Deus inter tot tantasque insidias eum salvum inspitentemque servavit. Venerat enim sub initium anni 1525. Wittenber-

tender-

tenbergam Judæus Polonus, missus sub pretio 2000. aureorum, *Lutheri personam.*
 ut Lutherum veneno perderet, sed cum eum per literas No-
 stria amici prodidissent, captus cum sociis, & cum nihil fatere-
 tur, dimissus fuit, ne tormentis quidem interrogatus, interce-
 dente Lutero, quamvis persuasissimus esset, ipsum fuisse,
 quem amici prodiderant, quia omnia symbola consentiebant,
 quemadmodum ad *Spalatino* postea scripserat mense Februa-
 rio. Ab eodem *Spalatino* ad nuptias invitatus die S. Martini,
 excusavit se, cur non veniat; novas enim bono viro turbas pa-
 rabat recentior monialium liberatio & susceptio, quas ignobile
 vulgus nobilium ad sublevandas familias malebat inclusas mo-
 nasteriis manere. Unde de perfidia hunc in modum queritur:
 mirum est, quam illis quoque non credi licet, qui hactenus *Evangelicissimi*
viri visi sunt. *Amsdorfius* nuper ipse in periculo erat apud
 illos, quos ipsi putabamus cum ipso esse arces & refugia nostra,
 si opus foret. Vox *Amsdorfii* erat: *Sie sind Dube/n/ nicht allein*
für Gott/ sondern auch für der Welt. Mirareris, si nomina co-
 rum literis mandare liceret. Hæc causa est, ut lachrymis Ca-
 tenæ meæ (*Catharinæ uxoris*) retinear, ne ad te accedam, cre-
 dentis, nihil minus te optare, sicut & scribit, quam periculum
 meum; sic enim disputat. *Amsdorfii* vero autoritas apud me
 plurimum valet: tum nosti, quantum Princeps iste noster (*Jo-*
hannes Elector) est Evangelii studiosus, tanto minus est suis
 formidabilis, quod sperent facile illi verba fieri posse, quicquid
 etiam ausi fuerint.

T. II. Ep. p. 207. b. & p. 304 b. 305. a.

§. CIX.

Inter impedimenta reformationis hujus anni merito nu-
 merati debet Regis Angliæ, *Henrici, & Georgii, Ducis Saxonix,*
 animus obstinatus & induratus. A Lutrumque *Lutherus* lite-
 ras dedit, ad Anglum quidem suasu Regis Daniæ, posteaquam fi-
 de dignis testibus didicit, libellum sub nomine Regis in se (*A-*
missas Lu-

Bb 3

1522. *heri literas,*

*Impedimen-
ta objecta
reformationi
à Rege Angl.
quæ ad sub-
missas Lu-*

1522.) editum, illius non esse, ut videri volebant subdoli Sophista, Regemque cepisse favere Evangelio, & non parum tædere istius generis hominum perditorum, præsertim monstri illius, publici odii Dei & hominum, *Cardinalis Eboracensis*, qui pestis regni Anglicani sit. Spe ergo bona, simplici, candidoque corde supplices & humiles literas exaravit, quibus per Christi crucem & gloriam oravit & obsecravit Majestatem regiam, ut dignetur veniam donare, in quibuscunque libello suo, non suo ingenio, sed incitantibus iis, qui Regi parum favebant, cum læserit, ac promisit, se alio libello publico palinodiam cantaturum, & nomen Majestatis ejus rursus honoraturum, si Rex aliquam clementem significationem daret; non parum enim fructus Evangelio & gloriæ Dei hinc sperandum, si sibi ad Regem Angliæ de Evangelii causa scribendi copia fuerit facta. Interim vovet, ut Deus Majestatem reg. sicut cepit, augeat; quo pleno spiritu obediat Evangelio: nec sinat aures regias & animum occupari pestilentibus Syrenum vocibus, quæ nil nisi hæreticum Lutherum vociferari norint. Se autem nihil mali posse docere, cum nihil aliud doceat, quam fide Jesu Christi Filii Dei pro nobis passi & suscitati, salvos fieri oportere, sicut testantur Evangelia & Epistolæ Apostolorum. Hoc enim esse caput & fundamentum suæ doctrinæ, super quod postea ædificet & doceat charitatem erga proximum, obedientiam erga politicos Magistratus, tum crucifixionem corporis peccati. Quod vero ab usum & tyrannidem Pontificum reprehendat, interim censibus, pompæ, ventribus, imo regnis & Principibus, omniumque opibus invidentem, id ipsum & vulgus sentire & damnare, ac ipsosmet Pontificios cogi confiteri. Magnos Principes in Germania, Politias insignes, multos viros sapientissimos secum facere. Nil autem mirum esse, si Cæsar & aliquot Principes in se sæviant, cum Ps. II. dicat: *adversus Dominum & Christum ejus fremunt Gentes* &c. imo mirandum potius esse, si ali-

si aliquis Principum ac Regum Evangelio faveat. Huic, inquit, miraculo in Majestate tua, quam opto ex totis medullis aliquando gratulari, & ipse Dominus, quo præsente & volente hæc scribo, cooperetur verbis meis, ut Rex Angliæ brevi fiat perfectus discipulus Christi & Evangelii professor, tum Lutheri clementissimus Dominus. Amen.

Tom. II, Epist. p. 290. b. 291. a. b. Tom. III. Alt. p. 486.

§. CX.

Hæc Lutheri humilitas male ei cessit, nam mire postea ^{quas Coch-} exagitata est hæc epistola ab ejus adversariis, præsertim verò à ^{laus exagi-} Cochleao, qui, quod Lutherus de palinodia scripsit, ad doctrinam ^{cat.} quoque ejus extendit: quum tamen apologiam suæ doctrinæ hic Megalander instituat, & ad eam omni ex parte complectendam, Regem hortetur, roget, & id optet. Maimburgius, licet Cochleum sæpius improvide sequatur, nil aliud dicit, quam quod Lutherus obtulerit revocationem omnium, quæ antea contra Regem scripserat.

Ipsè Rex Luthero sub finem hujus anni ita hostiliter re- ^{hostiliter} spondit, ut visus fuerit gaudere vindictæ occasione. Et qui ^{respondet} dem inconstantiam & levitatem objecit, & quicquid à septem annis adversus Deum cunctasque potestates Ecclesiasticas & Civiles, ac contra sacratissima omnia perpetrasset: maxime tamen nuptias, quod crimen execrandum vocat, & si in Republ. Romana commisisset, monacham vivam defossam, & Lutherum fustibus ad mortem cælum fore. *Cardinalem Volsesum* se nunc demum multo majori benevolentia complexurum esse, postquam ipse eum crimineretur. Nam illum inter alia etiam hoc utiliter & magna cum fide atque diligentia præstare, ne quid ipsius lepræ, contagionis & hæresis in suo regno disseminetur & adhærescat. Verum favor iste regius erga Cardinalem tam magnificis verbis hic expressus, non constans fuit.

Nam

Nam post annos quatuor spoliatus bonis & omni dignitate fuit, omnibus bonis inuisus.

Tom. II. Epist. p. 292. a. Maimburg. Seckendorf. p. 37. 38. Sleidan. L. V. p. 145.

§. CXI.

N. T. Anglice versu, a Cochleao detectum & impeditum.

Forte & illud ad obstacula Reformationis referri potest, quod Novum Test. Lutheri Colonia à quibusdam Anglis in sermonem Anglicum transferri cœptum, & jam ad literam K. perductum, *Cochleai* opera proditum atque prohibitum fuerit. Angli quidem exemplaria, cum non statim ablata essent, Wormatiam subdixerunt, ut ibi impressio perficeretur; sed simulac id rescivit *Cochleus*, subito significavit Regi Angliæ, Volseio, Jo Fischero, ut in omnibus portibus ediceretur, ne merx ista, lethale venenum in vectura, in regnum importaretur. *Tonstallus*, Episcopus Londinensis exemplum libri nactus, coram frequenti auditorio exagitavit, & se plus quam bis mille loca à Luthero depravata deprehendisse asseruit. Non tamen multo post Regis auspiciis Scriptura S. populari lingua populo proposita, effectum illum habuit, qui tunc frustra impediabatur, totumque regnum Britannicum Evangelica doctrina replevit.

Seckendorf. H. Lut. L. II. p. 37. 38.

§. CXII.

Epistola Lutheri ad Georgium Ducem.

Nec meliorem successum habuere, quæ *Lutherus* apud *Georgium*, Sax. Ducem, per literas tentaverat, quibus significat, se ab initio methodum Scripturæ secutum, severe & duriter cum aliis multis & *Georgio* egisse, orasse tamen Deum, ut mentem Ducis faventem sibi reddere velit: multa etiam scripsisse plena consolationis, ex quibus vel palpare quilibet queat, se nemini male cupere, sed omnium commoda querere. Cum vero audiat, ipsum nihil de offensione erga se & iracundia remittere, sed magis magisque exacerbari, constituisse una adhuc & forte
ultima

ultima vice humiliter & comiter gratiam ejus ambire; quum instare tempus videatur, ut & Dux & ipse brevi forsitan à Deo ad aliam vitam evocentur. Deum sibi testem esse, quod, quæcunque hic tentet, ex officio debito erga Ducem & studio salutis ipsius faciat. Utcunque igitur Dux interpretetur, sive in bonam sive in malam partem, brevi tamen eum experturum, ea, quæ severissime scripserit, ex meliore profecta animo esse, quam quæ adultores omnes in laudem ejus proferant. Orare proinde se humillime, ut ab inclementi proposito doctrinam suam persequendi desistat; non quidem sui causa, qui præter miserrimum corpusculum nil habeat, quod eripi sibi possit, ad mortem properanti, & qui longe majorem sciat hostem, quam Ducem, nempe Diabolum eum omnibus ejus Angelis, cui hucusque Dei gratia restiterit animose, & salvus incolumisque evaserit, & ex persecutionibus ingens ceperit emolumentum; quo nomine gratias hostibus suis debeat. Unde si delectaretur calamitate Ducis, provocandum sibi potius esse eum magis magisque ad persecutiones; sed satis jam sævitum & tempus adesse poenitendi. Tametsi enim Princeps credere nolit, quod doctrina sua verbo Dei conformis sit, ipse autem certo sciat; ideo se sub periculo animæ suæ sollicitum esse de Ducis salute, & nihil non tentare orando, monendoque, si quid efficere possit. Rogat igitur, ne Dux respiciat ad personæ suæ tenuitatem, sed potius veritatem, quam Deus etiam per despectissimos, ut olim per asinam, patefacere queat. Suam quippe doctrinam nec Principem, nec ullum hominem impedire aut opprimere posse, sed permanentem & propagandam esse, cum non sua sed Dei sit. Tanto magis se dolere, quod videat Ducem tam graviter impingere in lapidem angularē, Christum, ac optare, ut hæc sua scriptio inclementi animo recipiatur: secus si fiat, Deo negotiū commendandum, se excusatum esse in conscientia, quod omnia fecerit, & adhuc facere ac omittere paratus sit, quæ accepta Principi esse que-

C c

ant,

ant, sola doctrina sua excepta, quam deserere non possit: in cæteris omnibus se subicere Duci, ac orare, ut sibi ignoscat, sicubi vel scriptis vel verbis ipsum offenderit: seque vicissim omnia velle remittere & oblivisci, quæ ab eo passus sit, ac precari Deum, ut ipsi culpam omnem contemti verbi sui condonet. Gavifuros omnes Angelos in cælo super Principe, si in hoc uno obsequatur, ut Dei verbum per se prædicatum, admittat. At si pergat persequi Evangelium ejusque ministros, coactum se iri, contra ipsum fundere preces, quarum vim suo damno experturus sit: neque enim idem esse negotium, Münzero resistere ac Luthero; validiorem suam orationem esse ipso diabolo; quod nisi ita foret, dudum actum fuisse secum; tametsi nemo ingens Dei miraculum in sui conservatione animadvertere velit. Ad extremum se optare, ut Dux clementer & Christiane, magisque vivo facto, quam mortuis literis respondeat.

Tom. II. Witt. Lat. fol. 31. b. Tom. III. Alt. pag. 302. Heid. L. VI. p. 144. f.

§. CXIII.

Georgii Ducis responsum.

Ad has literas Megalandri humiles & valde sinceras, (e) spondit Dux Georgius, ceu Lutherus ad Amsdorfum scripsit, literis pro suo ingenio insigniter stultis & spirantibus rusticam illam ferocitatem, quæ ei ingenita est ex Bohemico illo sanguine, planeque se dignis. In Epistola ad Wenceslaum Lincum (f) dixerat, *Regem Anglorum tam hostiliter sibi respondisse, ut videatur gaudere vindictæ occasione; sicut & Ducem Georgium. Tam impotens (subdit) & muliebris est animus, ac plane sordidus, dignus qui vulgo serviret; sed Christo gratia & mihi lætitia, sat vindicatus sum, quod contemptus est mihi Deus eorum, Sathan cum ipsis. Ut vero constet, Lutherum justam conquerendi causam habuisse de Georgii ferocitate & impotentia, quædam ex ejus literis excerpemus. (g) Ab initio protestatus est, quod literis à Luthero provocatus non responderit ex animo hostili, sed*

sed cupido eum perducendi ad cognitionem sui ipsius, sine ulla hypocrisi. 2. Quod nolit ex Scriptura S. cum Lutero disputare, sed malit uti consuetudine recepta & doctrina, in qua educatus sit. Hinc ei objicit, quod gravissimis injuriis se affecerit, tyrannum & juratum Evangelii hostem, mendacem &c. appellaverit, Romanum quoque Imperatorem calumniis & convitiis oneraverit: quod Wittenbergæ asylum quoddam constituerit, in quod se monachi & monachæ, ex cœnobiis suæ ditionis fugientes & prædam inde auferentes receperint, quod non contra Bohemos, ut promisisset, sed pro iis potius scripserit, Hussi, Wiclesi aliorumque errores defenderit, sprete Concilii Constantiensis & Patrum autoritate: quod aliis factionis causa sibi sociatis, ad majores errores viam monstraverit, licet non in omnibus Carolo studio & similibus consenserit. Parum ergo se curare affirmat Evangelium Lutheri, quia à capitibus Christianitatis improbetur, & fructibus pessimis se prædat satis, cum ex eo omnes dudum damnatæ veteres hæreses, tumultus, seditiones & mala omnis generis oriantur. Melius fuisse, si sub scamno absconditum mansisset Evangelium istud, quam inde protractum. Vereri se, si adhuc unum tale Evangelium produxerit, nullum rusticum superfuturum esse. Nec in precibus Lutheri sociorumve quicquam spei ponere, cum Deus odio habeat congregationem apostatarum. Scire se, quod Lutherus non sit Münzerus, Deum tamen æque Lutherum punire per se posse, ac Münzerum, cui rei lubens suum officium impendere velit (*wir wollen uns als ein unwürdig Gezeug gerne dazu gebrauchen lassen*) Tandem suppeditat Lutero consilium, ut in gremium Ecclesiæ redeat, & tunc gratiam suam & intercessionem apud Cæsarem offert.

Nihil Lutherus ad has literas tum respondit, quemadmodum (h) ex Epistola ad *Hausmannum* data liquet. Spe quidem bona (ait) scripsi Duci Georgio, sed falsus sum, perdidit humili-

tatem meam, nec respondebo ei quicquam. Nihil moveor ejus mendacio & maledictis. Et cur hunc non ferrem, qui cogor ferre filios uteri mei, Absolones meos, qui furiosissime mihi resistunt? Illos puto Sacramentomastigas, præ quorum infania Papistas cogor mites judicare, ita quærit me Satan per istos. Non credidi antea Satanam esse tam nequitiosum spiritum, nec intellexi verbum Pauli: Nequitias spirituales &c. Sed CHRISTUS vivit. Anno tamen sequenti ad respondendum se per moveri passus est.

*ajus odium
implacabile
erga Lu-
therum.*

Quod vero *Georgius* implacabili odio erga *Lutherum* flagrarit, & nil nisi capitale supplicium quæsierit, ex aliquot literis ad Electorem datis, liquido constat, quibus scribit, *Lutherum* plus meruisse quam seditiosos ex rusticis, qui capite plexi fuerant, & petit (i) ut Elector in eum tanquam caput omnis mali & multiplicis delicti reum, animadverteret, neque ramos solum succideret, qui salva radice & stirpe semper repullarent. *Johannes Fridericus* Dux, Parentis nomine cum *Hassia Landgravio* consultat, quid *Georgio* respondendum esset, qui sic sentit: longe alia fuisse *Münzeri* & *Pfeiferi* dogmata S. Scripturæ adversa, & toto cælo à *Lutheri* doctrina discrepantia: non ergo posse contra *Lutherum*, antequam ex sacris literis de errore convincatur, pœnas decerni. Verum nihil motus *Georgius* Electoris & Landgravii responso; utriusque enim reposuit, omnino, eodemque modo, quo *Münzerum*, opprimendum esse *Lutherum*, quamvis ferociat, nec id metuere videatur. Sed hæc Ducis iræ & minæ frustra fuerunt, & cum aliis, quæ eodem fervore ab illa parte agebantur, Electorem & Landgravium moverunt, ut de defensione sua tanto impensius cogitarent.

Anno sequenti feria III. post Palmarum (k) graviter hunc in modum Noster ad *Spalatinum* de insidiis & Sathanica virulentia *Georgii* & Episcoporum conquestus est: vix credis, quantam oliatur Sathan per Ducem *Georgium* & Episcopos, gustum

gustum ejus nequitiae brevi dabo tibi per libellum jam sub prelo positum. Nisi Dominus prohibuerit, praeludium dices fuisse delendae Germaniae seditionem illam & caedem rusticorum. Proinde serio te oro, ut omnibus viribus mecum ores Patrem misericordiarum, ut istas insidias impediatur, & furorem frangat, praesertim Ducem Georgium accusando, hominem (ut metuo) deploratum & perditum, ut illum vel convertat, vel, si dignus non est, tollat de medio, alioqui bestia illa non quiescet, non modo proprio furore, sed & Episcoporum impulsu pene Satan ipse. Lutherum autem non occidi, id ita hominem torquet, ut metus sit, ne vel hac sola animi aegritudine conficiatur, non potest dormire nec vigilare. DEUS bone! quantum sustinet Princeps noster, non modo ab ipso, sed etiam a suis quibusdam Proceribus nequissimis, insidiarum & pessimorum consiliorum. Multa haberem tibi dicere, quae literis non licet mandare.

(e) Tom. II. Epist. pag. 310. a. (f) *ibid.* pag. 292. a. (g) Tom. III. Alt. pag. 334. seqq. (h) Tom. II. Epist. p. 310. b. (i) Seckendorf, pag. 39. b. (k) Tom. II. Epist. pag. 313. b.

§. CXIV.

Sub initium anni 1526, ad Lutherum à piis viris libellus missus fuit, exhibens icones ligneis tabulis utcumque insculptas & excusas, in quibus Pontifex cum Cardinalibus, Praelatis & Clero, ac sexaginta fere Monachorum Equitumque religiosorum ordinibus representantur, subjunctis rythmis, quales illo tempore, nondum exulta adhuc poësi populari, fieri solebant, quibus origo, nomina & mores illorum depinguntur, non sine sale: quem Noster edidit cum praefatione & epilogo. In praefatione memorat, sisti hic oculis lectoris & recenseri maximam partem ordinum, statuum, & sectarum, sine ramis & nidis cujuslibet arboris, & differentiis innumeris, quae simplicem Christianitatem, una mente & fide Deo servientem ac placentem

A. 1526.

Icones Pontificis Card.

& variorum

Ordin. cum

praefat. &

epilogo edit

Luther.

tem

rem in tot partes scindant, & castitatem quidem contra statum conjugalem iactitent, sed fœdissimis libidinibus se commaculent, & cultu missatico abominationes detestandas exercent. Has dicit à Satana in contumeliam Dei & animarum perditionem excitatas, & fulcra, columnas, salutem & solatium esse Papatus, quæ opes totius orbis devoraverint, ut haut abs re existimentur esse Gog & Magog, de quo Ezechiel XXXVIII. 4. & Apocalypsis XX. 8. testentur, quod sanctam Dei civitatem cingat, tandem vero cæsus in montibus suis esca volucrum fiat, cujus initium per Evangelium jam factum sit. Rogo, inquit, te, lector, per Deum, ut recte has sectas inspicias, nullam invenies, quæ de fide & charitate gloriatur. Duos hos ordines & status nihili æstiment, sed unus incedit tonsura notatus, alter cappa, pallio, toga, vel rubri, vel atrii, vel albi coloris &c. ornatus, & nescio quibus ineptiis distinctus ab alio; ut palpabiles tenebræ hic conspiciantur, quibus Deus mundum afflixit. Hæ sunt locustæ, crucæ, & vermes noxii, devorantes & perdentes totam terram, Exod. X. Joel. I. Vide, ut Deo gratias agas, nec obliviscaris tantæ gratiæ ejus, qui tibi ejusmodi abominationes patefecit, & ab eis liberavit. Eum in finem quoque imagines expressæ sunt, ut bonorum sociorum memineris, & Dei mirabilia deprædices, Amen.

In Epilogo scribit, elucere ex Iconismo præmissis, quænam vera glossa sit verborum Pauli Coloss. II. 16. usq; ad fin. *nemo vos judicet in cibo aut potu &c.* Annon, inquit, isti per instituta sua monastica nobis scopum pessime perverterunt, & vanas inutilesque fatigationes & cursitationes pepererunt, tanta multitudine cantionum, orationum, jejuniorum, vigiliarum & laborum, quibus operibus omnibus nullum alium præfixerunt scopum, quam ut gratia & vita per ea acquirerentur; Christum vero ex oculis nostris submoverunt, qui solus erat & est scopus, ad quem vera fide tendentes, gratiam & vitam consequimur:

ope-

opera illa ad carnis refrenationem & dirigenda & usurpanda fuissent, ut apti redderemur ad officia charitatis proximo exhibenda; sine qua fide nihil aliud faciunt, quam ut inflent corda, ut hic Paulus ait. Soli enim sibi sancti videntur, & cæteros omnes pro peccatoribus & publicanis habent.

Sunt equidem, qui putant cessandum jam esse ab illusionibus Clericorum, quum eorum status satis sit detectus, per tot scripta, libros & schedas, decantatus, deformatus & conculcatus, ut omnibus innotescat. Verum ab iis ego dissentio, quia Apocalypsis præcipit (XVII. 2. ff. XVIII. 6. ff.) meretrici magnæ, cum qua fornicati sunt reges & principes terræ, & adhuc fornicantur, poculum plenum infundendum eique reddendum esse duplum, ut quantum in delitiis fuit, tantum tormenti & luctus experiatur, donec conculcetur instar luti platearum, & nil contentius sit in terra, quam hæc sanguinaria Jesabel: sicque scriptura impleatur, quæ talia de ea prædixit. Hoc etiam nomine cessare non debemus ab insectando Papismo, ne obliviscamur gratiæ Dei maximæ, & ingrati simus, quod nos Christus ex tantis tenebris & diabolica vita ad lucem suam admirabilem traduxerit, ut Israelitæ fecêre, qui cito obliviscebantur liberationis ex Ægypto. Imo jam oblivio nos cepit, dum sic vivimus sine ulla gratitudine, ac si nunquam sub tyrannide Pontificia fuisset, aut nunquam sensissemus intolerabilem miseriam conscientiarum, qua nos infinitis laqueis præceptorum suorum stolidorum constrinxit, & oneribus non ferendis operum inutilium cruciavit, falsum metum mortis & inferni incussit, à vita & cælo nos deterruit, & diabolo objecit. Omnium maxime autem ideo id faciendum est, quia hostes, post trucidatos rusticos, rursus insolescunt, ac spem concipiunt, non veteres tantum sed etiam majores honores consequendi, præsertim, quia quidam impii principes ab eorum partibus stant, quibus nituntur, & sibi persuadent, se prorsus convaluisse & denuo na-

tos

ros esse. Cum igitur vulnera accepta non cogitent, & majora velint, lubeatque audire, quomodo de prædicandū scilicet sit diabolicum ipsorum institutum, volumus ac debemus ei pro virili succurrere, & sterco libenter olens movere, donec os & nares eorum impleantur.

Quapropter, amici, nos etiam denuo incipiamus scribere, dicere, cantare, depingere & ostendere nobile genus idololatricum, ut meretur. Maledictus sit, qui hac in re segnis fuerit, quia novit, insignem cultum Deo præstari in abominationibus illis abolendis & in cinerem redigendis. Alacres igitur linguas, calamos & voces nostras ad id impendamus, absque ulla tamen violentia, solummodo verbis. Et ego quidem sub initium novi anni hunc libellum à piis hominibus mihi transmissum strenge loco offero. Non est libellus famosus, sed publica censura publicæ impudentiæ, ac lusus diabolici: quæ Deus utique vult argui. Ideoque nomen meum adposui, & ad respondendum legitime me offero, si modo me audire audeant; vesperationes enim fugiunt lucem & veritatem, & vi tantum per-rumpere volunt. Faxit Deus, ut se ipsos cognoscant. Amen.

Tom. III. Alt. pag. 380. -- 417.

§. CXV.

Monita

*Lutheri per
epistolam de
vitandis Sa-
cramenta-
riis.*

De cætero inducias quasdam hoc anno Lutherum cum Romanensibus habuisse, *Seckendorffius* (l) observavit, quum nullum adversus eos libellum ediderit, præter dictum istum, præfatione tantum & epilogo suo munitum. Cumque pestis Sacramentaria sæviret viresque eundo acquireret, nihil tamen contra eam publice scripsit, ac de quodam torpore & frigore suo apud *Hausmannum* conquestus est. (m) *Nescio enim*, inquit, *quo vel radio tentor*, vel *Sathana* occupor, ut non plura faciam quam facio; sive hæc est ingratitude nostra, sive alia culpa. Quanquam insignis ille contentus verbi Dei etiam gravio-rem errorem mereatur mitti. Et verax nimium Propheta fui

fui

fui, talia præfagiens. In Epistola ad Reutlingenses, cujus summam dedimus (§. CV) fratres monuit, ut caverent sibi sedulo à sacramentariis erroribus, quorum *tres* tum opiniones dissidentes, quæ omnes realem præsentiam Christi inficiantur, recensuit, & ampliorem refutationem promisit. In præfatione (n) ad *Syngramma Theologorum* quorundam *Suevorum*, *Brentio* tributum, & à *Bugenhagio* Germanice versum, ait, se in libello suo contra *Carolostadium* satis hanc causam perorasse, ac suæ sententiæ fundamenta adhuc inconcussa stare, licet à spiritibus superbis contemnantur, & intra unius anni spatium quinque aut sex capita enata sint, 1. *Carolostadii* *v̄ro*, 2. *Zuinglii* significat, 3. *Oecolampadii* figura corporis, 4. *Carolostadii* verba sic disponentis: quod pro vobis traditur, est corpus meum. 5. *Crautwaldi* & *Schwenckfeldii*, sic invertentium verba: corpus meum, quod pro vobis traditur, est hoc, scilicet spiritualis cibus. 6. *Petri Flori*. Ad argumenta vero singulorum nondum hic ex instituto respondit, quia pleraque jam ante refutaverat in *sermone de Sacramento corporis & sanguinis Christi*, (o) & adductis variis præsentiae modis, sententiæ suæ probabilitatem, populari quadam ratione, ostenderat. Vid. in Theol. Luth. L. de S. Cœna.

(1) *Seckendorf. L. II. pag. 51. a. (m) Tom. II. Epist. pag. 320. a. (n) Tom. III. Altenb. pag. 473. seq. conf. Tom. II. Epist. pag. 314. a. (o) Tom. III. Alt. p. 341. ff.*

§. CXVI.

Sed quia de controversia Sacramentaria hic non institui *Ordinatio* dicere, ad ea regredior, quæ *Lutherus* in repurganda Ecclesia *cultus pu-* à sordibus Pontificiis hoc anno fecit: tametsi enim scriptis, ut *blici & ritus* dixi, non pugnaverit hoc anno multum, ipsum opus tamen *emendati,* reformationis strenue egit. Ritus enim supersticiosos in cultu sa- *abrogati su-* cro, præsertim in S. Cœna, abrogavit, & formam quandam *perstitiosis.* ampliorem, quam superioribus annis dederat, vel ab aliis concin-

D d

natam

natam probaverat, commendavit, cum passim Germanica missa urgeretur, & ingentes querelæ audirentur de varia ratione novæ missæ, pro cujusvis arbitrio celebratæ. Utile ergo & ex decore commodove Ecclesiæ esse putavit, si uniformis ratio, saltem in urbibus aut locis vicinis, extaret. Salvam tamen semper manere Christianis libertatem, nec se velle, ut tota Germania ritus Wittenbergæ usitatos introductosve accipiat. Neque ordinem institui propter eos, qui jam Christiani sint, sed propter eos, qui Christiani fieri aut confirmari cupiant, ac præsertim in gratiam simplicium atque puerorum tale quid fieri debere, quos necesse sit quotidie exercere & educare in verbo Dei, ut fiant *δυνατοὶ ἐν τοῖς ὑπακούουσιν*, fidei suæ rationem reddere & alios docere queant. Hancque ob causam cultum Pontificium damnabilem esse, quod ista omnia non curent, sed in opere operato hæreant, & merita inde eliciant maxima. Triplicem autem facit distinctionem cultus seu missæ, i. *latinam*, cujus formulam pridem ediderit, quamque nolit prorsus abrogatam, sed servandam existimet libere, vel propter juventutem, quam ita educari oportet, ut etiam peregrinis in terris Christo servire & cum exteris loqui posset; ne nobis accidat, quod Waldensibus in Bohemia, qui fidei suæ professionem ita constrinxerunt intra linguæ suæ carceres, ut cum nemine eorum sermonis ignaro agere possint. 2. *Germanicam* formulam necessariam esse statuit, rudiorum & populi causa. Utrumque autem modum publice tolerari & observari posse in populo, in quo multi sint, qui nondum credant, nec Christiani sint (veri) sed tantum spectatum veniant, ita ut quasi circumstantibus Turcis & Ethnicis in campo quodam & sub dio sacra celebremus. Hic nondum esse ordinatum cœtum, in quo secundum Evangelium Christiani regantur, sed tantum publicum incitamentum ad fidem & Christianismum. *Tertium* igitur & verum Evangelici cœtus modum esse, qui non publice sive promiscue & admissa omnis generis plebe fieret, sed in quem coirent, qui serio Christiani esse

Triplicis cultus distinctio.

1.

2.

3.

esse cuperent, Evangelium manu & ore confitentes, qui nomina sua in catalogum referrent, & in domo quadam congregati preces, lectionem verbi, baptismum, & sacramenti usum, aliaque Christianorum exercitia peragerent. In tali cœtu dignosci possent, emendari, corrigi, excommunicari, secundum regulam Christi Matth. XVIII. qui Christiano more se non gererent. Hic collationes stipis spontaneæ fieri possent, pauperibus distribuendæ, exemplo Pauli II. Corinth. IX. Hic non opus esset multis & longis cationibus. Breviori formula Baptismus & sacra Cœna peragi posset, omniaque ad verbum & preces ac charitatem dirigi. Hic brevis Catechismus haberi deberet, de symbolo fidei, decalogo, & oratione dominica. Summa: si homines adessent, qui serio Christiani esse vellent, facile ordinatio & modus fieri & præscribi posset. Nolo tamen, nec possum, cœtum talem ordinare, neque enim habeo, qui sint idonei; si vero res ferat & conscientia urgeat, ut id faciam, non deero officio & præstabo, quæ potero lubentissime. Interim tenendi sunt duo illi modi (Latinæ nempe & Germanicæ liturgiæ) ut servetur cultus in populo, juvenus exerceatur, & ut alii ad fidem invitentur: huic fini etiam conciones fiant, donec Christiani, quibus verbum cordi est, ipsi se præsentent: alias schismata & conventicula (Kottersch) fierent, si meo arbitratu tale quid instituerem.

Hæc cum præfatus esset generatim, ad rem propius & speciatim progreditur, & i. opus esse dicit *Catechismo* rudi, simplici & populari, per quæstiones, in quo Decalogus, Symbolum Apostol. & Oratio Dominica in publico cœtu & domi, certis diebus, vel quotidie inculcetur, discatur, explicetur & dicta Scripturæ S. duobus veluti sacculis colligantur à juventute, in uno, quem aureum vocat, quæ ad fidem; in altero, qui argenteus dicitur, quæ ad charitatem spectent: quæ dicta parentes à liberis ad mensam repetant, ut hi deinceps ipsi discant plures

i. Catechismus necessarius pro rudibus & pueris.

ejusmodi sacculos tanquam locos communes facere, quibus totam Scripturam S. complectantur. Hoc enim nisi fiat, frustra audiri conciones per multos annos, experientia teste.

2. *Conciones
è verbo Dei.*

2. Cum præcipua pars cultus divini consistat in prædicatione verbi, cum sic ordinavit, ut diebus dominicis aut festis usitata & antiquitus recepta pericopæ Evangelicæ & Apostolicæ teneantur, ac hæc hora V. vel VI. matutina, illæ hora VIII. explicentur; cum plebi sufficere & reliqua cæteris diebus suppleri possint, si die Lunæ & Martis, Decalogi, Symboli Apostol. Orationis Dominicæ, Baptismi & Sacræ Cœnæ: die Mercurii Evangelistæ Matthæi integri: die Jovis & Veneris Epistolarum Apostolicarum, & quod restat ex N. T. Sabbatho post meridiem, Johannis Evangelistæ expositio fiat; sed die Dominica post meridiem conciones habeantur ex Vet. Testam. à Pastoribus, qui intellectu spirituali & donis Spiritus instructi sint, ut libros sacros solide & efficaciter interpretari possint, vel si tales non præsto sint, homilia probata, quas Postillas vocant, populo prælegantur.

3. *Canziones
Germ. &
Latina.*

3. Canziones indicat, cum Latinas tum Germanicas, in utraque lingua servandas, propter quotidiana exercitia puerorum, qui scholas oppidanæ frequentabant, in templis ante conciones, diebus non feriatis, habendas. Cantabant autem pueri Psalmos quosdam Latinos, qui olim in matutinis psallebantur: deinde capit Biblicum Latine duo vel tres, per vices sibi succedentes legebant, idemque alius postea Germanice in gratiam eorum, qui forte ex populo adessent. Post concionem pueri cum populo canticum Germanicum personabant, & tacite recitata oratione Dominica, acceptaque benedictione sacerdotali, cum formula, *benedicamus Domino*, sacra finiebant. A meridie, *vesperarum*, quos vocant, tempore eadem fiebant, sed brevius, & concio non habebatur.

4. *Admini-*

4. Administrationem S. Cœnæ peragi voluit præmissa para-

paraphrasi brevi orationis Dominicae, sive pro suggestu, sive ad *stratio S.*
aram legatur, conceptis seu praescriptis verbis, ne populus va- *Cena.*
riatione turbetur.

Hinc verba institutionis Germanice recitanda esse, ut consecratio fiat. Ubi monet, sibi rectius videri, ut benedictionem sacri panis statim sequatur ejusdem distributio, ac postea calicis benedictio & distributio succedat; cum id Lucas atque Paulus innuere videantur verbis: *similiter calicem*, posteaquam comederunt &c. Interea cantetur Germanicum *Sanctus*, vel *Gelobet sey Gott*/ vel Hussi cantio, *Jesus Christus unser Heyland*/ Agnus Dei &c. Accedant autem communicantes ordine & modeste, mares primum, deinde feminae. *Elevationem* se tollere nolle ait, cum ea significet commemorationem Christi pro nobis in cruce sublatis, & conveniat cum trisagio Angelico: Sanctus, Sanctus, Sanctus, quod carmine Germanico expressum exhibet. Actus claudatur gratiarum actione, & sacerdotali benedictione.

5. In festis *Natalis Domini, Paschali & Pentecostes*, deficientibus cantionibus germanicis, nondum mutari posse Latina notat, primitias has esse & rudimenta quaedam ceremoniarum, neque omnia quae requiruntur, parata esse; *Quadragesima* tempus cum *festo Palmarum & hebdomade sacra* manere vult, neque tamen cogi homines ad jejunia, ineptas quasdam ceremonias, *das Hunger Tuch/ Palmen schliessen/ Bilder decken/ &c* alia ejusmodi scenica (quorum memoria apud nos plane intercidit) aboleri debere, sicut & quadruplicem passionum cantum, & octo horarum concionem, die Veneris ante Pascha; *Communionem* etiam non praecipui aut exigui praecise illo tempore, sed liberam esse debere; omnia ex emolumento ceteris aestimanda, & quae fastidiantur, & ad fidem & charitatem non proficiant (id quod de ritibus Pontificis lege hucusque injunctis, manifestum esse asserit) mutanda esse. Omnium enim legum talium digni-

tem, efficaciam & veritatem in usu salubri consistere, absque illo nihil valere, & abrogari mox debere ejusmodi ordinationes, si abusus inde emergant; cum sint res externæ & facile degenerare, in abusus queant: quod si fiat, non amplius esse ordinationes, sed turbationes & confusiones.

Tom. III. Alt. pag. 467. -- 473.

§. CXVII.

Scripta exegetica. Commentarius in Jonam.

His peractis *Lutherus* ad pacifica studia Scripturæ S. rediit, & commentarios in *Jonam* & *Habacucum*, vates, concinnavit vernaculo sermone. Illius latina versio, autore *Iusto Jona*, habetur Tom. IV. Lat. Wittenberg. f. 404. & post aliorum translationes idem commentarius Latinus factus est à *Vincentio Obsopæo*, cui *Lutherus* novam præfixit præfationem ad Obsopæum, qua perstrinxit eos, qui passim sua ita vertunt, ut prorsus evertant ac depravent. Hagan. 1526. In veteri præfatione Noster astutias diaboli memorat, quod princeps mundi zizania sua ubique disseminaverit, indeque evenerit, ut Germania sectis & fanaticis spiritibus repleta sit, per quos non tantum multos seduxerit, sed etiam constantes Evangelii confessores, per plurima inutilia negotia avocare à Scriptura S. & ad lites controversiasque rapere studuerit. Has technas Satanæ observandas præcipit, ne nos extra præsidia & munimenta trahat & perdat. Harum litium, quibus aliquamdiu implicitus fuerit, pertæsum se, ad Scripturam S. redire posse gaudet, ut sua & aliorum corda roboret & soletur, ne propter quotidiana certamina segnescant, sed verbo Dei & Scripturarum consolatione animosiores reddantur ad alacrius subeundas reliquas pugnas, à tyrannis metuendas è sinistro latere. Furere enim Principes & Episcopos ingenti cum rabie, & omnibus modis Deum & Christum ejicere verbumque suppressere velle. Ita ex utraque parte infestari Christianitatem, ac indigere admonitione ad constantiam & consolationem. Huic instituto cum maxime

xime

xime inservire Jonam & illustre exemplum mirabilis Dei gratiæ præbere videtur, ejus explicationem tentasse se scribit. Non enim aliter fieri posse, quam ut toto pectore Deo confidant Christiani, contra omnes diabolos, mundum & savientes tyrannos superbiant, si hoc exemplum expendant.

Commentarius in *Habacucum* similiter egregius est, & ad *in Habacucum* illa tempora accommodatus à Megalandro. Inter alia e. g. ad *enim*.
 Cap. I. 5. cum de præsumptione Judæorum ex opinione cultus externi egisset, eandem in Christianis quoque reprehendit, & graviter scribit: hæc omnia nobis quoque dicta sunt, qui nomen & speciem Christianorum gerimus, gloriamur de Baptismo, aut de prærogativa prægentibus & Judæis, & tamen absque fide & spiritu sumus, non minus atque illi. Ita fiet, ut nos eodem modo pereamus per illos, quos nunc contemnimus, & nobis deteriores æstimamus. Ad v. II. ubi superbiam Chaldæorum è successu prospero notavit, hoc exemplum ad vanam elationem rusticorum tumultuantium, iisque oppressis, Dominorum, applicavit his verbis: *meretur id exemplum aeterna memoria conservari*. Cum enim rusticis succederent quæ intendebant, quantum, bone Deus! superbiæ, insolentiæ, & gloria-tionis omnisque licentiæ in iis conspiciebatur: nihil audire nec respicere volebant, nullum modum nec mensuram ponere, obstinata cervice ad omnia pertendere, efferri super omnes. Quam dejecti tunc & trepidi erant proceres & magistratus, qui antea ut leones ferociebant, non animus, non gloria supererat, omnes fuga & timore replebantur. Conversa nunc fortuna, vincentibus Dominis, prostratis colonis, mutatus utrinque animus est, nec modus servatur. Domini tam elati sunt, ut nesciant, quomodo ultioni suæ ad satietatem usque indulgere possint; subditi tam timidi, ut quid agant, plane nesciant. *Paulo post* graviter de Episcoporum & persecutorum violentia, quam post cladem rusticorum in Evangelii confessores spirarunt, ita loqui-

loqui-

loquitur, eamque cessaturam auguratur: *Principes & Episcopi nostri*, victoria adversus rusticos concessa, & permittente Deo, ut plurimos ex innocentibus Christianis crucient & enecent, egisse se putant, quæ Deo placent. Successu isto inflati non vident, causam Evangelii & eorum, quos persequuntur, DEI esse, & eorum violentiæ eodem modo pios tradi, quo Christus & omnes Sancti traditi persecutionibus fuerunt. Pergunt igitur & clamant, ubi nunc est Christus vester, cur non succurrit vobis? Ita vis & injuria pro victoria à Deo data celebratur, & justitiæ speciem induit. Hæc est vera crux Christianorum, cum non tantum toleratur injuria, sed & merito videtur tolerari, dum, ut Christus, reputamur cum iniquis Es. LIII. 12. Marc. XV. 28. Sed tristis eos manebit finis, & catastrophe admiranda, quando de nostris tyrannis & episcopis dicetur: ubi sunt? ubi ipsorum Deus est?

Tom. III. Alt. pag 351. ff. ibid. p. 418. 427. 428.

§. CXVIII.

*Sermones
quidam Lu-
theri non-
dum editi.*

Prodierunt etiam Argentorati hoc anno (1526.) sermones aliquot sane quam pii, à Luthero lingua vernacula perscripti antea, sed nuper latinitate donati: de divite epulone & Lazaro mendico. De excidio Hierosolymitano, & quod simili inter-
necioni Germania destinata sit, nisi visitationis suæ tempus agnoscat. Quid sit templum Dei. De extrema in Deum blasphemia, qua Papistæ quotidie abutuntur, dum in Missis suis Antichristianum Canona legunt. Sermo mira brevitate, quid Christiano præstandum sit, expediens. Sermo, docens, abusus, qui in Ecclesiam irrepserunt, non manibus, sed virtute verbi exterminandos esse. Sermo de iis, quæ non necessario exiguntur, sed libera à Deo permessa sunt, cui adjecta est appendix de simulacris. Sermo partim de simulacris, partim de ciborum delectu differens. De duplici hominum genere in fide bifariam se habente: Et quæ vera sit fides. De bono & ma-

lo pastore. De septem panibus. De robore & incremento fidei & charitatis. De decem leprosis, cum appendice de figura & allegorica significatione. Hisce adjecta est brevis enarratiuncula X. Psalmi de Christi martyribus, è vernaculo in latinum translata.

Vid. Antiqua Literar. monumenta Lutheri in Rudolphi Augusti Ducis Brunsv. Bibliotheca manuali recondita p. 230. seq.

§. CXIX.

De aliis libellis Lutheri hoc anno sparsis, non satis constat, *et alii libelli* nec habuit justam causam *Cochleus & Maimburgius* de iis conliquerendi. Ipse *Lutherus* in Epistola ad (p) *Amsdorsium* mense Decembri scripta conquestus est de nequitia quorundam, quæ recenter hoc anno sese declaraverit, qui ediderunt libellos suos assignato numero hujus anni, quasi adhuc sic sentiret in omnibus, ac antea, quum de nonnullis aliter jam edoctus sit. Hoc certum est, quod vergente ad finem anno, postquam *Ludovicus*, Hungariæ Rex, occubisset, instinctu piorum hominum, (q) *expositionem quatuor Psalmorum*, nempe XXXVII. *Expositio 4.* LXII. XCIV. & CIX. conscripserit, quam *Maria Austriaca*, Regis *Psalmorum* viduæ, Caroli V. & Ferdinandi, qui in regnum Hungariæ successit, sorori inscripsit. In *Epistola Dedicatoria* scribit, se antehac intellexisse Reginam Evangelio favere, annitentibus tamen impiis Episcopis, & innoxium sanguinem fundentibus in Hungaria potentibus, retractam impeditamque fuisse. Cogi ergo nunc se consilium quod cepisset hortandi, ut Evangelium in Hungaria promoveat, mutare, & solatia ei proponere, quæ ex sacris literis validissima & optima peti possint. In explicat. Psalmi XXXVII. 33. verba in Pontificios accommodat, quod Papa quidem cum suis *Johannem Hussum* condemnaverit, sed frustra, cum nullus Episcopus, nulla Academia, nullus Rex aut Princeps aliquid contra eum potuerit; id quod de nullo hæretico unquam auditum sit. Unicum ergo istum virum mortuum,

E e

Habe-

Habelem innocentem, facere vivum Cainum Papam cum aseculis omnibus, hæreticos, apostatas, homicidas, blasphemos, licet rumpantur ipsis ilia & sæviant immane quantum. Memoria *Maria* in Ecclesiis nostris conservatur adhuc, retenta cantione Germanica, ejus gratia à Luthero, ut putatur, composita, expresso nomine primis literis aut syllabis trium versiculorum, *Mag ich Unglück nicht wiederstahn/ze.*

& alii sermones.

Refertur quoque ad hunc annum, populari calculo, *conicio in Festo Natalitio* anni 1525. habita ad Esa. IX. 2--7. quæ & Tom. III. Alt. (r) & Postill. Eccles. inserta legitur, & (s) *Expositio Psalmi CXII. beatus vir, qui timet Dominum* &c. ubi inter alia considerat statum Ecclesiæ, & Satanæ invidias ac sævitiam detegit in impediendo cursu Evangelii ex utroque latere, dum oppressa verbi prædicatione id agat diabolus, ut omnia ad hypocrisin composita, pulchre & quiete videantur consistere, & devota appareant; exorta autem verbi luce & detectis istis præstigiis irritatus Satanæ omnia moveat, hæresibus & contentionibus repleat. Ex *ψ. 3.* autem, post adducta exempla *Habelis & Hussi*, pro se suaque doctrina solatium capit, scribens fore, ut etiam iratis Cæsare & Principibus carmen illud: *in aeternum non commovebitur* &c. decantetur, cum major ultio mortem Hussi secuta sit, quam ipse expetere non potuerit, nedum exercere. Ab illo enim tempore magis magisque vilescere cepisse Papatum. Duo etiam *Sermones* in Actor. XV. *de libertate conscientia* (t) prodierunt, in quibus occasione Concilii Apostol. observat, quod ubicunque vera & pura doctrina de gratia & fide inculcetur, semper sectæ & hæreses orientur, quæ pro operibus pugnent. Ita licet tres Apostoli pro gratia & fide in Concilio decreverint, contrariam tamen opinionem semper repululasse, & postea in Papatu plane invaluisse. Nec posse tuto ad decreta Conciliorum respici, neque numero vel authoritati cedi, & nihil quod verbo Dei expresso cautum non sit, Conciliorum

ciliorum decretis stabiliri posse, quod non dependeat à consensu populi: itaque statuta illa Hierosolymitana de idolothytis, suffocato & sanguine, ipso usu, nullo decreto, id est, à populo murata esse. Quod ad statuta Pontificum applicat, *distinguen-*do inter obligationem conscientiae, & manus actionisque externae. Faciles nos esse in obsequio externo, & Monachos servare regulas suas, aliaque concordiae causa fieri posse, si modo fiant omnia absque conscientiae laqueo, nec opinione promerendae salutis; cum perpetuum esse debeat effectum Petri: *per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari*: Jacobi autem additamentum ad tempus & charitatis causa servandum aut mutandum fuerit, prout res exigit.

Præterea *sermonem* in festo Trinitatis habuit (u) de *regeneratione spiritali*, ubi ad carnem refert omnia quæ non sunt ex spiritu, adeoque etiam omnem professionem monasticam. Relati quoque in Acta anni hujus inveniuntur (x) *Sermones* in XVIII. capita priora *Exodi*, & adjuncti eis, quos in cap. XIX. & XX. A. 1529. habuit, quorum summam retulit *Seckendorffius*. Hæc forte sunt scripta Lutheri hujus anni, si non omnia, saltem pleraque.

(p) *Tom. II. Epist. p. 321. a.* (q) *Tom. III. Alt. p. 487--515.* (r) *ibid. p. 304. ff.* (s) *ibid. p. 320. ff.* (t) *ibid. p. 452. ff.* (u) *ibid. p. 478. ff.* (x) *ibid. p. 523. ff. Seckendorf. pag. 60. ff.*

§. CXX.

Post scripta Lutheri, ad historiam Lutheranismi & Papatus redeundum, & paucis reformationis cum impedimentatum successus indicanda sunt. Carolus V. ex Hispania mandaverat, ut Comititia Augustæ die Michaelis A. 1525. haberentur; sed quia Cæsareæ literæ tardius in Germaniam venerunt, mense Novembri demum Comititia cœperunt. At cum non nisi Tridentinus Episcopus & Electorum paucorumque Principum legati ibi comparuissent, eorum consensu prorogata ad

E e 2

futura

*Conventus
Principum
varii, in
Principibus
Spirensis.*

futuri anni Calendas Maji Comititia fuerunt, Spiræ celebranda; de religione autem Decretum Noribergense repetebatur, & placebat, ea interim esse curanda, quæ ad pacem & concordiam spectarent. Ita finitis vel solutis potius istis Comititiis Augustanis, & perspecta in iis Ecclesiasticorum Principum elata, post cladem rusticorum, mente, famaue de eorum fœdere contra Evangelicos inito, varii conventus ex utraque parte habiti sunt, & Landgravius Hassiæ inprimis plurimis epistolis Electorem Saxonæ hortatus est, ut de defensione serio cogitaret; fœdus enim sine omni dubitatione contra Christum & verbum ejus ab adversariis conclusum esse. Principes igitur Evangelici fœdus defensivum Ecclesiasticis oppositum inter se pacti sunt *Torgæ* d. IV. Maji, idemque paulo post, d. XII. Junii iterarunt *Magdeburgi*, accitis etiam, vel invitatis in societatem aliis. Sic unitis consiliis ad Comititia Spirensia profecti sunt *Saxo* & *Hessus*, & posteaquam cognoverunt, Cæsaris Legatos ibi Præsidentes, *Ferdinandum* Regem locumtenentem, ejusque Vicarium, *Philippum* Badensem, *Bernhardum*, Episc. Tridentinum, *Casimirum* Marchionem Brandenburg. & *Ericum* Brunsvicensem, mandatū Cæsaris rigidum, Hispali datum, urgere, ut nihil, non tantum contra fidem, sed nec contra veterem Ecclesiæ morem, leges & ceremonias decerneretur, utque omnia secundum edictum Wormatiense constituantur, abrupta & conturbata deliberatione, domum cogitant, suisque, ut ad iter sese compararent, mandant. Quo cognito, Ferdinandus, & ex ipsius partibus stantes, rationem ineunt, hoc vulnus sanandi. Demullis igitur & placatis quorundam animis, & fopitis utcunque, quæ erumpebant, dissidiis, ita demum fuit decretum, opus esse legitimo Concilio ad constituendam religionis formam, & retinendam tranquillitatem, intra anni spatium auspicando, ac hoc nomine legationem ad Cæsarem mittendam, oratum, ut ipse quamprimum in Germaniam redeat &

Conci-

Concilium convocet. Interea omnes Principes & Ordines, in sua quosque provincia & jurisdictione ita se gerere debere in causa religionis & observatione edicti Wormatiensis, ut Deo & Cæsari rationem reddere possint.

Tom. III. Alt. p. 657. b. Seckendorf. L. II. p. 42 -- 45. Sleidan. L. VI. p. 149. f. Suav. L. I. p. 31. seq.

§. CXXI.

Ita Deus direxit mirabiliter negotium religionis, ut impedimenta, quæ objicere adversarii volebant reformationi, ponere haud potuerint. Imo in ipsis *Comitiis Spirensibus* Evangelium per *Electoris & Landgravii* Theologos, nominatim *Spalatinum & Jo. Islebium Agricola*, prædicatum fuit, multis hominum millibus accurrentibus. Tamen enim reliqui Principes interpellaverint, ne docerent, motus vitandi causa, ac in templis non permiserint, in diversoriis tamen prohibere non potuerunt. *Maimburgius* hæc atque similia non sine indignatione quadam refert, & causam omnem in *Landgravium* transfert, qui Ducem Saxonix omni modo rexerit, & una cum eo statim religionis exercitium affectaverit, ita, ut dum reliqui Principes & Episcopi cultui divino in Ecclesia cathedrali assisterent, hi in vestibulo palatii sui publice conciones haberi, & Missam ritu Lutherano cantari fecerint. - Etiam id adfectatum notat, ut diebus Veneris & Saturni jejuniis dicatis, ad ludibrium Ecclesix Catholicæ, carnes in mensis Principum palam præberentur; Domesticos autem eorum, qui semper de puro verbo Dei sermones speciose serere soliti sint, acupictas in manicarum sumbris quinque has literas majusculas V. D. M. I. Æ. ut ab aliis distinguerentur, gessisse, quæ significant: *Verbum Domini Manet In Aeternum*. Sparsos quoque fuisse, durantibus Comitiis, in vulgus parvos Lutheri libellos, lingua populari, qui odium veteris religionis spiraverint, & ad novam incitaverint. Episcopi ad hanc relationem *Maimburgii* legat, qui volet,

Ec 3

apud

apud *Seckendorffum*, ex quo & illud, quod de laudabili & præclara Landgravii cura disciplinæ aulicæ, in Comitibus illis exacte instituendæ & servandæ, memorat. Ejus rationem *Jo. Friderico* Duci exposuit, parenti Electori commendandam. Suasit nempe, ut aulici à computatione, scortatione, & aliis vitiis severe arceantur; secus enim si fiat, Evangelio & verbo Dei ignominiam & decrementum magno cum scandalo metuendum esse. Serio itaque adversus inveteratos illos & impios abusus nitendum esse: id quod magnum emolumentum & insignem honorem allaturum sit Principibus: neque aliter fieri posse, aut debere, si salutem animæ adipisci & ingentia mala ac damna evitare velint. Secutus est consilium Elector, & pias ac egregias leges comitatu suo præscripsit, quas in Comitibus servaret. His sequentem vir illustris admonitionē subjicit: quid respondebunt Evangelicam veritatem professi, qui nihil minus curæ habent, quam ut pietatem & disciplinam morum consiliis suis foveant? Licet enim eam magnificis sæpe verbis per edicta subditis injungant; parum tamen proficitur, si factorum exemplo destituantur, quæ voce legum stabiliuntur; majoris utique culpæ rei fiunt meliora scientes, & aliis præcipientes, qui deteriora ipsi sequuntur.

Seckendorf. L. II. p. 41. 45. seq. 46. b.

§. CXXII.

Saxo & Haffus confederationem quarunt contra Episcopos conspirationem facientes.

In his etiam Comitibus Spirensibus, priusquam fieret Decretum, & postquam Elector *Saxoniae* ac *Landgravius Hæssie* (y) viderunt, quod Episcopi Evangelicam doctrinam vi opprimere meditarentur, Legatos urbium præcipuarum, Evangelio faventium, *Argentorati*, *Augustæ* & *Norimbergæ*, ad se vocarunt, & deliberarunt, num qua societas atque fœdus iniri possit, ut si quem professionis Evangelicæ periclitari contingat, mutua subministrant auxilia: deinde cum de *Ulmensibus* ac *Francofurtensibus* bonam quoque spem habeant, non se recusare dicunt, quominus

minus & ipsi appellentur. Huic consilio & confederationi ansam occasionemque dedit rumor antea sparsus, de fœdere adversus Saxoniam Electorem & Landgravium Hassiæ in toto Moguntiam, quod Hesso prodidit Nobilis quidam *Pack*. Quam conjurationem *Lutherus* in Epist. (z) ad Spalatinum feria 3, post Palmatum innuere videtur, quando ait, se gustum nequitiae, quam molietur Satan per Ducem Georgium & Episcopos, per libellum jam sub prælo positum daturum. Suppressus autem libellus iste per Electorem Saxoniam, & primus quaternio impressus ex typographia repetitus fuit, cujus excerpta vel fragmenta *Spalatinus* propria manu consignavit, quæ una cum duobus Consiliis Lutheri ab Electore requisitis Tomo III. Altenburg. (a) inserta sunt. Eorum summa huc redit: Electorem non habere superiorem, nisi Cæsarem; ei igitur fas esse, Principibus inimicis, vi agentibus, vi resistere, & subditos suos defendere. Si vero Principes illi Ecclesiastici eorumve socii Cæsarea mandata obtendant, nequaquam id credendum, sed præsumendum potius esse, Cæsarem, cum de clementia sua certum securumque esse jusserit Electorem, promiseritque, nil se adversus eum suscepturum, sed illum prius auditorum, tale quid nec velle, nec scire. Nullum igitur dubium esse, quin falso jactitent hostes Cæsaris mandata, hocque illos ipsos testari, cum dicant, se ejusmodi mandatum post factam consultationem & conspirationem facile impetraturos. *Edictum Wormatiense* si urgeant hostes, non compositum id ordinum statuumve consensu, sed à primariis eorum improbatum, & à solis Ecclesiasticis procuratum, eoque nec pro Cæsaris aut Imperii mandato habendum, ac per decreta Norimbergensia & Spirensia abrogatum esse, & executionem ejus vano prætextu malitioseque molientibus juste resisti posse. Denique superesse *protestationem* seu appellationem, qua, si opus sit, jus Principum conservari, adversariorum fraus detegi, & mora obtineri possit. Deum reliqua curaturum

turum

turam esse. Omnibus verò modis à præventionem dehortatur, & intra cancellos defensionis adversus aggressores, consistendum esse suadet, stante regula: *qui gladium accipit, gladio peribit*, Matth. XXVI. 52. Quod si Landgravius obsequi nollet, sed ad vim prorumperet, fatius esse, ut fœdus cum illo dissolvatur. Aliud esse, si Electori, Landgravio, aut civitati Magdeburgensi vis inferatur; tunc enim jure resisti, & hostiliter adversus aggressores agi posse. In altera consultatione suadet Noster Electori, ut Episcopis vicinis seu Dicecesanis per literas significet, cum illi in officio hucusque circa negotium Evangelicum negligentibus fuerint, se cogi ad præcavendos, qui ex diversitate religionis oriri soleant, tumultus, ut subditis suis quacunque ratione de prædicatione verbi sufficienti prospiciat. Quo vero ex abundanti appareat, nihil se aliud quærere, quam ut in ditione sua Evangelium ad salutem animarum, placide & concorditer doceatur, rogatos & monitos velle Episcopos, ut ipsi in regionibus Electoris doctrinam Evangelicam & pacificam ita promoverent, quemadmodum coram Deo & mundo officii sui ratione obligentur. Id si omittant, non posse se in suis provinciis factiones & tumultus, aut contrariam Evangelio doctrinam diutius tolerare, neque peccati velle participem fieri, quod illi per negligentiam suam committerent. Prodesse hæc crediderim, (ita claudit Lutherus consilium,) ad majorem æquitatis demonstrationem apud homines, & ad solamen conscientiarum, ut gloriari liceat, nullam viam, quatenus per verbum Dei fas sit, tentatam non esse, ut Episcopis gratificemur.

(y) Tom. III. Alt. p. 657. b. Seckendorf. L. II. pag. 42--45. Sleidan. p. 150. (z) Tom. II. Epist. p. 313. b. (a) p. 520. seqq.

§. CXXIII.

Lutheri sollicitudo de visitatione Ecclesiarum.

Post decretum Spirense publicatum crevit *Luthero* animus, & spem bonam concepit de progressu Evangelii. Ne ergo quidquam omitteret, quod ad ejus incrementum faceret, Episto-

Epistola ad *Johannem* Electorem mense Novembri (b) dedit, in qua deſuſto queſtus eſt de ruſticorum ingratitude erga verbum Dei ejuſque miniſtros, quod ſalaria dare paſtoribus deſtrent. Unde haud abs re auguratur calamitates à Deo imminentes, ſcribitque, ſe, ſi fieri per conſcientiam poſſet, optare, ut peſſimi homines nullum omnino paſtorem haberent, & porcorum inſtar viverent, ſicut faciant, & ſublata Papæ excommunicatione quiſque pro arbitrio agat vivatque absque timore Dei & diſciplina Chriſtiana. Cum vero omnibus Chriſtianiſ ac Magiſtratu præcipue incumbat, ut vel ob juventutem quotidie ſuccreſcentem Scholæ & Paſtores conſtituantur, Electorem rogat & ſerio monet, ut, ceſſante jam Papali coactione & ordinatione, quamprimum quatuor viſitatores nominet per regiones ſuas, quorum duo bona & reditus, cæteri doctrinam & perſonas obſervent, & Electorali mandato inſtructi Scholas & Paſtoratus, ubicunque neceſſe fuerit, ordinent, ac ſi cives oppidi alicujus vel incolæ vicorum facultates habeant, cogant ad ſuſtentandos ludi magiſtros & verbi miniſtros. Adeſſe etiam reditus ex vacuis monaſteriis, qui hunc in finem deſtinati ſint, eoque impendi debeant. Elector, ut miti ingenio erat, non reſragabatur, & jam antea quoque (c) proceribus ex nobilitate, qui ſuperiore gaudent jurisdictione, & vulgo *Schriſſeſſi* vocantur, injunxerat, ut ordinationem Miſſæ, ſecundum formulam à viris doctis & Scripturæ peritis conſcriptam, paſtoribus ſuis proponerent. Addiderat quoque paſtores commonendos eſſe, ut verbum divinum & Evangelium ſecundum verum & Chriſtianum ſenſum prædicarent & interpretarentur; ſi vero non ſatis periti & docti eſſent, ut ſibi librum Wittenbergæ impreſſum, qui *Poſtillarum* titulum habebat, compararent, & ex illo populo explicationes prælegerent, addita, ubi opus eſſet, declaratione. De *ordinatione cultus publici & forma rituum* inſtituta diximus §. CXVI. Atque hinc ſatis patet, quis ſtatus reli-

gionis hoc anno in Saxonia, quæ reformationis incrementa fuerint. Prudenter & lente progressus est Elector, *Luthero* suadente in Epistola ad eum data, (d) cum *Canonici Altenburgenses* cultum missaticum nondum intermitterent, Pastores autem Evangelici ejus abrogationem magno zelo urgerent. Hic *Lutherus* consultus ab Electore moderationem adhibendam censuit, ita, ut ante omnia Canonici rationes prohibitionis exponantur, quibus constrictum se Princeps in conscientia sentiat, ne cultum, quem ipse & populus impium & superstitiosum è verbo Dei agnoscat, diutius publice toleret, aut sustentet: nec etiam connivere velit, id sine tumultus vel seditionis periculo facere possit; hancque ob causam Norimbergenses Monachos sedasse, & cœnobia clausisse. Quod si vero Canonici ad suam quoque conscientiam provocaverint, id nihil eos juvare, quum antea probatio ex Scriptura ab illis postulata sit, ipsimet vero eam subterfugerint dixerintque, se ritum veterem ab Ecclesia probatum retenturos. Interim denuo iis offerri, imo serio ab eis postulari posse, ut cum Altenburgensibus Pastoribus colloquium super hoc cultum instituatur, & si adstruere ex sacris literis eum nequeant, ad exemplum Norimbergensium, silentium ipsis publice imponendum & conformem cultum introducendum esse; privatim tamen, ne dicere queant cogi se ad religionem, tolerari posse, ut in cubiculis suis adorent quos & quot velint Deos: honores quoque & redditus interim ipsis conservandos esse.

(b) *Tom. III. Alt. p. 519. 4. b.* (c) *Seckendorf. p. 48. b.* (d) *Tom. III. Alt. p. 340.*

§. CXXIV.

*Disputatio
inter Evan-
gelicos &
Pontificios*

In *Hassia* pariter, ut in Saxonia, *Philippus* Landgravius reformationis opus masculè aggressus est, & consuluit de eo per litteras *Melanchthonem*, qui suavit, ne *ceremonia* omnes simul aboleantur, sed serventur etiam cantiones *Latinæ*, tempestive usurpandæ,

pandæ, textus item Dominicales, festorum dierum discrimina, & similia. Missas tamen privatas absque communione profusus aboleri, nec fidem tantum sed & timorem Dei & charitatem, atque obedientiam erga magistratum doceri, ab armis tamen Evangelii causa abstineri vult. Posthæc, finitis Comitibus Spirenibus, conventum Pastorum & Cleri in suis ditionibus, d. XI. Octobris Homburgi indixit, & per Cancellarium suum Synodo proponi iussit dissidium religionis, & traditiones, quæ olim in Ecclesiam Dei ad opprimendam puram salutaremque doctrinam Evangelii irreperint, & hucusque non sine pernicie animarum plurimarum inculcatæ intolerabili cum severitate fuerint. Quam ob causam statuerit Landgravius in provinciis suis posthac in doctrina & ceremoniis aliam inire rationem, & priora immutare, ita tamen ut Deo & Cæsari sufficientem rationem ex Scriptura S. reddere possit. Usus autem Princeps in hac causa est opera *Joannis Serrani*, sive vero nomine *Francisci Lamberti*, Avenionensis Galli, qui inter Minoritas 20. annos versatus, ob persecutionem exul & pauper factus, Wittenbergam venit, ibique aliquamdiu vixit familiariter cum Luthero aliisque viris doctis, ac ab iis Landgravio commendatus fuit. Is 158. *paradoxa* consignavit, in Synodo cum Pontificiis disceptanda, quibus veræ doctrinæ summa & repugnantium illi errorum abusuumque Pontificiorum refutationes comprehendebantur: ea publice aliquamdiu ante præstitutum Colloquii tempus affixit, & præsentem Principe, perque Cancellarium omnibus disputandi potestatem faciente, contra Monachos, ex omnibus cœnobiis & collegiis congregatos, egregie defendit, Latino sermone, quæ *M. Adamus Crato*, *Fuldensis*, Landgravii concionator aulicus, in gratiam Laicorum, quorum ingens numerus aderat, Germanice interpretabatur. Inter adversarios præcipuus erat *Nicolaus Ferber*, à patria *Herborn* dictus, Guardianus Franciscanorum Marpurg. sed confusus ille, quod spe-

in Hassia;
ubi hi con-
fusi discesserunt.

stat ad verbum Dei, omnino obmutuit, & per duas horas mendacia multa, nugas atque somnia locutus est. Sub finem Synodi ad disputandum quoque accessit *Johannes Sperberus*, ex Magistris Lipsiensibus, qui similiter confusus defecit, & tandem tam fuit dejectus per verbi Dei gratiam, ut nemo etiam ex pietatis hostibus, non doleret super illius ignominia, ac misereretur ejus. Cum igitur optimus Princeps ex colloquio diuturno satis perceperisset, quam nullo niteretur fundamento Pontificiorum religio, & quam scelestè viverent Monachi, eos omnes cum superstitionibus Papæis dimisit, & Evangelicos Pastores passim subditis suis præfecit, & reditus monasteriorum in Academiam Marpurgensem, sequenti anno fundatam, transtulit. Nihil temere aut præcipitanter hîc actum est, siquidem Archigrammateus jussu Landgravii clara voce proclamavit in collatione memorata hæc verba: Principis voluntas non est, quenquam cogere, sed optat scrutari quæ spectant ad Ecclesiarum bonum regimen.

D. Leuchter antiq. Hefor. sid. p. 13. seqq. Seckendorf. p. 40.

§. CXXV.

Reformationis successus in Silesia, Franconia, Frisia, Borussia.

Alibi quoque purior doctrina propagari cœpit, nominatim in *Silesia*, præcipue in *Ducatu Saganensi*, & *Jægerndorfeni*, annitente *Georgio*, Marchione Brandenburgico, licet *Georgius*, Saxoniam Dux, qui Saganensem Ducatum tunc possidebat, opprimere semina Evangelii studuerit. *Casimirus*, *Georgii* Brandenburgici frater, tepidior in hoc negotio, & *Episcopis Franconie*, Suevici fœderis potentia fretis, ac severiora jam ad impediendam reformationem consilia capientibus, vel aulæ, quia inter eos erat, quos *Carolus V.* se absente, *Ferdinando* fratri ad Imperii res curandas adjunxerat, vel temporari, sese accommodans, convocatis prælatis aliisque ordinibus provinciarum, ex eorum pastorumque consilio edictum publicavit, quo *Spirensi* decreto, ut præ se ferebat, satisfactorius, verbum Dei à pasto-

pastoribus doceri iussit, si possint; sin minus, saltem Evangelium & Epistolam Germanice prælegi, nec quidquam nisi formulam confessionis publice addi, cantiones Germanicas durante Missa (Latine celebranda) fieri, usum unius vel utriusque speciei indifferenter admitti, & similia permisit. Eo autem in Hungaria anno sequenti defuncto, *Georgii* pio zelo reformatio plenior locum obtinuit. In *Frisia Orientali* multis disputationibus & colloquiis convicti Monachi cedere & locum Evangelio relinquere cogbantur. In *Borussia* ordinatio Ecclesiastica edita fuit, ab Episcopis composita, & mense Decembri præcedentis anni in Comitibus provincialibus approbata. Cumque in Comitibus Spirensibus Magister Ordinis Teutonici *Dietericus à Cleen*, ab Alberto Duce, mutationem in Borussia, se & Livoniae Magistro non consulto, factam questus esset, & *Excusationem*, ut vocabat, exhibuisset, *Alberti* nomine proluxa *protestatio* publicata fuit, in qua contra ordines religiosos & bella, quibus homines ad religionem Christianam cogebantur, item adversus impurum coelibatum, vehementer & libere disputatur, & probrosa equitum vita traducitur, diciturque fatius fuisse, si filii nobilium in cunis suffocati, quam cum præsentissimo animæ periculo in ordinem assumpti essent. Reformationem Religionis, se in Germania absente, initium habuisse à concionibus peregrinorum doctorum: inde perspectæ jam aliquatenus veritatis tanto desiderio flagrasse Ordines & populum, ut eorum postulatis consensum suum denegare haud potuerit. Idem *Albertus* paulo post cum Johanne, Electore Saxonie, mutuae defensionis pactionem iniit.

Seckendorff. *L. II. p. 49.*

§. CXXXVI.

Hic status religionis hoc anno in Germania præcipue erat, *Admiranda* reddita libertate conscientie, quam Lutherani, ut *Maimburda* *provi-*
gius (e) ait, in Comitibus Spirensibus obtinere studebant, & *dentia div.*

Ff 3

quod

in oppugnatione Papa. quod ad Dei gloriam addendum est, obtinebant. Suspicienda sane hic providentia divina est, nec unius alteriusve Principis, Saxonis aut Hassi, consiliis acceptum ferri debet, quidquid tunc pro Evangelicæ doctrinæ libertate & pace publica obtentum fuit, sed gubernationi præsertim singulari Dei. Unde corrigimus merito *Maimburgium*, acceptæ in Hungaria cladis à Turcis, & Regis *Ludovici* mortis causam dissensionem inter Principes Germaniæ infaustæ, ob hæresin Lutheri obortæ, tribuentem. Propiorem sane causam occasionemve invenire & collocare debuisset in bello internecino, quod inter Hispanos & Gallos non sine magna & multiplici Pontificis culpa, gerebatur. Hoc in causa fuit, ut Lutherani, unitis viribus, & Deo pro meliore stante causa, triumpharent. Quod subdit ex-Jesuita, *de urbe Roma* ab impiis his capta & desolata, & horrendo sacrilegio sanctissima mysteria profanantibus, ingenium refert fascinatam præjudicatis opinionibus: nec nostri jam est instituti, talia prolixè vel enarrare, vel refutare. Non probamus immanitatem & insolentiam militum Germanorum ac Hispanorum, Romæ exercitam; sed illi non fuerunt plerique, nedum omnes *Lutherani*, & Cæsar non religionis causa, sed ut frædifragum & hostium socium Papam persequeretur, & *Carolus* ipse hoc factum diligenter excusans, nullo suo mandato id accidisse dicebat, quamquam istud certo se credere scripserit, quod justo Dei judicio contigerit, qui vim & injuriam sibi factam ultus sit. Unde etiam à Papa ad futurum Concilium provocavit, & Cardinales invitabat ad indicendum Concilium, si Pontifex vel renuisset, vel in convocando moram nimis longam interposuisset. Ex quo principio, observante *Paulo Veneto*, (f) homines sagaciores judicabant, magnum quidpiam consequi. Eo accessit, quod *Thuanus* teste (L. 1. Histor.) Cæsar injuriam à *Clemente* sibi illatam, ulturus, *nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hispaniam aboleretur*, exemplo, quod egregie notat, ab Hispanis ipsis reli-

cto,

to, posse Ecclesiasticam disciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem conservari. Hinc liquet, non tantum per Lutherum, eique adherentes, sed etiam per ipsos Pontificios Pontificis auctoritatem valde imminutam esse. Ubi iterum gubernationis divinæ admirabilis documentum animadvertere licet. Neque hoc omittendum esse arbitror, quod Cardinalis *Pompejus Columna*, à Pontifice Senatu motus & excommunicatus, Clementis diris insuper habitis, provocationem ab iis ad Concilium publicaverit, proposita non solum edicti monitorii, & censuræ Pontificiæ iniquitate, & nullitate, verum etiam Ecclesiæ universalis necessitate, quæ in maximas angustias coniecta, sublevari aliter nequeat, nisi legitima Concilii ope *capite & membris reformatis*: eaque gratia *Clementem* ad Concilium, quod Cæsar ad Spiram esset habiturus, jamjam citaverit. Hujus provocationis, sive citationis, aut manifesti exemplar, Columnii per Clientes suos noctu Romæ præcipuorum templorum valvis affigendum, aliisque per Italiam locis publicis disseminandum curarunt. Id Pontifici maximam peperit animi perturbationem, qui ipsum Concilii nomen vehementer abhorrebat, non tam auctoritatis Pontificiæ moderandæ, aut commodorum Curæ suæ amputandorum metu, quam rerum suarum contemplatione. Probe enim conscius sibi erat, quod illegitimo thoro procreatus, & quibus artibus Pontificatum adeptus esset, & quam facile id *Columna* probationibus pervincere posset: denique quam rigido diplomate Julius II. & Simoniacam electionem tanquam nullam declarasset, & vetuisset, ne per consensum subsequentem corroboraretur.

(e) ap. Seckendorf. L. II. p. 41. seqq. (f) Petr. Suav. p. 36. seq.

§. CXXVII.

Clemens Pontifex, Roma capta, Ducibus Borbonio & Fronsbergio (s. Freundsbergio) in arce S. Angeli obsessus & inclusus tenebatur; qua de re cum nuntius ad Cæsarem in Hispaniam

A. 1527.
Papacaptus
& liberatus
à Cæsare factus

niam

*dux cum eo
iniit ad ex-
cipiendos
Lutherana-
nos.*

niam esset allatus, maximum ille animi dolorem externis signis testatus est, ac illico cessare iussit ludos atque spectacula, quæ propter recens natum ei filium, Philippum, Valloleti celebrabantur. Sed, ut *Suavis* ait, religionis pietatisque suæ multo maiorem omnibus fecisset fidem, si suis simul imperasset, ut Pontifex libertati restitueretur. Verum cum ille totos sex menses ab eo tempore in custodia detentus fuerit, facile omnes perspiciebant, quantum inter veritatem & fucum interesset. Cupiebat certe, ut idem refert, Imperator Papam in Hispaniam abduci, magnam inde existimationi suæ accessionem sibi spondens, si ex Italia in Hispaniam biennii spatio, duo adeo potentes captivi ducerentur, Galliarum Rex, & Pontifex Romanus. Sed cum Hispania omnis, & maxime Antistites, tantam Christiani nominis ignominiam execraturi viderentur, si Christi in his terris vicarius, aliorum captivus deportaretur, ab incepto destitit, ac annuit tandem, ut satis duris conditionibus à custodia emitteretur. Non defuit profecto oportuna Cæsari occasio reformandæ in melius Ecclesiæ, & restituendi Imperatorii fastigii ad pristinum decus: & suaserat ei Dux Albanus, ut si Imperator Romanus verus & magnus esse vellet, Romam, sedem Imperii retineret. Sed hæsit alte nimis in animo ejus superstitio, cæca & insanabilis, adeoque à divino scopo multum aberrans, cum Pontifice utcumque conciliatus pactum iniit, cujus præcipua lex erat, ut sociatis auxiliis Lutherani omnes excindantur. Prohibuit tamen Deus male destinata.

Suav. p. 39. Seckendorf. p. 79. Heidegger. Histor. Papat. p. 217.

§. CXXVIII.

*Disputatio
Badena &
Bernæ in
Helvetiæ in-
staura, Ber-
nenses, Con-*

Interim bellum in Italia pacem occasionemque Germanis, & iis præcipue dedit, qui Evangelio favebant, id latius propagandi; quod alicubi factum esse constat. Duodecim Helvetiorum pagi, jam anno superiore, cum conventus Ordinum Spiræ esset, Badena disputationem instituerant, impellente *Joanne Fa-*
bro,

bro, & Zwinglium præ aliis optante præsentem, qui vero locum *stant. & Genevenses* dilceptioni designatum, tanquam minus tutum, recusaverat. *Papatuirenunciant.* Oecolampadius igitur & alii nonnulli themata à Pontificiis proposita, de præsentia corporis & sanguinis Christi veri in S. Cœna, de Missa pro vivis & mortuis, de sanctorum invocatione, de divorum statuis non abrogandis, & de purgatorio, quæ confidenter admodum Eccius defendebat, impugnabant. Exitus hic fuit, ut in ea, quam hucusque servassent, religione permanent omnes, nullum dogma novum admittant intra suos fines, & Concilii authoritatem sequantur. Bernates autem, inter Helvetios maxime potentes, cum & disputationis illius acta non essent cum ipsis, licet petentibus, communicata, & dissidia religionis augescerent, disputationem aliam in sua urbe decernunt, & ad eam finitimos convocant Episcopos, *Constantiensem, Sedunensem, Lausanum, & Basileensem*, cum Theologis, themataque decem promulgant, è sola Scriptura Vet. & Novi Test. disceptanda, de Ecclesia è verbo Dei nata in eoque permanente, ac traditiones repudiante, de Christo satisfactore unico pro totius mundi peccatis, intercessore & advocato &c. Quanquam vero multi è sociis eos graviter hortarentur, ut ab instituto desisterent, nihilominus tamen perrexerunt, & themata communi plurimorum assensu comprobata & sancita passim fuerunt, Missis, aris & statuis ubique sublatis. *Constantienses* quoque & *Genevenses* eorum exemplum paulo post secuti sunt. *Argentinae* etiam, post publicam disputationem, decretum factum de Missa eousque abroganda, vel certe intermittenda, donec ejus defensores demonstrarent esse cultum Deo gratum, licet Imperii Senatus in Camera Spirensi id vetuisset.

Sleidan. L. VI. p. m. 150. & 159. seqq. Suav. p. 39. 40.

§. CXXIX.

In Italia quoque, cum fere per biennium nec Pontifex esset, nec Curia Romana, & illæ, quas utrique perpessi erant ca-

Gg

In Italia Evangelium
receptum.

lamitates, plerisque viderentur executio divinæ sententiæ, contra ejus regiminis corruptelas, permulti pronis animis atque auribus Reformationi auscultabant, atque in privatis diversarum civitatum ædibus, maxime *Faenza*, Pontificis territorio, contra Ecclesiam Rom. prædicabant, crescente in dies numero eorum, quos alii *Lutheranos*, ipsi se vocabant *Evangelicos*.

P. Suav. L. I. p. 40.

§. CXXX.

Ferdinandus Rex rigorosum edictum contra Lutherum Buda promulgat.

Comitia Ratisbonæ indicta successu destituta sunt, quia ex Principibus nullus, Legatorum vero pauci comparuerunt. Nihil ergo ibi actum fuit, nisi quod Cæsari per literas significarent tum præsenes, eumque rogarent, ut pacem cum Regibus iniret, Comitia alia indiceret, & ipse in Germaniam veniret. Nam Cæsaris Frater *Ferdinandus*, Rex Bohemiæ hoc anno creatus Prægæque coronatus, & cum *Johanne Zepusienfi*, *Wayvoda Transilvan.* de principatu contendens, bello Hungarico implicitus, Germanicis rebus adesse non poterat. Philippus etiam Badensis, ei summissus, è Comitibus digressus, Comitem Montfortium Wolfgangum, subdelegatum ibi reliquerat. Sic deficiente fere, ut *Seckendorffus* ait, suprema in Imperio potestate, arbitrio singulorum Principum, tum alia, tum maxime religionis negotia tractabantur, nullo in commune consilio. *Ferdinandus* tamen, ut progressus Reformationis impediret, valde rigorosum edictum Budæ d. XX. Augusti promulgavit, in quo *Wormatiense Decretum* contra *Lutherum*, hæreticarum & seductricium sectarum autorem, pro fundamento præstituit, repetiit & vehementer urisit, Anabaptistarum & Sacramentarium dogmata, utpote deteriora Lutheranis, damnavit, ac leges allegavit, quibus pœnæ capitis, aliæque, pro modo delicti, statuuntur, etiam in violatores Ecclesiasticarum constitutionum.

num. Hoc edictum Lutheri Tomo III. Altenb. cum glossis quibusdam marginalibus insertum legitur.

Sleid. L. VI. p. 158. 162. seqq. Seckendorf. p. 80. & 83. Tom. III. Alt. p. 757. seqq.

§. CXXXI.

Hoc tamen renovatum à *Ferdinando* Rege *Wormatiensis* Magdebur-
se edictum non ab omnibus executioni mandabatur. In *Ar-* *Magdebur-*
gi & *Hala*
chicpiscopatu (g) sane *Magdeburgensi* mitius agebat *Albertus*, *Evangel.*
& in ipsa *Metropoli* strenue procedebat doctrina *Evangelica*, *crevit. Por-*
Amsdorfio *Ecclesiaste*, aliisque libere ibi prædicantibus. *mentum &*
Portentum in ista urbe (h) nocte *Circumcisionis* contigisse, *Winckleri*
Ams- *caedes.*
dorfius *Luthero* & *Lutherus* *Wencesl. Linco* retulit, de lampadi-
bus & candelis omnibus, excepta una coram *Sacramento*, sub
matutinis in summo templo subito extinctis, quod ob tot an-
gulos *Capellarum* abdito à vento, cui istic non pateat acces-
sus, tribui impossibile judicat *Martinus*. *Halis* quoque *Saxon.*
crevit *fidelium* numerus, *Evangelium* pure docente, & *S. Cœ-*
nam sub utraque specie distribuite *M. Georgio* *Wincklero*, quem
Albertus *Aschaffenburgum* evocavit, & auditum quidem di-
misit, sed per infidias in vicinis sylvis trucidatus fuit bonus
vir. *Lutherus* in facinoris autores (i) quos *Canonicos* *Mogun-*
tinis fuisse haud abs re censuit in edito ad *Hallenses* libello con-
solatorio, gravissime est invecus, *Georgium* autem sub utra-
que distribuentem *Sacramentum* *Cœnæ* plurimis *Scripturæ* *S.*
& *Juris Canonici* locis defendit.

(g) Seckendorf. p. 83. b. (h) Tom. II. Epist. p. 327 a. (i) Tom. III.
Alt. p. 741. ff.

§. CXXXII.

In *Hassia* repurgata religio hoc anno propagata, & libellus *In Hassia*
Marpurgi sub hoc titulo editus est: *Christliche Ordnung / wie prima pro-*
es zu Marpurg in Hessen mit Tauffen / Sacrament-reichen und *dit ordina-*
mit Deien nach der Predigt gehalten wird / cui *Lutherus* præfa- *tio cultus*
tionem *purioris.*

Gg 2

tionem præmisit. Otiosos etiam Monachos & pigros ventres, cum plurimæ querelæ contra eos audiret *Philippus* Landgravius, è Cœnobia Heyna ejecit, ac eorum loco recipi, ali vestirique iussit pauperes, mutilatos parte membrorum, variis morbis afflictos, & mente captos. Quod male habuit *Ferdinandum*, *Moguntinum*, *Brandenburgicum*, aliosque Principes Pontificios, qui *Uratislauiz* clam fœdus iniierunt de Saxone & Hesse bello opprimendis, & si veteres ritus ac bona Ecclesiastica restituere illi nollent, ejiciendis. Proditum tamen cruentum consilium fuit, quemadmodum ad sequentis anni historiam memorabimus.

D. Leuchter, antiq. Hess. fid. p. 17. seqq.

§. CXXXIII.

*In Bavaria
semina E-
vang. spar-
sa per Leon-
hard. Cesa-
rem, ideog
combustum.*

In *Bavaria* quoque Evangelicæ veritatis semina sparsa sunt à quodam *Leonhardo*, cognomento *Cesare*, vicario cujusdam Canonici *Passaviensis*, qui ad ductum *Lutheri* Evangelium docere cœperat; sed simul ac id innotuit, *Passavium* vocatus, & cum palinodiam canere carcere & minis compulsus fuisset, rediit quidem ad parochiam; sed, reclamante conscientia, post sex menses pagum reliquit, & *Wittenbergam* aliaque loca, ubi Evangelica doctrina publice libereque sonabat, petiit. Post biennium tamen, ad patrem lethaliter decumbentem, rediit, & à pastore pagi proditus, *Passavium* deducitur carcerique mancipatur, ex quo sæpius coram Episcopo & Canonicis quibusdam doctrinæ suæ rationem reddere coactus sequentia capita defendit: Solam fidem coram Deo justificare; opera signa fidei esse, sed à justificationis actu tanto intervallo separari, ut cœlum à terra distet; duo tantum esse Sacramenta, *Baptismum* & *Cœnam Domini*, hancque sub utraque specie distribuendam; *Missam* non esse sacrificium, neque pro vivis, neque pro mortuis, & *Canon* magno & parvo, quia ad sacrificium dirigatur, nullum esse locum; *Confessionem* Deo quotidie, proximo, si
læsus

læsus fuerit, Sacerdoti majoris consolationis & consilii, non præcepti causa, præstandam; Satisfactionem pro peccatis non dari, nisi per sanguinem Christi, contritionem autem, jejunia &c. signa esse gratitudinis pro redemptione Christi, non satisfactiones; Votum castitatis non obligare; Purgatorium non dari, nec mortuos esse invocandos &c. *Eccius* Ingolstadio evocatus eum in finem fuit, ut Cæsarem ad revocandum persuaderet, præsentibus ejus amicis; sed frustra id tentavit. Unde *Leonhartus*, jubente Episcopo ad tribunal solenniter adductus, ad summam articulorum latine prælectam, ne populus intelligeret, populari lingua cordate respondit, & degradatus, ut vocant, retractus in carcerem, ac post mensem, cum nihil revocare vellet, nisi quid Scripturæ contrarium dixisset, ab Episcopo hæreseos damnatus, Scherdingam, quo in agro natus, ductus, ibidemque jubente *Guilielmo* Bavariæ Duce, nil quicquam intercedentibus aliquot Principibus, Comitibus, Nobilibus & cognatis, vivus crematus est.

Tom. III. Alt. p. 780--795. Tom. II. Epist. p. 329. b. 354. a, b. Sleid. p. 159. Seckendorf. p. 84. ff.

§. CXXXIV.

Luthero ob has aliasque causas gravis hic annus fuit, in *Luthero* primis ob ægritudinem animi & corporis, quam sustinuit, quem *gravis hic* admodum literis ad amicos datis significavit sæpius, & ex iis *annus.* *Seckendorffus* diligenter retulit. Accedebat pestifera lues, quæ Wittenbergæ grassabatur. Unde Academici ab Electore Jenam commigrare jussi sunt. Lutherus autem cedere noluit, sed cum Pomerano Pastore & Diaconis Wittenbergæ mansit. Consultus tum à *D. Hesso*, Uratislaviensium Pastore, an & quatenus tempore pestis fugere liceat? respondit in hanc sententiam, quam publici juris fecit, ut aliis simul prodesset: licitam esse fugam iis, qui propter officium publicum aut servitium manere non teneantur; sine peccato etiam manere posse firmos in fide &

Gg 3

non

non timidos, ac si absit temeritas, vel causa tentandi quasi Dei.

Tom. III. Alt. p. 761. seqq. 772--777. Tom. II. Ep. p. 324. seq. 335-341. 341. seq. 344. 347. 353. b. f. 356. f. 358. seq. Seckend. p. 86. seq.

§. CXXXV.

*Respondet
Regi An-
glie.*

Tametsi vero Megalander hoc anno quasi in solitudine ageret, non tamen otiosus fuit, sed puriorem doctrinam scriptis propagavit & defendit. Nam sub ejus initium respondit ad scriptum Regis Angliæ maledicum, in se, una cum literis suis humiliter ad Regem suasu Christierni Reg. Dan. datis, editum, cui titulum fecerunt *palinodiam*. Hoc in responso palinodiam sibi objectam prolixè diluit, ac humilitatis significationem in Epistola sua expressam nequaquam ad doctrinam pertinere, imo excepisse se diserte dicit suam doctrinam, hanc quippe confidenter constanterque se tenere, ac nihil omnino de ea remittere posse, aut velle; in vita tamen & moribus se non superbire coram Deo, sed unicuique facile cedere, licet coram mundo innocens sit, certe melior adversariis. Dolet, quod se induci passus sit ad scribendum Anglo à Dano, & adversus monitum Christi margaritas porcis projecit. Cogitasse enim se, non sine reatu fore, si, cum Regem Angliæ lucrifacere posset, id omitteret. Ita quoque à proceribus in pulsum se, & obrutam quasi conscientiam suam fuisse promissionum plaustris, fore, ut Evangelii causam juvaret, si humiliter ad Ducem Georgium scriberet. Impegisse igitur ut alias, quoties amicis mollia suggerentibus cessisset. Interim omnia quæ bono simpliciq; animo scripserit, expendentem se, non reperire, quod scripsisse pœniteat, cum putaverit causæ Dei id profuturum. Parum autem se curare convitia, blasphemias, iras & furores hostium, quæ sibi cibibus sint, quibus saginetur; Spiritum enim electis omnia in bonum cooperari. Coram tribunali Christi debere & velle se imperterrito animo doctrinæ suæ rationem reddere. Hominum judicia nequaquam se extimescere; illos quippe, si graviter

viter

viter & acerbe scribat, accipere inde ansam damnandi doctrinam suam, ac dicendi, Lutherum esse superbum, mordacem, impatientem. Contra, si se humiliet, eos metum, hypocrisim & palinodiam objicere ac interpretari. Ufu sibi venire, quod Matth. XI. 17. Christus pronunciauerit. Repetit deinde, quod dixerat, se ratione personæ ac vitæ suæ humiliaturum ac subiecturum omnibus, etiam infantibus, si Evangelio non aduersentur; at, quod ad doctrinam officiumque suum, & vitam ei conformem, spectet, neminem ab se sperare aut expectare debere patientiam & humilitatem, minime omnium tyrannos & persecutores Evangelii: hos namque pro vivo sancto habere se oportere: & si non alios quam Regem Angliæ, Ducem Georgium, Papam ejusque sequaces, miseras istas bullas, hostes haberet, se dudum rem confectam habiturum fuisse vel unica particula Orationis Dominicæ. Gravius mox conqueritur de Schvvermeris & Sacramentariis, quam de Pontificiis, ac tandem se ipsum causæ suæ fiducia erigit, provocatque adversarios omnes, diabolum, Papistas & Schvvermeros, cum omnia videat frustra apud eos esse, quicquid sive leniter sive graviter dixerit & scripserit, nec pensi moderatique habere, licet solus relinquatur; se tanto hilarius mori & vivere posse, quanto certior in conscientia sit, quod Orbi omni studio inservierit, & Scripturam S. in tantam lucem perspicuitatemque adduxerit, quantum intra mille annos non habuerit. Per Deum itaque adversarios rogat, ut se missum faciant; non enim esse Lutherum, quem persequantur: nihilque effecturos contra doctrinam suam, si vel decem orbés terrarum, alium super alium congesserint. Corpus suum facile perimi posse, sed doctrinam suam, utpote divinam, ipsos consumpturam; quod vel inde colligere promptum foret, quia nemo hæctenus ei resistere potuerit, sed illa ipsa invicta persisterit. Hoc *Lutheri* responsum multos non tantum ex adversariis sed etiam ex nostris offendit; necessaria-

cessa-

cessarium tamen valde sibi visum fuisse Lutherus in Epistola ad *Spalatinum* scripsit adversus tantam superbiam Satanæ. *Emserus* enim literas Regis Angliæ & Lutheri typis vulgavit, præmissa præfatione, & dedicatione, petulantissimis convitiis, mendaciis & injuriis scatente. Quibus nihil reposuit Noster, sed tantum defendit suas literas, ad Regem & Georgium Ducem ante annum scriptas. *Cochleus* in hunc Lutheri libellum calamum strinxit, libellosque variis sarcasmis & cavillis plenos protrudit, ex quibus, *Seckendorffio* iudice, frigida sane & se digna historiæ suæ inseruit, quæ lecta refutationem secum ferunt. Prodiit quoque lingua Saxonica infer. iste liber, hoc titulo insignitus: *up des Königs von Engelland Laster-Schrieffe / dar he D. Martin Luther seiner Lehre Wederropinge to lege / Antwort Martin Luthers. Wittenb. 1527.*

Tom. III. Alt. p. 686--690. Tom. II. Epist. p. 329. a. 330. a. Seckend. p. 80. b. 81. a, b.

§. CXXXVI.

*Querela
Lutheri de
Erasmio &
Sacramen-
tariis.*

Hoc anno igitur etiam insurgere contra Lutherum perrexerunt Erasmus & Sacramentarii, prodiitque secunda pars acerbissimi scripti Erasmi Roterod. *Hyperaspistæ*. Unde graviter conquestus est Noster in Epist. ad *D. Jonam*, (k) & Mich. Stifelium, tentationem suam ab illis exasperari, hunc in modum: *Erasmm & Sacramentarios* nondum legi, nisi *Zwinglii* tres ferme quaterniones. Recte faciunt, si me miserum conculcent, ut impleant Judæ exemplum, cogentes & me cum Christo queri: *& persecutus est inopem* &c. Ego enim porto iram Dei, quia peccavi ei. Papa & Cæsar, Principes, Episcopi & totus mundus odit & petit me: nec est hæc satis, nisi fratres mei divexent me. Quin peccata mea, mors, Sathan cum angelis suis, sine fine sæviunt. Et quid est, quod me servet & soletur, si etiam Christus me relinquat, propter quem illi me oderunt? Sed non relinquet in finem peccatorem miserrimum; arbitror enim me esse

esse novissimum omnium hominum. O utinam, & iterum utinam, *Erasmus & Sacramentarii* unius horæ quarta cordis mei experiri possent miseriam, quam securus ego pronunciarer, eos sincerissime converti & sanari. Nunc ipsi inimici mei firmi sunt & vivunt, denique addunt dolorem super dolorem, & quem Deus percussit, persequuntur. Nihil tamen *Erasmio* respondit *Lutherus*, (l) cum sua argumenta in Tractatu ei opposito de *Servo arbitrio* minime refutaverit, sed intacta reliquerit. Aculeos *Erasmianos* patienter tulit, gavissus & gratulatus *D. Jone* (m) de palinodia, qua nunc tandem illum suum *Erasmum* coloribus suis pingat, & viperam illam lethalibus aculeis refertam recte cognoscat, & ex unius *Hyperaspistæ* lectione tantum profecerit, ut suum de illo mutaverit iudicium. Quare *Cochleus* (n) frustra tantopere de hoc *Erasmi* scripto lætatus est, in quo vitium scurrilitatis magna cum specie *Luthero* objicitur, indeque vel maxime adversus ejus doctrinam argumentum formatur, ac si à Spiritu S. proficisci non potuerit, quum *Lutherus* linguam refrænare nesciverit. Verum facile constat, quid responderi ad hanc objectionem debeat. Nihil officium veritati mores & lapsus in verbis, & ipse *Lutherus* in libello adversus Regem Angliæ §. anteced. adducto, distinxit inter dogmata & mores suos: illa divina nituntur autoritate, hi sunt hominis peccatoris, & qui ne verbo quidem offendit, perfectus vir est, Jac. III. 2. Plura *Cochleæ* regessit *Seckendorfus*.

(k) *Tom. II. Epist. p. 343. b. 353. b.* (l) *Tom. III. Alt. pag. 81. a.* (m)

Tom. II. Epist. p. 353. b. (n) *Seckendorf. p. 87. b. 88. a.*

§. CXXXVII.

Cum *Sacramentariis* & *Anabaptistis* magis quam cum *Pontificiis* decertandum *Luthero* fuit hoc anno, de quibus subinde questus est. Ad *D. Hessum* d. XXVII. Januarii (o) sic scripsit: Ego *Sacramentariis* novissima pugna congregior, & *Catabaptistas* attingo, pro nostris confirmandis. Sic arbitror *Christo* me servire

Hh

vire

Confess. de Eucharistia Lutheri.

vire & placere, Sathanæ vero displicere, & irritare etiam magis plus quam furiosissimum in me sævientem. In *Epistola ad Clementem Ursinum*, Pastorem in Brucka, fer. V. post Reminiscere data, (p) ita sentit: *Zwingliana & Oecolampadiana sententia* late serpit, habetque jam inter se varias sectas, verum à diversis est contra eam scriptum & Latine & Germanice. Ego quoque jam librum Germanice in eos absolvo. Tu si meam recipis exhortationem, fugies eam opinionem, ut pestem, quia blasphema est in Christi verbum & fidem. Sic nos credimus & scimus. Idem sentio de parvulorum Baptismo, contra *Balthasarem Huebner*. Mense igitur Februario aut Martio, ut *Seckendorffius* colligit, (q) *Lutherus* sententiam suam de præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia contra *Zuinglium & Oecolampadium* aperuerat in notissimo illo Tractatu German. cui titulum fecit hunc: *quod verba Christi (hoc est corpus meum) adhuc firma stent, adversus Schwvermeros*. Sola enim ista verba ibi expendit, viditque quantum eis *Schwvermeri* derogaverint. Non licet hic summam prolixi tractatus recensere; referam igitur tantum verba Lutheri ex ejus *Epistola ad Spalatinum*: (r) Non dubito, quin vehementer commoverim *Sacramentarios*; videor enim & mihi, quamvis verbosus & modicæ eruditionis liber sit, me eos tetigisse. *Bucerus* autem & antea virulentissimas in me scripsit literas ad nostrum *Jonam*. Prorsus Sathan est *Lutherus* apud illos, quid putas facient libello isto stimulati? Sed Christus vivit & regnat, Amen. In ipso libello *Lutherus* (p. 693.) coram Deo & mundo testari se & confiteri scribit, quod cum *Sacramentariis* nunquam consenserit, nec sentiat, aut sentire velit, & innocentem esse se ab omni sanguine animarum isthoc veneno infectarum. In historia tentationis Lutheri (s) *Bugenhagenius* narrat eum constantem fidei confessionem his verbis edidisse: quando mundus gaudet mendaciis, dicent me meam doctrinam in hora mortis revocasse; vos ergo testes (conversus ad D. Jonam

Jonam & Pomeranum dixit) volo confessionis meæ fidei: quod bene mihi conscius sum, me sane docuisse ex verbo Dei, secundum ministerium meum, ad quod me Deus vel invitum traxit, docuisse inquam, sane, de fide, de charitate & de cruce, de Sacramentis. Immodestiam meam accusarunt multi, arguendo adversarios. Sed nonnunquam ita immodestus fui, ut nondum me pœniteat. Nullius damnum quæsi sive modestus sive immodestus, sed eorum potius salutem, etiam adversariorum meorum. Ego eram acturus & scripturus etiam de Christi S. Baptismo, contra Zvinglium & Sacramenti corruptores, sed jam videtur Deum aliud de me statuere. Inde, teste Bugenhagio, graviter & ad Deum & ad nos locutus est, contra Sacramentarios, cum lacrymis conquestus, quod jam sectæ multiplicatæ essent, non parcentes gregi & verbo Dei.

(o) Tom. II. Epist. p. 327. b. (p) ibid. p. 330. b. (q) Tom. III. Alt. p. 691--740. (r) Tom. II. Epist. 331. b. (s) ibid. p. 336. a, b.

§. CXXXVIII.

In eodem Stereomate verborum Christi, & in Epistola ad Succenset Joannem Secerium, Typographum Basil. Lutherus Martinum Bucero cor-
cerum redarguit, quod cum Postillam suam, quam vocant, Eccle-
siasticam in Tomos quatuor divisam, latine satis dextre felici-
terque reddidisset, in Tomo quarto sibi non temperaverit an-
helus ille & sui sensus propugnandi incredibili furore cupidus
spiritus, quin præfatione dira & sacrilega, tum annotationibus
virulentis suum opus crucifigeret. - Nil etiam moveri Sacramen-
tarios miratur, quod ante tres annos libro vernaculo ad Valden-
ses de adoratione Sacramenti inter alios sermones de Eucharistia
editos, abunde testatus sit, non modo quid sentiat, sed & ipsos
Significatistas confutaverit, antequam ullus cogitaret eos futu-
ros esse, idque argumentis adhuc invictis: deinde acerrimo li-
bello adversus Carolstadium &c. Permittit tamen edi Buceri
versam Postillam, quod facilis styli & dextre vertendi dono pol-
leat,

leat, & quod ea ipsa præfatione sibi testimonium perhibeat, esse se vehementem adversarium sectæ Sacramentariæ, cum non sit levicula illa dissentiuncula, ut Bucerus putet.

Tom. III. Alt. p. 739. a. Tom. II. Epist. p. 349. seq. Conf. Seckend. p. 82.

§. CXXXIX.

*Transfert
Biblia & e-
narrat Je-
saïam, Za-
char. Gene-
nesin.*

Nihil magis autem optavit *Lutherus* inter tentationes & disputationes, quam ut redeat (t) ad labores Ecclesiæ profuturos, nempe ad interpretationes Scripturarum & Bibliorum translationes, quemadmodum *Bugenhagius* de eo testatus est. In Epist. ad *Lincum* *Lutherus* (u) ipse significavit, se accingi ad Prophetas vernacula extrudendos, & legere velle *Jesaiam*, ne otiosus sit. Enarrare igitur breviter hunc Prophetam cœpit hoc anno 1527. quæ Enarrationes breves exceptæ & ex lectionibus ejus collectæ, aliquoties editæ & accessione non contemnenda auctæ relatæ sunt in Tomum III. Jen. Lat. ad an. 1534. *Zachariam* (x) quoque in lucem moliri se scripserat Calendis Januar. ad *Mich. Stifelium*, & 4. Febr. ad *Joh. Langum*. In *Genesin* præterea sermones habuit, (y) qui *Wittenbergæ* & *Norimbergæ* prodierunt Germanice, & Latine *Hagenoæ* hoc titulo: In *Genesin* *Mosi* librum sanctissimum, D. M. *Lutheri* Declamationes. Præterea index, paucis totius opusculi summam continens. Ibidem *Hagenoæ* exscripti typis sunt *Martini Lutheri sermo* elegantissimus *super Sacramento corporis & sanguinis Christi*, in quo responderetur obiter & ejusdem calumniatoribus. Item, quatenus *Moses* à Christianis accipi debeat. *Sermo* M. *Lutheri*, cum pro concione legeret *Exodum*, dictus in Cap. XIX. & XX. Epistola ejusd. adversus *Bucerum*, *Sacramentarium* errorem novum refellens. *Oratio Joh. Bugenhagii Pom.* quod ipsius non sit opinio illa de *Eucharistia*, quæ in *Psalterio* sub nomine ejus Germanice translato legitur. Refertur etiam inter scripta *Lutheri* hujus anni *sermo*, doctus sane & pius, in dictum *Jeremia* XXIII. 5. 6. 7. 8. (z) qui tamen superiori anno habitus esse videtur

tur

tur *Seckendorffio*, præclare in eo commentatur de persona, officio & beneficiis Christi, item de statu regni & Ecclesiæ. Item sermo Dom. V. P. Epiph. (a) super Matth. XI. 25. seqq. & super Pl. LXVIII. 19. & Ephes. IV. 9. ff. in festo Ascens. Christi.

(t) *Tom. II. Epist. p. 342. a.* (u) *ibid. p. 332. a.* (x) *ibid. pag. 321. b. & 328. b.* (y) *Tom. IV. Alt. p. 1 -- 275.* (z) *Tom. III. Alt. p. 795 -- 806.* (a) *Tom. III. Alt. p. 679. ff. & p. 749.*

§. CXL.

Sub initium etiam anni prodiit libellus de milite Christiano, in quo *Assæ*, sive *Ascanio Crammio*, Equiti ex regione Brunsvicensi, responderet ad quæstionem ab ipso aliisque tum propositam, cum Elector Wittenbergam venisset; *an milites in beato statu esse possint?* (*Ob Kriegs- Leute in seligem Stande seyn können*) prout promiserat. In præfatione generatim ait, conscientiam bonam bene, malam autem male militare, & impiis, temerariis & audacibus perinde esse, sive vincant, sive vincantur, & propter eos nullam dari victoriam, cum sint cortex, non nucleus exercitus. Se in eorum gratiam scribere, qui institui cupiant, quomodo ita militare queant, ne gratiam Dei & vitam æternam amittant. In ipsa tractatione 1. discrimen facit *inter officium & personam*, sive opus & operantem; cum officium aut opus in se bonum esse queat, licet malum fiat, si persona mala sit, aut illud male adhibeatur. 2. Disertis verbis testatur, quod hic non loquatur de justitia fidei, quæ coram Deo valet, sed de externa justitia, quæ in officiis & operibus consistat, sive, an Christiana fides, per quam coram Deo justificamur, permittat militare & hostes trucidare? Ubi 3. hoc affirmat & supponit ex Rom. XIII. 4. opusque Christianum & charitatis esse dicit, respectu defensionis justorum & ultionis malorum: nec obstare, quod impii illo munere abutantur, & sine necessitate bella moveant gerantve. 4. *Ἐπιεικῶς* omnia hic moderari debere. 3. Contra Magistratum non licere belligerare

*Libellum
edit de Q.
an miles in
statu beato
esse queat.*

probat, etiam si tyranni sint, adeoque tyrannicidia ethnicis frequentata improbat. 6. Addit cautelas & restrictiones non paucas, quod nempe non liceat, nisi in causa justa & probabili, non offendendi aut rapiendi, sed defendendi causa; nec ex ferocia, aut ambitione. 7. Ostendit, quo animo pii milites esse & quas preces ad Deum fundere debeant.

Tom. III. Alt. pag. 663. - 679.

§. CXLI.

*Præfationes
Lutheri,*

*Judicium de
Lichtenberg-
tenbergeri,
prognosticis.*

Præfationes præterea noster edit non tantum in novam editionem Postillæ suæ à *M. Stephano Rothio* studiose collectam & procuratam, sed etiam in *Jo. Brentii* Commentar. in Ecclesiasten, & *Justi Menii*, tunc Erfurtensis Ecclesiastæ, librum contra *D. Conradum Klingium*, Franciscanum, qua omnes pios Christianos Erfurti monet amice, ut falsas doctrinas caveant, & veros Doctores foveant inque pretio habeant. Item in *Johannes Lichtenberg-tenbergeri*, Astronomi, prædictiones, ex quo libro communis fama orta, Clero magnam afflictionem & Ecclesiæ mutationem impendere, ac postea meliora fata & tempora ventura: hanc prædictionem impletam Pontificii putabant per nuperum bellum rusticorum, & Lutheri reformationem. Hac de causa commotum se scribit, ut *Lichtenberg-tenbergeri* prognostica denuo cum præfatione ederet, in qua judicium de iis ferret. Sic autem judicat, vaticiniis vel à Spiritu S. vel diabolo profectis ea annumerari haud posse, sed arti Astrologicæ, apud Chaldaeos, Græcos & Romanos decantatæ, cui non subsit Ecclesia; quemadmodum etiam autor non aliter loquatur de Ecclesia, quam ut externe spectatur, & consistit in ceremoniis externis, bonis &c. Hac occasione differit de origine & vanitate Astronomiæ, & quæ fiat, ut Deus per Angelos mirabilia agat, quæ nos non capimus, portenta quoque & signa è cælo edat, impiis præcipue metuenda, non piis, Jer. X. 2. ut illi excitari se sinant ad corrigenda vitia, cum recte monentes non ferant. Fundamentum quidem
Astro-

Astronomiæ certum esse, asserit, sed artem incertam dicit, id est, signa in cælo & terra non fallere, cum sint Dei & Angelorum opera, moneant & minentur sceleratis ac etiam portentant mala, sed artem inde conficere, & astris includere, frustra esse. Donare itaque se *Lichtenbergerum* ejusque similes, Magistratibus & provinciis, ut sciant, ad eos prædictiones spectare; nec securos esse debere Clericos, ac si omnibus periculis afflictionibusque ab autore prænunciatis prorsus sint defuncti; cum enim impiam doctrinam & vitam non correxerint, sed etiam augeant & in pejus proficiant, ipse Lutherus futurum prædicit, ut gaudium ipsorum evanescat, ac experiantur reipsa, Lutherum longe melius tristes casus prædixisse, quam vel *Lichtenbergerus*, vel propriæ eorum cogitationes prædixerint.

Tom. III. Alt. pag. 756. a, b. pag. 777. seqq.

§. CXLII.

De *Epistolis* Lutheri nihil attinet seorsim referre, cum plerumque indicaverimus. Duo restant scripta, quæ præteriri non debent. Prius hunc titulum præfert: *Brevis institutio D. M. Lutheri de utraque specie Sacramenti à Christo instituta*, quam Noster hac occasione edidit, quando ad Halenses de *Wincklero* retulit, quod eam ob causam præcipue misere trucidatus sit, quia utramque speciem Sacramenti docuerit & porrigere voluerit. Lutherus igitur fundamenta pro utraque specie ex verbis institutionis, eorundemque repetitione 1. Cor. XI. 29. ff. adducit, & ab exceptionibus adversariorum, ac si Christus de solis Sacerdotibus loquatur, & consuetudo recepta sit communio sub una, vindicat. Immo ex ipso *jure Canonico* probat, consuetudinem apertæ veritati cedere, illamque huic à nemine præferri debere, quia Christus Joh. XIV. 6. se veritatem dicat, non consuetudinem. Et, quod amplius est, confirmare ostendit hoc ipsum jus utramque speciem, & damnare communionem sub una, de *Conf. dis. 2. Comperimus; item ibid. c. Quid sit; c. A quibus-*

De utraque specie institutionis brevis.

quibus-

quibusdam, c. Si non &c. Posterius scriptum prodiit sub hoc titulo: *Responsum & instructio D. M. Lutheri ad Questionem: an Evangelium pure Evangelium pure predicari queat, licet utraque species Sacramentorum doceri queat, si ex metu tyrannorum omittatur?* In quo 1. asserit præcipuas partes religionis tenendas esse, quod scilicet omnes homines sint coram Deo peccatores, ac bonis suis operibus gratiam apud Deum mereri nequeant, sed eam solum per Jesum Christum consequantur, Rom. III. 23. seqq. XI. 6. Gal. II. 21. Johan. I. 16. Actor. XV. 16. 11. Hanc doctrinam præcepisse Christum, ut in publicis conventibus sonet, & duo Sacramenta instituisse, Baptismum & S. Coenam, quibus non tantum ejusmodi doctrina, fides & gratia accipiatur & quotidie augeatur; sed etiam publica confessio edatur, coram mundo, quis sit Christianus, vel non, & an talem doctrinam libere & intrepide confiteri velit, ad Dei gloriam & proximi exemplum salutare; quemadmodum Christus innuat verbis: *hoc facite in mei commemorationem.* Et Paulus explicet 1. Cor. XI. 26. Hinc sequi ait, omnes ordinationes Papæ & Clericorum esse damnatas, & nullum statum monachalem aut vota coram Deo valere, cum iis promereri velint gratiam Dei. 2. Hanc ipsam doctrinam ore & opere confitendam esse, ut dicitur Matth. X. 32. Marc. VIII. 38. Luc. XII. 8. 9. Rom. X. 9. 10. 2. Tim. II. 8. & Johannem reprehendere primores, Joh. XII. 42. scilicet quod libenter quidem in Christum credere voluerint, eum tamen non confiteri propter Phariseos, quoniam dilexerint gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Hinc liquere, quod nec honoris nec favoris gratia potestatis alicujus, vel amicorum, verbum Dei abnegare liceat, sed necesse omnino sit illud confiteri, ubi tempus & casus postulat, nisi quis æternum perire velit. Hæc dicta mox applicat ad Sacramentum, asseritque, eum, qui certus sit ex verbo Dei, utramque speciem esse à Christo institutam & accipiendam, ore & opere id confiteri, nec deterreri debere Magistratus metu.

Chri-

Christianam enim vitam non esse Priscillianam, quæ secta olim damnata sit.

Tom. III. Alt. pag. 743. seq. & 770. seq.

§. CXLIII.

Annus 1528. tristem faciem præ se ferebat, quando Nobilis *An. 1528.* quidam, *Otto à Pack*, Legum Doctor, & Consiliarius vel Vice-*Confederatio Pontificiorum contra Saxo-* Cancellarius Georgii Saxon. Ducis, Hassiæ Landgravio, ad quem *nem & Hefsum.* sæpe à Hero suo missus erat, sub magna fidei & secreti protestatione aperuit, foedus contra ipsum & Electorem Sax. iniisse Ferdinandum Regem, Moguntinum & Brandenburgicum, Electores, Georgium Saxon. Guilielmum & Ludovicum, Baviaræ Duces, Salisburgensem, Bambergensem, & Würzburgensem, Episcopos, cujus hæc sint capita, ut ante omnia *Ferdinando* suppetiæ ferrentur adversus Johannem Wayvvodam, Hungariæ regnum occupantem: dein junctis viribus, & aliis quoque in societatem accitis, Electorales Sax. & Hassiacas ditiones, nisi Lutherus traderetur, & pristinus Ecclesiæ status restitueretur, invaderent. Fidei faciendæ causa Paccius Landgravio confederationis exemplum exhibuit, archetypum quoq; pollicitus, si quatuor millia florenorum in eam rem impenderentur. Quod ubi Vinarix Electori ejusque Filio exposuit Landgravius, ille permoveri se passus est, ut societatem cum Landgravio adversus confederatos istos iniret, in hunc tenorem: *cum Deus subditis suis Evangelica prædicationis gratiam concesserit, committere se nequaquam posse, ut hic thesaurus pessimo adversariorum consilio eriperetur, sed statuisse, illum cum periculo corporis, dignitatis, provinciarum, opum & omnium rerum tueri.* Conveniunt itaque de exercitu conducendo & deligendo, consultantque de adsciscendis sociis, & simul scribunt ad eos, qui foedus pepigisse dicebantur; hi tamen omnes, pro se quisque separatim sese purgant, evulgatis literis, & figmentum esse, nec doceri posse confirmant. Cumque Paccius archetypum exhibere non poterat,

rat, ut promiserat, Landgravius paulo cunctantius agere cœpit, præsertim, cum mitiora consilia Electori suggestissent *Lutherus & Melancthon*: quorum summam retulimus supra §. CXXII. pag. 223. seq. Intercessione demum Palatini & Trevirensis discessum fuit ab armis, ea lege, ut in belli sumtum aureorum milia centum Episcopi Landgravio dependerent, Moguntinus quidem XL. Würceburgicus totidem, & Bambergicus vicena. Lutherus non plane confictum illud Pontificiorum contra Lutheranos fœdus, diversis in Epistolis aperte palamque significavit, quemadmodum *Seckendorfius* loca indicavit, qui otia nobis, quoad cætera quoque hîc fecit.

Tom. III. Alt. pag. 520. seqq. Sleid. L. VI. p. 164. f. Leuchter, pag. 20. Seckendorf. pag. 94. seqq.

§. CXLIV.

*Evangelii
cursus apud
Venetos,
Brunsvigi,
Hamburg.
&c.*

Interea, utcunque se res habeat cum isthoc fœdere, procurius fuit sane haud parum cœptæ reformationi, & liberius poterant alii amplecti doctrinam Evangelicam, nullam metuentes Pontificiorum vim & oppressionem. Unde *Lutherus* lætus audiit ex *Gabriele Didymo*, Pastore Torgensi, (b) de *Venetis*, quod verbum Dei receperint, eidemque rursus nunciavit, quod & *Brunsvigum* verbum receperit, scripseritque Senatus cum plebe, *Pomeranum* postulans, qui etiam eo profectus dimissusque sit, Christo in Evangelio ejus ibi aliquamdiu serviturus. *Hamburgenses* (c) quoque exemplo Brunsvicensium Evangelion receperunt, & *Pomeranum* vocarunt: itidem & *Goslaria*, accito *Amsdorfio*: ac eadem spes erat de *Lubeca*, quia multi cives favebant, & *Oldesloam* magno numero excurrerant, Senatus etiam remissius sæviebat, minusque resistebat, quam ante; ceu Noster ad *Wencesl. Lincum* scripsit.

(b) *Tom. II. Epist. p. 371. b. 376. b. Tom. IV. Alt. p. 462. b.* (c) *Tom. II. Epist. p. 383. b.*

§. CXLV.

§. CXLV.

Diepholtensis insuper Comes in *Westphalia* Evangelii doctrinam in suas ditiones introduxit. Nec in superiori Germania defuerunt incrementa. Nam in *Franconia* Georgius Marchio, post obitum fratris Casimiri, desiderii ordinum provinciae magno cum pietatis affectu propositis, ut praedicationem verbi divini seu Evangelii ex Vet. & N. Test. nec praeterea quidquam aliud doceri permetteret, annuit, & cum Norimbergensibus de XVII. Reformationis articulis convenit, eosque Electori Saxon. & Hassiae Landgravio misit, quos Lutherus & Wittenbergenses Theologi approbarunt. Visitationem inde, in Marchionis & Norimbergensium ditionibus secutam, vehementer oppugnavit *Episcopus Bambergensis*, sed nullo effectu. Responsum quippe à Senatu Norimbergensi fuit, nihil ejus juribus reformatione illa decessurum esse. Marchio quoque hoc facto magnam se apud *Ferdinandum* Regem, cui charissimus erat, invidiam incurrere sentiens, prolixam ad illum Epistolam apologeticam dedit, qua asseruit, se quicquid suscepisset, ex mandato Dei, qui Magistratibus curam subditorum non modo quoad corpus, sed etiam quoad animam, injungat, fecisse, cum Episcopi in corrigendis doctrinae & morum defectibus negligentes hucusque fuerint, & in se hunc laborem devolverint. Secutum autem se unicam & certissimam normam, verbum Dei & ipsum Christum, tum etiam decretum nuperum Spirense, nihilque statuisse, de quo non coram Deo & Caesare omnibusque Imperii Ordinibus rationem reddere queat, & jam foederi Suevico suam excusationem proposuisse. Lata haec Luthero acciderunt, quam laetitiam testatus est literis ad *Lincum*, optavitque, ut Marchio *Urbanum Rhegium*, qui resipuerat, & contra hostes Sacramentarios strenue cum orthodoxis certaverat, vocaret.

Seckendorf. L. II. p. 121. Tom. II. Epist. Luth. p. 381. a, b.

§. CXLVI.

*Montisbel-
gardi, & in
Italia.*

In Comitatu Montisbelgardensi, in Burgundiæ finibus, sed Germanici juris, sub Duce Würtembergico, Evangelium libere prædicari cœpit. Etiam in Italia, Renata, Ludovici XII. Galliarum Regis filia, Herculi, Ferrariæ Duci nupta, Evangelicæ doctrinæ aures præbuit, cui in aula favebant *M. Antonius Flaminus, Marcellus Palingenius, & alii*; sed successus defuit.

Seckendorf. pag. 122.

§. CXLVII.

*Impedimen-
ta objecta à
Ferdinando
R.*

Impedimenta tamen juxta objicere Satanas non omisit, per Pontificios, Sacramentarios & Anabaptistas. De Regis Ferdinandi vel ejus potius Satrapatum in Bohemia & Silesia rigore & turbine queritur *Lutherus*, in Epistola ad *Job. Hessum*, eumque rogat, ut pro omnibus piis ab Ecclesia sua orari jubeat. Sathan enim, inquit, junctis viribus & copiis suis omnibus nos persequitur; quare & nos necesse est jungere manus & corda, cum ferventi oratione, ut Dominus conterat Sathanam sub pedibus nostris.

Tom. II. Epist. pag. 389. b.

§. CXLVIII.

*Elect. Joa-
chimo*

Magnus etiam *Joachimi Electoris Brandeb.* fervor eo tempore adversus doctrinam Evangelicam erat, de quo *Lutherus* ad *Georg. Spalat.* his verbis per Epistolam est conquestus: *Marchio equitibus 40. Jütterboggi*, (Magdeburgensis licet ditionis, procul dubio instinctu fratris Alberti, Archiepiscopi) concionatores extra urbem dolo vocatos, abstulit & cepit, unde ingens eo loco plebis contra Magistratum & periculosus tumultus est, denique coacti Senatores ire & repetere Concionatores. Unus eorum etiam autoritate Episcopi Magdeb. illic & quiete & bene docuit, *Thomas Schneiderwein.*

Tom. II. Epist. pag. 375. b.

§. CXLIX.

§. CXLIX.

Georgius Saxonix Dux quoque non cessabat à pœnis eorum, Duce Geor-
 quos Lutherum sequi deprehendebat. Inter eos erant Nobiles ^{gio, ob consti-}
 ex splendida *Einsideliorum* familia, prædiorum insignium in ^{lia à Luthe-}
Georgii provinciis Domini, quos multare volebat Dux, vel fal- ^{r N bili-}
 tem, gratiæ loco, ad divendenda prædia adigere. Hi *Lutherum* ^{bus data,}
 & *Pomeranum* consuluerunt, quomodo se gerere & quid respon-
 dere Duci debeant? Non defuerunt iis Theologi, sed ad iteratas
 quinquies literatas petitorias toties responderunt, in hanc ma-
 xime sententiam: ne quid contra religionem & conscientiam
 faciant, aut eo adigi se sinant, ut pastores ejiciant, vel abrogatos
 cultus veteres supersticiosos recipiant; sed Electoris opem &
 tutelam implorent, & Ducem humiliter orent, ne conscientiam
 cogat, cum religio cogi nolit. Si diserte sententiam dicere ju-
 beantur de Lutheri doctrina, respondere eos posse, se perman-
 suros in S. Evangelio; & si Dux hoc responso accepto acquiesce-
 re nolit, r. gerendum ad quæstionem, tam difficiliorem prolixio-
 remq; esse, quam ut ex tempore facere satis ei queant, quia varia
 doceat *Lutherus*, interque ea etiam nonnulla, quæ ipse Dux
 probet, ut de Sacramento contra Schvvermeros, de Magistra-
 tu &c. & quod *Lutherus* ipse non velit esse Lutheranus (*Luther*
will nicht Lutherisch seyn) nisi quatenus Scripturam S. pure do-
 ceat. Si autem his omnibus nihil efficere possint, suadet, ut po-
 tius vim Tyranni sui patiantur, illumque sinant, quæ præcepe-
 rat, exequi, expellendo pastorem Evangelicum; ipsi vero cau-
 sam in litem forensam deducant, temporis lucrando gratia.
 Præter consilia hæc salubria *Lutherus* etiam formulas literarum
 conceperat & præscripserat, quas Nobiles ad Ducem mitte-
 bant; in omnibus tamen non parebant, sed ex voluntate *Geor-*
gii & suavis amicorum, expungebant verba, quibus profiteban-
 tur, se ita gesturos, ut sperent, Deo placiturum & animarum sua-
 rum saluti utile futurum, & in eorum locum reponebant, factu-

ros se esse, quicquid Duci placuerit. In Epistola ad Spalatinum dolet vehementer hoc factum, nec dubitandum censet, quin tyrannus intelligat & credat Nobiles in totum revocasse & negasse, quicquid hætenus crediderint. Et habet, inquit, Dux Georgius, quod voluit. Huc pertrahit illos amicorum illa sapientia & fideles consilarii. Ego sane ignoro, quid nunc consulam. Res est pejore loco, quam ante fuit. Læsa & irretita est conscientia eorum, quod valde doleo; quia tuta fuisset, si recta & libere tyranno statim ab initio restitissent, quam dum media quasi via incedere volentes, utrinque gratiam Dei & hominum tenere tentant, utrumque simul amittunt. Et necesse est reduci causam, ut tyrannus intelligat resecta & aperta ista amphibologia responsionis, nobiles non consentire ejus voluntati, pro negando vel revocando verbo Christi. Quod quomodo faciant, nescio, si non in jus cum eo vadant, vel venditis substantiis testentur, se non voluisse, quod tyrannus ex responsione eorum eos credit velle. Luditur enim quasi vafricia sensus ejus, dum aliud audit, & aliud intendunt, quod est contra Christianam & simplicitatem & veritatem.

Tom. IV. Alt. p. 369 -- 374. Tom. II. Epist. p. 370. a, b.

§. CL.

ob Ursulam
consobri-
nam è mo-
nasterio e-
gressam & à
Luthero re-
ceptam.

Accendit magis Georgii furorem, quod eo tempore ex Monasterio Freibergensi excessit & evasit Ursula, Monasterbergensis Ducis filia, Georgii consobrina, cum duabus virginibus, quæ ad Lutherum confugit & domestica apud eum egit. Quod simulac rescivit Georgius, Electorem fatigavit de reddendis virginibus. At Ursula literis ad Georgium ejusque fratrem Henricum datis, & apologia typis vulgata, rationem facti reddidit. Lutherus hæc omnia edidit cum præfatione, in qua, omissis, quæ alibi pro libertate exeundi ex monasteriis dixerat, hoc ad gloriam Dei commemorat, quod per Evangelii restituti efficaciam non tantum plebeia sed & illustres personæ convertantur, frustra

stra renitente diabolo, inter quas refert *Elisabetham*, Daniæ Reginam, Cæsaris sororem, quæ Evangelium libere confessa & multa ideo in exilio perpeffa fuerit. Dein non sine miraculo contigisse observat, quod *Ursula* ista ex monasterio diligentissime custodito evaserit, licet nemo ad id attendat. Ipsa virgo illustriss. in Epistola ad agnatos conscientia impulsam allegat & deprecatur, quod insciis illis exitum quaesiverit, cum sperare non potuerit, se bona cum eorum venia dimissum iri. In *apologia* vero rationes sat graves adducit, cur claustrum reliquerit, nempe angores conscientia, quod contra foedus in Baptismo cum Deo initum, novis voti monastici vinculis se obstrinxisset, & præter meritum Christi, per sua quoque opera salutem affectasset. Queritur insuper de libris ineptis & impiis, v.g. *Pomerio de Sanctis*, *Discipulo de tempore*, *Mariali*, *Bernhardino de Senis*, *Stellario*, *Wilhelmo Parisiensi*, *Rosero*, *Passionali* &c. ad quorum lectionem coacta fuerit, à Scripturæ S. vero studio repulsa, cum tamen verbo Dei vivat homo: de invocatione Sanctorum imperata & in Deum injuriosa: de operibus ludicris & vanis, à Deo non præceptis, quibus tempus triverint in Monasterio: de horis Canonicis, nocturnis sacris, jejniis &c. quæ per corporis imbecillitatem sustinere non potuerint. Subjicit ad extremum causam proluxæ apologia, & Deum testem compellat, quod eorum nihil, quæ scripserit, confictum sit, aut cuiuspiam suggestionem prolatum.

Tom. IV. Alt. pag. 415 -- 427.

§. CLI.

Omniū vero maxime irritavit *Georgium* Ducem, quod *est pactum Lutherus* de foedere Principum adversus Electorem Saxon. & contra *Lutheranos* *Hessum*, in præfatione Tractatus contra iteratum edictum Episcopi Misnensis scripsit, eos *foederis proditorii pudere debere*, & *initium ei-* in Epistola ad *Lincum* d. XIV. Jun. gravioribus verbis repetit: *que impi-* *tatum.* *foedus istud Principum* impiorum, quod ipsi negant, vides quan-

tos

tos motus moverit, sed ego *Ducis Georgii frigidissimam excusationem fere pro confessione interpretor*. Sed negent, excusent, fingant, ego sciens scio, non esse fœdus istud merum nihil aut chimaram, licet monstrum sit monstruosum satis: deinde orbis novit illos, animo, facto, edicto, studio pertinacissimo, hactenus talia publice tentasse & fecisse, & adhuc facere. Extinctum enim volunt Evangelium, quod negare nemo potest. Deus confundet istum *morotaton moron* (stultorum stultissimum) qui sicut *Moab* plus audet, quam possit, & non secundum vires suas superbit, sicut semper fecit, orabimus contra istos *homicidas* &c. Hatum literarum exemplum *Georgius* nactus, à *Luthero* postulat, ut clare edisserat, an eas scripserit; sed *Lutherus* respondit, patientiam suam satis tentatam esse præfatione illa *Ducis* in N. Test. Emseri, petitque humilime, ut literas illas apud alios potius, quibus mandare aliquid majori jure posset, quam se, quærat. *Georgius* autem Epistolam à *Linco* nactus, apud Electorem de insolenti *Lutheri* responso questus est, hicque apud Electorem se purgavit. *Georgius* autem aliam prolixiorum apologiam cum invectiva contra *Lutherum* sub anni finem emisit, quam *Lutherus* amici opera furtim nactus, fecit, ut sua refutatio una cum *Ducis* apologia prodierit, ut *Linco* suo significavit, addiditque: *forte furia rumpetur, & morietur miserrimus moros*.

Tom. II. Epist. pag. 386. b. 387. a. pag. 389. b. 390. a. pag. 391. b. 392. a.
Tom. IV. Alt. p. 457 -- 462.

§. CLII.

Lutherus
refutat
Episc. Misn.
de communione sub
una.

Lutherus interea quoque aliquot libellos & Epistolas contra Pontificios edidit. Primum locum tribuo Tractatui, quem sub forma Epistolæ ad amicum *adversus Johannem, Episcop. Misnensem de communione sub utraque specie* promulgavit. In cujus præfatione scribit, se constituisse posthac nil contra Pontificios edere, sed tantum ad solatium & confirmationem suorum, i. quod à pri-

à primo die in præsentem impudentissimi mendaces sint, & contra conscientiam propriam talia de se scribant; quæ conficta esse norint, nominatim D. Faber & D. Rübenlöffel/ (id est Cochläus) & Brandius, Dominicanus Helvetius, cui sociorum Bernæ combustorum scelera objicit. Eos quæstus tantum honorisque causa in se insurgere, & in Regum, Principum & Episcoporum aulis eminere opibus & dignitatibus, quibus, nisi se infestassent, vix siliquæ cum suis vorandæ fuissent. Deum igitur quendam se factum esse, qui ex mendicis Dominos, ex asinis Doctores, ex nebulonibus sanctos faciat. Hos omnes se contemnere scribit, cum manifesta mendacia responsum haut mereantur. 2. Scriptis suis hæcenus nimis multos & crassos (starche) Lutheranos se fecisse ait, ut cessare jam possit, quia alioqui Papistæ nimis Lutherani fierent, (gar zu Lutherisch) cum jam magis sint Lutherani, ac ipse, & Evangelio magis ad comoda sua utantur, quam nos Evangelici. Canonicos enim & Monachos probe didicisse omittere horas Canonicas, nullaque Pontificis dispensatione indigere, nihil contra orare, aut boni quicquam facere. Cumque Pontifex à Cæsare jam captus sit, Ecclesiam nullum habere caput: ac si tale quid olim contigisset, insurrecturos Clericos contra Imperatorem, & neminem Missam aut sacrum officium celebraturum fuisse, cum capite ablato omnia irrita & inefficacia habita fuerint. Nunc vero misere licet lapsio & capto Papa, Missas celebrari & cuncta officia peragi, ideo, quia Lutherus, ringentibus illis, Papa sit, à quo didicerint tantum suspicere Papam, quantum placeat, und sie hiers in durchaus Lutherisch / sehen ihrem Herren und Haupt bey/ wie die Schelmen/ noch sind sie wider den Luther. Inprimis iratos Principes ac Nobiles illius partis eatenus optimos Lutheranos esse, ut è Monasteriis dona rapiant, eorum thesauros sibi tradi jubent, jura Pontificis invadant, Clericis tributa imponant &c. Posthæc ad confirmationem dogmatis de comm. unione sub

utraq̄ue accedit, eamque probat ex adversariorum confessione, quod utraq̄ue species in Scriptura fundata sit, & Christiani olim ita usurpaverint, nec ostendi possit, quando communio sub una irrepserit; & si Concilium aliquod congregaretur, se eo laboraturos, ut utraq̄ue species Laicis præberetur, Clericis matrimonia indulgerentur &c. Sibi ipsis ergo Pontificios repugnare & opponi debere illis, qui unam speciem è Scriptura S. probare & affectare velint potestatem supra verbum Dei, quibus nihil profusus faveat Concilium Apostolicum, Act. XV. & Pauli dictum fulminis instar eos feriat Gal. I. 8. & cum traditionibus prosternat. Tractat deinde de *ceremoniis & adiaphoris*, & fraudem adversariorum detegit, quod sub illis omnia præcipere eoque referre velint communionem sub una, & cœlibatum Sacerdotum. Hinc prohibitionem sacri calicis oppugnat, & propter abusus bonum & legitimum usum minime tollendum esse docet. Mox acriter *Concomitantia* dogma rejicit, & mandatum Christi omnibus argutis præferendum esse, omnibusque objectionibus elidendis sufficere dicit.

Tom. III. Alt. pag. 893--913. Seckendorf. p. 114. seq.

§. CLIII.

*Præfationē
ad libellum
de nequitia
mendican-
tium facit.*

Libellum etiam denuo edidit de *nequitia mendicantium* in lingua, quæ *Kotwelsche* dicitur, eique præfationem præmisit breviusculam, in qua memorat, autorem libelli seipsum nominasse *Expertum in truffis*, visumque sibi esse, eum vulgare, quo inde perspiciatur, quantopere diabolus in mundo regnet; observatu quippe dignam esse glossam & admonitionem auctoris, ut Principes & Magistratus mendicos probe examinent, & sciant, nisi egenis vicinis (*den Hauff Armen*) erogent & suppeditent necessaria, quod ex instinctu diaboli & iusto Dei judicio, decuplo magis dare cogantur mendicantibus nequissimis, quemadmodum factum hucusque fuerit. Suadet ergo, ut quælibet urbs & pagus proprios suos pauperes norit, & catalogo inscriptos habeat, extraneos autem non toleret, si fide digno testimonio non sint

fint

sint instructi. Hac ratione facile nequitiam impostorum mendicantium coerceri posse. Hunc libellum A. 1580. Lipsiæ denuo edidit D. Nicol. Selneccerus cum eadem Lutheri præfatiuncula, adjectis suis de Lazaro & divite concionibus.

Tom. IV. Alt. pag. 452. b.

§. CLIII.

Repertum est monstrum aliquod informe & horrendum, ^{judicium de} caput habens asinum, manum dextram pedem elephanti, ^{monstro,} sinistram hominis, pedem dextrum bovis, & ^{quod Papa-} sinistram gryphis, denique ^{sellum vo-} caput draconis ex podice prodiens, quod ^{cat.} Lutherus de Papa expofuit, & *Papasellum* vocavit, quo nomine (*Pabst. Esel*) frequentissime utitur passim in scriptis suis, ubi de Papa loquitur. Annus quidem M. D. XXV. subscriptus legitur, sed inter scripta Anni XXVIII. extat. Lutherus in brevi sed acri judicio dicit, totum mundum merito obstupescere hoc monstrum, & ex eo animadvertere debere, quid Deus eo innuere velit; nec dubitat, quin magna Dei ira Papatui immineat, quæ tandem in eum velut in Sodomam securam incidat. Pontificios enim non plus credere Evangelio, quam asinum, Evangelium religionemque Christianam ludibrio habere, & talia portenta nil curare, ut tandem penitentiam agerent; immo scientes Deo ejusque verbo malitiose resistere, & ei adhærentes persequi, damnare ac trucidare. Sub initium reformationis nunquam se putasse futurum, ut verbum Dei satis cognitum, pro hæresi habeatur & condemnetur, sicut re ipsa factum esse perspiciat: hoc significari per caput draconis è podice Papasini prodiens. Id tamen ominosum quoque esse & solatio cedere, quod monstrum mortuum sit inventum, & Papasinum quoque mortuum esse, nec regimen suum stabilire posse, quemadmodum sperent ejus assectæ, licet diabolus potentior esset, quam revera est. Credere quippe nos in Deum omnipotentem, & eum, qui in nobis est, esse majorem illo, qui in mundo est.

Tom. III. Alt. p. 913. 914.

Kk 2

§. CLV.

*Præfat. in
libellum
Klingenbeilii
de conjugio Clericorum.*

Huc etiam pertinet *præfatio* Lutheri in libellum *Joh. Klingenbeil*, Licent. de *Conjugio Clericorum*, in qua mentionem facit Reformationis à se inceptæ, eaque id se effecisse D. G. scribit, apud Papistas, ut cogerentur, relicti Aristotele, Summistis, Sententiariis & Sophistis, legere utiles libros, imprimis Scripturam S. & indulgentiæ seductrices una cum peregrinationibus sacris minuerentur: apud nos autem, ut pueri puellæque plus de doctrina Christiana intelligant, quam olim omnes Academiae & Doctores sciverint. Populum Pontificium interea rudem esse, ut Papasini sint & maneat, cum Scripturam, licet eam habeant & legere incipiant, non intelligant. Invehitur mox in *Cochlaum*, *Brandium*, *Wimpinam*, & alios, qui latent instar canum, grunniant ut porci, quando ex Scriptura probare conentur superstitiosa & impia sua dogmata de Missa, de votis Monasticis, de communione sub una, &c. quanquam nemo eorum ad tot tantosque libellos ab se editos de ejusmodi argumentis, directe responderit. Tandem placuisse sibi ait *Klingenbeilii* libellum, quo Conjugium Sacerdotum adstruat ex Scriptura, & ex Jure Pontificio Patrumque dictis confirmet. Negari enim non posse, quod Apostoli & veteres Episcopi fuerint uxorati, & multi Canones firment ejusmodi matrimonium. Quem in finem ipse ex Jur. Canon. Dist. 27. C. quidam, *Augustini* dictum adducit, quo refellit D. Pater quosdam asserentes, eos, qui post votum castitatis nubant, adulteros esse, ac contra statuit, illos gravissime peccare, qui tales separent: & sententiam *Papæ Martini* C. Diaconus, concedentis Diacono deserere officium & nubere, ex hac ratione, quod Sacramentum conjugii tam efficax sit, ut divelli matrimonium nequeat, licet votum frangatur.

Tom. IV. Alt. pag. 455. seqq.

§. CLVI.

Contra *Sacramentarios* prolixam hoc anno Lutherus *Confessio de S. Cœna* edidit, quæ magna appellari solet. Ubi i. *S. Cœna major contra Sacramentarios* occasionem & scopum scriptionis indicat, quod scilicet ipsius libellus, quem contra hostes Sacramenti vulgaverit, non exiguos fructus protulerit, cum multi pii, qui Sacramentorum vaniloquiis turbati antea fuerint, per eum sedatos sibi que scrupulos exemptos esse fateantur; Satanas autem ictum sentiens furiosior redditus sit, & in calumnias eruperit contra se virulentas, *Zuinglio* imprimis interprete. Ideoque statuisse se relinquere vaniloquos istos homines & finem scribendi contra eos facere, post hanc editam Confessionem, in qua 2. tria sibi proposuerit tractanda. 1. Nostros, post præviam indicationem, quam profus nihil Schvvermeri ad sua fundamenta responderint, monere: 2. dicta, quæ de S. Cœna agant, discutere & ponderare: 3. omnes articulos fidei suæ contra hanc & alias novas hæreses, confiteri, ne aliquando post obitum suum hostes gloriari possint, ac si cum iis consensisset, ut in nonnullis capitibus jam fecerint. Quia vastus nonnihil hic tractatus est, ne quidem summam ejus plenius enarrare licebit, eaque, quantum ad præsens institutum facit, ex dictis satis intelligi potest. In Libris Ecclesiæ nostræ Symbolicis, præsertim in solida declarat. Art. VII. pag. 733. seq. quædam ex hac Confess. adducuntur.

Tom. IV. Alt. pag. 812--892.

§. CLVII.

Denique & contra *Anabaptistarum* lectam pugnavit *Megalander*, quæ circa hoc tempus late serpsit, nec supplicis, quæ in regionibus Romanæ Ecclesiæ contra eos decernebantur, reprimi potuit. Unde in Epistola ad *Wencesl. Lincum* Feria 3. post Cantate data (d) censuit, eorum morientium constantiam similem esse illi, qua Augustinus celebret *Donatistas*, & Josephus Judæos in vastata Jerusalem; nec dubium esse, quia multa talia

Kk 3

sint

sint furor Satanæ, præsertim ubi sic moriantur cum blasphemia Sacramenti. Sanctos martyres cum timore & humilitate, magnaque animi erga hostes lenitate mori; illos vero quasi hostium tædio & indignatione pertinaciam suam augere, & sic mori videri. Sub initium anni *Lutherus* Epistolam tumultuarie scriptam, ut ipse in literis ad *Spalatinum* (e) ait, misit ad duos pastores in provincia quadam, Principi Pontificio subjecta, (f) qua primum queritur, quod à *Balthasare Hubmaiero* (*Hübmoser*) celebri istius sectæ antesignano, Viennæ Austr. combusto, insimulatus fuerit, ac si eandem cum illo foveret sententiam; suæ tamen conscientiæ testimonio fretum supervacaneum censuisse quidquam regerere ad libellum *Hubmaieri*, præsertim cum quid de Baptismo infantum sentiat, ex tot sermonibus publice habitis & Postill. abunde satis cerni, neque omnibus diabolis os obturari queat. Deinde Pontificiis juste usu venire ait, quod ejusmodi sectariis infestentur, quia ipsi sint Anabaptistæ, ex parte, cum multi eorum rursus baptizent illos Latine, qui Germanice baptizati fuere. Hoc tamen vehementer improbat, quod à Pontificiis adversus miseros istos homines suppliciiis sæviatur. Hinc argumenta aggreditur, quibus *Anabaptistæ* errorem suum palliabant, ac I. id refellit, quod dicunt, *se eo fortius contradicere ita Papa*, nec quicquam retinere velle ab Antichristo. Hoc fundamentum valde ruinosum esse docet; quia sic quoque tota Scriptura S. & Ministerium abnegari deberent, cum ea à Papa habeamus. Christum multos abusus Phariseorum & Scribarum deprehendisse, nihilominus tamen non omnia rejecisse, quæ docuerunt, sed contra potius Matth. XXIII. 3. præcepisse populo servare quæcunque dixerint è cathedra Moïsis. Fatendum, quod sub Papatu multa Christiana & bona sint, & ad nos pervenerint, ut vera Scriptura, verus Baptismus, verum Sacramentum altaris, articuli fidei, absolutio &c. Id solum improbandum, quod Papa non contentus iis Christianæ Ecclesiæ bonis,

nis, quæ ab Apostolis accepit, ex se diaboli instinctu multa addiderit, iisque utatur non ad ædificationem sed destructionem templi Dei, ac suas leges & ordinationes præferri voluerit Christi constitutionibus. Sic ergo pugnandum contra Pontificem, ne per ejus latus etiam veri Christiani vulnerentur, qui sub tyrannide ejus gemunt, & primariis fidei articulis adherent, rejectis aslutiis inventis & additamentis hominum. II. Fundamentum Anabaptistarum, quod nemo certus esse possit certitudine divina & infallibili, *an baptizatus sit*, quia non hominibus id dicentibus, sed Deo credi debeat, sic refellit, ut dicat, hac ratione nos de nulla re satis certos reddi posse: sufficere autem testimonium aliorum, idque valere etiam coram Deo & in conscientia. Ac ut tali fidei, ceu divinæ, inniti quis possit, tria requirit, 1. ut res, quæ creditur, justa & necessaria sit: 2. ut testes adsint fidei digni: 3. ut effectus & fructus appareat, ex quo statui possit, rem istam bonam & divinam esse. III. Objectionem ex ordine verborum Christi, *qui credit & baptizatur*, Marc. XVI. 16. petitam, ita solvit, ut dicat, Baptismum non ita fidei inniti, ut administrari non debeat, nisi manifesto de ea constet, eum ne de adultis quidem certi esse possimus, an vere credant: nec sufficiat, si se credere dicant. Recte igitur factum ab initio Christianismi, quod infantes baptizati fuerint, ac neminem bona cum conscientia probare posse, quod nulla fides adfuerit. Infantes credere posse, & credere, Matth. XIX. 14. ac ex dictis & exemplis Scripturæ Matth. XXVIII. 19. Act. II. 39. XVI. 15. 1. Corinth. I. 16. patere, licitum & tutissimum esse Pædobaptismum &c.

(d) Tom. II. Epist. p. 376. a. (e) *ibid.* pag. 367. (f) Tom. IV. Alt. pag. 374 b. -- 389.

§. CLVIII.

A Polemicis scriptis ad dogmatica & alia qualiacunque *Libellus vi-*
 progredimur. Inter ea merito primum locum occupat *Instructio sitorius.*

Visi-

à Luthero
revisus &
cum præfat.
editus.

Visitationis ad Ecclesiarum Pastores in Electoratu Saxonico, à Melancthone quidem composita, sed jussu Electoris ad Lutherum missa, & ab eo revisa, ubi opus fuit, correctæ & suppleta, adeoque approbata, & præfatione ornata. In præfatione è Scriptura S. probat, quam divinum & salutare opus sit, visitare Pastores & Christianas Ecclesias, per doctos & intelligentes viros, allegatque eam in rem exempla ex N. T. Petri, Actor. IX. 32. Pauli & Barnabæ, Actor. XV. 36. imò ipsius Christi circumventis, ex Vet. Test. Samuelis, Eliæ, & Helisæi: quæ exempla etiam sancti Episcopi olim & Patres diligentissime imitati sint; ex hoc enim opere primum natos Episcopos & Archiepiscopos, ac proprie significare Episcopum ex Græco Superintendentem aut Visitatorem, & Archiepiscopum qui constituitur super tales Superintendentes & Visitatores, propterea quod quisque Pastor Episcopus suos parochianos visitare & curare debeat, & attendere, quomodo ibi doceatur & vivatur. Hæc officia aliquamdiu fuisse in Ecclesia Christi, donec mutata sint in pompam mundanam & Dominia gloriosa. Episcopos enim Principes factos, ea alicui Præposito, Vicario aut Decano mandasse, & hos rursus, cum nihil aliud fierent, quam otiosi Domini, Officialibus, qui in Papatu vexaverint homines suis citationibus propter causas pecuniarias, & neminem visitaverint, tandemque quietem domi amantes, emiserint malignum aliquem nebulonem, & in pagis & in civitatibus circumcursitantem, qui, quæ ex malevolorum aut detrectorum ore de viris & mulieribus in tabernis inter pocula audivit, Officialibus prodiderit, unde innocentes sæpe citati & excommunicati sunt, propter debita & temporalia bona; ut ita officium hoc factum sit diaboli & Antichristi ludibrium, & jocularis ludus, horrenda & terribilis perditio animarum. Restituta igitur per D. G. Evangelii luce, & deprehensa foeda illa Ecclesiæ Christianæ confusione, restitutum quoque se cum aliis cupivisse vere Episcopale visitandi munus, ac suppliciter

citer id postulasse ab Electore *Johanne*, qui etiam petitis annue-
 rit, & quatuor egregiis viris istud negotium demandaverit,
 nempe *Planizio equiti*, *D. Schurfio*, *Haubizio*, & *Melanchthoni*,
 qui quicquid egerint, Principi scriptis consignata miserint, unde
 in suas manus fideliter collecta pervenerint, typis publicanda,
 ut omnibus constaret, nihil recantatum esse à doctrina puriore
 semel tradita; neque tamen etiam edictalia, ut mandata rigoro-
 sa sint, & novæ Papisticæ decretales, sed ut historiam, testi-
 monium & confessionem seu symbolum fidei referant, cui
 omnes pios & pacis amantes Ecclesiarum Pastores ad stipulatu-
 ros & laudabile Principis institutum probaturos confidat. Hic
libellus visitatorius à *Megalandro A. M. D. XXXVIII.* revisus,
 & in nonnullis mutatus, quæ ante necessaria erant, ut permit-
 terentur fide imbecillioribus, ceu ipse *Lutherus* in nova præfa-
 tiuncula scripsit. *D. Pomeranus* propter Ecclesias Danicas, quia
 Rex Daniæ inter cæteros libros, etiam hunc Pastoribus com-
 mendaverat, Latine transtulit, *Wittebergæ A. M. D. XXXIX.*
 rursus excusum. Capita continet *Instructio XVIII.* Cap. I. de
 Doctrina, sive de Pœnitentia & Fide. II. De decem præceptis,
 fide & bonis Operibus. III. De vera ac Christiana Oratione.
 IV. De tribulatione vel Cruce Christianorum. V. De Sacra-
 mento Baptismi. VI. De Sacramento Corporis & Sanguinis
 Domini. VII. De vera ac Christiana Pœnitentia. VIII. De ve-
 ra ac Christiana Confessione. IX. De vera ac Christiana Satis-
 factione pro peccatis. X. De Ecclesiasticis hominum constitu-
 tionibus. XI. De Matrimonio. XII. De libero Arbitrio. XIII.
 De Libertate Christiana. XIV. De Turcis. XV. De quotidiano
 Exercitio in Ecclesia. XVI. De vera ac Christiana Excommu-
 nicatione. XVII. De ordinatione Superintendentis. XVIII.
 De Scholis & tribus classibus earum. Summam Caputum ple-
 nius recensuit *Seckendorffus*.

*Tom. IV. Alt. p. 389 -- 411. Tom. VII. Alt. pag. 1 -- 22. Conf. Seckend.
 pag. 100. b. -- 106.*

§. CLIX.

*Judicium
Lutheri
I. de Pseu-
dopropheta-
rum suppli-
cio.*

Non præteriri debet hic judicium Nostri de variis quæstionibus Theologicis, à *Wencesl. Linco* ipsi propositis. I. Erat de *Pseudopropheta, an Magistratui eos occidere liceat?* Ad quam sic respondit: Ego ad judicium sanguinis tardus sum, etiam ubi meritum abundat. Tum in hâc causâ terret me exempli sequela, quam in Papistis, ac Antichristis, & in Judæis videmus, ubi cum statutum fuisset Pseudopphetas & Judæos occidi, successu temporis factum est, ut nonnisi sancti Prophetæ & innocentes occiderentur, autoritate ejus statuti, quo impii Magistratus freti, Pseudopphetas & hæreticos fecerunt quosquos voluerunt. Idem secuturum esse timeo & apud nostros, si semel uno exemplo licitum probari poterit, seductores esse occidendos, cum adhuc apud Papistas videamus hujus statuti abusu innocentem sanguinem fundi pro nocente. Quare nullo modo possum admittere, falsos Doctores occidi, satis est eos relegari, qua pœna si posteri abuti volent, mitius tamen peccabunt, & sibi tantum nocebunt.

*2. De phre-
neticis.*

II. De *Phreneticis* sic sentit, omnes Moriones & quicumque usu rationis privantur, à dæmonibus vexari vel occupari, non quod damnati sint ideo, sed quod variis modis Satan homines tentat, alios gravius, alios levius, alios brevius, alios longius. Nam quod Medici multa ejusmodi tribuunt naturalibus causis, & remediis aliquando mitigant, fit quod ignorent, quanta sit potentia & vis Dæmonum. Christus non dubitat curvam illam animum in Evangelio à Satana vincam dicere. Et Petrus Actor. X. oppressos omnes à diabolo fuisse asserit, quos Christus sanavit: ut etiam mutos, surdos, claudos Satanæ cogar intelligere malitia tales esse, denique pestes & febres, atque alios graves morbos esse dæmonum opera, non licet dubitare, cum ipsi sint, qui & tempestates, incendia, frugum & fructuum dispendia operentur. Summa, mali angeli sunt, quid mirum, si
-omnia

omnia mala faciant, & humano generi omnia noxia & pericula intentent, quatenus permittit Deus? Etiam si plurima talia herbis & aliis remediis naturalibus curari possunt, sic volente Deo & nostri miserente. Vide quid Hiob patitur à Satana, quæ omnia naturaliter fieri & curari diceret Medicus; itaque tuos phreneticos à Satana tentari credo temporaliter. Scilicet Satan non faceret phreneticos, qui corda replet fornicatione, cæde, rapina, & omnibus malis voluntatibus. Summa, propior est, quam ullus hominum credat, cum sanctissimis sit propinquissimus, atque aded ipsum Paulum colaphiset, & Christum vehat, quorsum libet, Matth. IV.

III. *Tentatis fide & spe*, hæc suggerenda suadet: 1. ut solitudinem caveant, sed semper conversentur cum aliis, de Psalmis & Scripturis confabulando. 2. Ut persuadeatur ipsis, licet sit difficillimum, has cogitationes non suas sed Sathanæ esse; ideo annitendum summo conatu, ut ad alia cor vertatur, & tales cogitationes illi relinquunt. Nam eis immorari, vel cum eis pugnare, ac velle superare, aut finem earum expectare, esse eas irritare & roborare usque ad perditionem, absque ullo remedio, cum sint tentationes Dei, licet hoc non purent tentati. 3. Ut Orationibus petant tentati, & credant sese juvari, etiam aliorum orationibus, sicut revera juvantur, si credant. 4. Ubi non cessaverit Sathan, ut ferant longanimitate, scientes, finem fore salutarem & beatum.

Tom. II. Epist. pag. 381, seqq.

§. CLX.

D. XXVIII. Julii scriptum edidit consolatorium, (g) ad De prædestinatum & divexatum cogitationibus *de prædestinatione*, prout à D. Crucigero intellexerat. In hac Epistola i. concedit tentato, quod Deus præciverit ab æterno, qui salvi futuri sint, & quod omnia opera atque cogitationes in omnibus creaturis fiant jux-

ta decretum voluntatis divinæ. 2. Hoc una quoque ponderari vult, quod hæc seria sit Dei voluntas, & mandatum ab æterno decretum, ut omnes homines salvi fiant, & sempiterno gaudio potiantur, juxta Ezech. XVIII. 23. Psal. CIII. 12. Rom. III. 22. X. 12. Vera igitur fide expellendam esse dubitationem, trepidationem & desperationem, cum ex fide sit justitia in omnes & super omnes, qui credunt. 3. Precibus autem à Deo impetrari debere certitudinem, ac pro certo habendum, dubitationes illas à diabolo suggeri, & ipsissimum diabolum esse: recta via ad Christum eundem, quem Pater audiendum præceperit, quique in compitis sonora voce, instar buccinæ, clamet Matth. XI. 28. *venite ad me omnes* (nullo excepto, quicumque sit, vel quicquid cogitet) *qui laboratis & onerati estis*, (etiam onere cogitationum blasphemarum, à diabolo ortarum) *ego reficiam vos*. Verbo igitur Dei certo & æterno, ex quo omnia in toto mundo creata sint, & quo etiamnum sustententur & conserventur, nitendum, ac eo resistendum cogitationibus & quæstionibus vanis & scrupulosis, reputandumque, Deum omnipotentem non ad perditionem sed ad salutem nos creasse, destinasse, & elegisse, juxta Ephes. I. 4. non à lege & ratiocinatione sed ab Evangelio incipiendum esse, & gratia Dei omnibus annunciata, Luc. II. 10. nec restringendam promissionem Dei gratuitam universalem, qua gratia bonis & malis, parvis, magnis, frigidis, aridis, calidis & viridibus offertur, ad illos, qui talaribus stolis induci, soli pii & sancti esse volunt. Rem similitudine illustrat, à Sole petita, quam Deus oriri facit super pios & impios, super arida & viridia, licet posterius frustraneum, cum arida arbor talis maneat, & Solis efficacia vana in ea videatur, nihilominus ex radicibus ejus interdum virides ramos provenire, nec solis splendorem impediri posse: multo minus gratiam Dei immensam arctari aut ligari posse &c. Ne vero illa gratiæ universalitas in abusum vertat, tandem concludit, cum distinctione & clare hic loquendum esse.

esse.

esse. Si, inquit, *Evangelium Dei accipis, ei inhaeres, promissionemque tibi applicas, & in hac fide ad finem usque perseveras, salveris; sin minus, in æternum damnaberis, 2. Tim. II.*

Die XXI. Octobris *Casparo Aquila*, Salfeldensis Ecclesiae Pastori, in eandem fere (h) sententiam respondit ad duas otiosas quaestiones cujusdam Ecclesiae ministri, *de arcanis Dei consiliis & operibus occultis*, hancque disputationem vocat *tentationem blasphemiae*, in qua multi perierint, & ipse non semel ad mortem usque periclitatus sit. Hinc acriter castigat curiositatem miserrimorum hominum, qui, cum necdum radios promissionis divinae per fidem comprehendere aut scintillas praecceptorum Dei per opera capere possint, impuri & infirmi rapiantur ad comprehendendam majestatem solaris lucis, imo incomprehensibilis lucis mirabilium Dei, & talpinis oculis irruant in illam majestatem, quae nec verbis nec signis demonstrata, imo occultata & non significata sit. Nil ergo mirum, si obruat eos gloria, dum majestatem scrutantur, & ordine lucis praepostero summam lucem ante luciferum appetant.

Mox mentem suam dilucide explicat de hoc argumento his verbis: *Docendum est quidem de voluntate Dei imperscrutabili, ut sciamus, ealem esse, sed niti, ut comprehendas eam, hoc est praecipitium periculosissimum. Proinde ego me soleo coercere isto Christi verbo, quod ad Petrum dixit: tu me sequere, quid ad te, si illum volo manere? Joh. XXI. 22. siquidem Petrus de alieno opere Dei disputabat, quid de Johanne esset futurum. Et illo ad Philippum, qui dixit: ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, quem cohibuit dicens: non credis, quod Pater in me, & ego in Patre? Qui videt me, videt & Patrem, Joh. XIV. 8. f. Nempe & Philippus Majestatem & secreta Patris videre voluit, quam esset promissionibus, praecceptisque Deus longe supra Christum. Sic & sapiens dicit, altiora tu ne quaeris, sed quae vraycepta sunt, assidue cogita. Et sorge, quæso, nos scire jam ista*

judicia Dei occulta, quid fructus adferrent ultra præcepta & promissa Dei? Vide igitur & dicito illi, si pacem volet habere cordis, ac vitare pericula blasphemix & desperationis, cogitationibus istiusmodi absteineat; cum sciat certo incomprehensibiles esse: quid igitur fatigari se sinit à Satana iis, quæ sunt impossibilia? tanquam si quis sollicitus sit, quomodo terra super aquas consistere possit, ne demergatur, aut tale quid? *Primum vero exerceat fidem promissionis & opera præceptorum*, quibus perfectis, videbit an impossibilibus occupari debeat. Si ista non audierit, videat, ne fero pœniteat, cum aliud non sit remedium, quam ista negligere cogitata. Quanquam Satana urgente, sint difficillima neglectu, necessaria enim facit illa scrutatu. Ideo *non minus hic pugnandum est cum contemptu, quam cum diffidentia, desperatione, hæresi, aut alia quavis tentatione.* Maxima pars fallitur, quod non credunt has cogitationes esse tentationes Satanæ; ideo nemo non fere eas contemnit, aut, ut contemnat, pugnat. Cum illæ ipsæ sint *tela ista ignita nequissimarum nequitiarum spiritualium in cælestibus*, Eph. VI. 12. 16. Nam per eas cecidit Satã de cælo, dum voluit similis esse altissimo, omniaque nosse, quæ Deus nosset, non contentus nosse, quæ nosse oportuit. Fuga igitur hic pugnandum est, & sapiendum non plus quam oporteat, sed ad sobrietatem; quod qui non fecerit, opprimetur. Nam Christus cogitari non potest, illis cogitationibus regnantibus. Sic Adam prostravit, dum una arbore prohibita vexaret eum de sapientia ac voluntate Dei. Summa, hæc est Princeps *tentatio & proprie diabolica*, ideo humana tentatione satis est tentari. Per idem respondebis *alteri questioni*, ut ille Concionator fungatur officio suo, quod mandavit ei Deus, relinquens id, quod non est mandatum Dei, nempe scire, *cur alius audiat, alius non audiat*. Quid ad te, inquit Christus, tu me sequere, me, me sequere, non tuas quæstiones aut cogitationes.

(g) Tom. IV. Alt. pag. 428. b. -- 431. a. (h) Tom. II. Epist. p. 392. b. 394. a, b.

§. CLXI.

§. CLXI.

Proterve etiam hoc anno Noster à Lipsiensibus (i) quibusdam exagitatus fuit ob matrimonium, quod inierat, cum Catharina Boria, inprimis à Johanne Miritiano, Collegiato & imaginario Poëta Lipsiæ, (quem nonnulli ab asinina stultitia *Miritionos* vocabant) sed aculeate calumniatorem elusit, & *apologum* non illepidum *de certamine Leonis & Asini*, uter Rex in regno animalium esset, ac de victoria asini, quam Oratore vulpecula obtinuerit, ei transmisit, ut argumentum haberet poësin suam, egregiam scilicet, exercendi. Deinde ad uxoris sui fratrem Johannem à Bora, qui *Miritioni* libellum ad affinem miserat, Hallis Saxon. ubi tum agebat, scripsit, & *Miritionum* valde errare ostendit, quod *Ambrosii* de Moniali, quæ meretrix facta, loquentis verbis abutatur, eaque inſectat ad Monialem uxoratam, cum tamen Papa sæpius Monachis & Monialibus nubere permiserit, & multi censeant, Epistolam illam, quam *Miritionos* allegaverit, nec *Ambrosii*, nec *Hieronymi* esse, sed hæretici cujusdam è secta *Pelagianorum*, vel *Novatianorum*. *Miritiono* igitur negotium esse cum Papa, cui contradixerit.

Cumque matrimonium *Spalatini* malevoli quoque proſcindere auderent, (k) literis eum solatus est & confirmavit, ut non tantum non dolere sed gaudere potius debeat, cum certo ſciat, hoc vitæ genus à Deo probari, ab Angelis laudari, à sanctis omnibus honorari. Voces igitur impiorum in ipsum jactas, non aliter æſtimare eum debere, quam pretioſas gemmas, quibus coram mundo quidem maculetur, coram Deo autem glorificetur.

(i) Tom. IV. Alt. p. 431. ſeq. (k) Tom. II. Epist. p. 391. a.

§. CLXII.

Nec prætermitti hic debet præfatio & explicatio *Viſionis*, *Viſio Eremi* cujusdam Eremitæ Helvetii, fratris Nicolai, *Bruder Clausen* / *sa Helvetii à* quam D. *Paulus Speratus*, Eccleſiaſtes Regiomont. in Borussia ad *Luthero* *Luthe-* *præfatione*

ornata &
explicata.

Lutherum miserat, ejusdemque judicium sub hujus anni initium super ea expetierat. Hanc fatetur se jam antea à *Carolo Bovillo* editam & Episcopo Remensi, *Nicolao Horio*, A. M. D. VIII. inscriptam, legisse, sed parum curasse, quia tum temporis nihil negotii sibi fuerit cum Papatu. Nunc autem prudentiorem se factum, aliis oculis eam intueri, ac cernere, quomodo Deus Papatui multa signa det, quæ tamen impudentissime & præfracte despiciat. Remittere se ergo *Sperato* fratrem *Nicolaum* scribit, ut eum aliis veritatis testibus contra Antichristum adjungat. Repræsentabatur autem in dicta Visione caput viri, triplicem coronam gerentis, & sex cuspidibus decussarim transfixum, circulo inclusum, facie rubicunda & irata, quam non multum aliter ac *Horius* exponebat. *Faciem* uterque ait designare regimen Antichristi sanguinolentum & tyrannicum. Tres cuspides prodeunt, una è fronte sursum versus crucem, quam *Lutherus* explicat de traditione humana è cerebro confecta, Christi doctrinam & verbum crucis oppugnante: secunda è dextro, tertia à sinistro latere nasi, quarum illam *Canonicum* hoc Civile jus interpretatur, quod utrumque magna cum severitate & ira urgeat; *Horius* autem obturatas nares signum esse putat, quod homo iste perditionis nullam cælestium rerum voluptatem habiturus sit, impediente crudelitate, per gladios indigitata, earum gustum. Tres contra cuspides introeunt, una inferius in os, reliquæ duæ oculos feriunt: omnes *Megalander* de verbo Dei exponit, ac primam quidem hoc significare putat, quod verbum mendacii arguat traditiones, & fidem rursus erigat contra hypocrisin, cæteras, quod omnes Papæ sapientes & prudentes cæcos reddat & pudefaciat cum Jure Canonico & Civili. *Horius* duas postremas cuspides indigitare censet excecationem Antichristi, & tenebras avaritiæ & lasciviæ, quibus fascinetur; primam autem, quod tam piger nebulo futurus sit, ut populo suo verbum Dei prædicare nolit. Porro gladios sine capulis, *Lutherus* exponit de di-

ctis

etis Scripturæ S. quæ Papa pro se adducat, sed mutilatis & inversis, & quibus rursus oppugnetur; *Horius* vero de damno, quod sentiant, qui gladios capulis carentes extrahere velint: indeque factum, quod nemo tangere Papam ausus fuerit. *Barba* denique triplex, oblonga & dura, *Luthero* iudice, notat tres partes ei adhaerentes, 1. sanctulos (*Werkheiligen*) ut Monachos, Sacerdotes & Moniales; 2. doctos, ut Juristas, Theologos & Magistros; 3. potentes, ut Reges, Principes ac Dominos; eos tamen omnes non pertinere ad Corpus Christianitatis, quod est Ecclesia, sed pendere saltem in capite, collo & corpore destituito.

Tom. IV. Alt. pag. 411. b. -- 414.

§. CLXIII.

*Carolo*stadius Lutheri intercessione in Saxoniam receptus Carolostadius inquietum erat hac conditione, ut quiete viveret, nihil scriberet, cum ingenium, mine quoque clam disputaret, & tum *Kembergæ* agebat & Lutheri misere, ita ut omnia venderet, lectulos, tunicas, cantharos, & quicquid est suppellectilis: promisso tamen non stetit, sed in *Silesia* scriptum cum *Krautwaldio* & *Schwenckfeldio* familiaritatem per pium contra literas coluit, & contra *Lutherum* multa questus est; has literas eum de S. *Lutherus* nactus ad *Gregorium Brück* seu *Pontanum*, Cancellarium Cæna. Electoris misit, & subdolan *Carolo*stadii mentem plenius detexit, addito responso & refutatione argumentorum ejus de præsentia corporis Christi, quam negare homuncio conabatur, & vehementer verbum *dedit* urgebat, quod nullus hominum, excepto Christo, possit corpus Christi dare in cibum: ubi *Lutherus* id quidem ei concedebat, sed consequentiam negabat, E. alii non dant. Epistola *Megalandri* legitur Tom. II. Epistol. p. 196. seqq. relata ad an. 1524. cum tamen hoc demum anno scripta sit; eam *Seckendorffius* ait magna moderatione compositam, qualem vix in ullo Lutheri scripto polemico reperiri posse putet: adeoque nihil eum omisisse, ut hominem duri & præfacti animi leniret,

M m

& ab

& ab errore revocaret. Summam piæ, eruditæ & gravis epistolæ adduximus in Loco de Cœna Domini p. 1212. seq. Sed nil motus *Caroloſtadius* hoc *Lutheri* elencho, in errore suo perseveravit, & è Saxonia in Helvetiam confugit, ibique primum Tiguri, deinde Baſileæ in miniſtrorum Eccleſiæ numerum receptus, animis Helvetiorum adverſus *Lutherum* concitandis infelix inſtrumentum fuit.

Tom. IV. Alt. p. 445--452. Seekendorf. pag. 122. b.

§. CLXIV.

*Antinomi-
ca contro-
verſia mota
& ſopita.*

Menſe Septembri hujus anni clam ſerpere cœpit *Antinomi-
ca* controverſia, autore *J. Agricola*, Iſlebienſis Scholæ Præceptore; ſed hic ignis per *Lutheri* quandam Epistolam ad *Agricolam* ſcriptam, & colloquium eo nomine Torgaviæ coram Electore Johanne inſtitutum, ſopitus cito videbatur, qui tamen in flammam ingentem erupit A. 1538. quam *Lutherus* D. G. per diſputationes & quædam ſcripta publica extinxit, quemadmodum in Loco de Lege Morali §. IX. X. & XI. pag. 539. ſeqq. plenius expoſuimus. Extat *Lutheri* ad *Agricolam* Epistola, qua ſcribit, de eo fabulam quempiam narraſſe ſibi, quaſi novo dogmate inciperet pugnare atque contendere, *fidem poſſe ſine operibus eſſe*. Serio igitur ipſum monuit, quo Sathanam & carnem ſuam obſervet. Noſti enim, inquit, nihil ſatis eſſe tutelæ ac præſidii adverſus inſidias Satanæ, niſi ſemper de cœlo cuſtodiamur. Deinde in inſidiis tantum eſſe veneni & periculi, ut è ſcintilla incendium, ſeu, ut *Paulus* ſolet dicere, è fermento modico tota maſſa corrumpatur. Proinde non eſt ludendum aut periclitandum, quantumvis modice, in hac re tanta, cum per tenuiſſimas rimas ingredi ſoleat hoſtis iſte, & nihilominus noceat, quam ſi apertis omnibus valvis irrupiſſet.

Tom. III. Alt. pag. 463. a. b. Tom. II. Epist. pag. 387. b. 388. a.

§. CLXV.

A. 1529

Anno M. D. XXIX. multa memoratu digna contigerunt,
cum

cum circa progressum, tum circa impedimenta Reformationis. *Missæ Ar-*
gentorati d. XX. Februarii, post multas disceptationes, & præ-abrogata,
 via Senatus cum tribus deliberatione, majorisque partis suf-
 fragatione, factâ decretamque, addita tamen, pro illius temporis
 conditione, formula, *donec adversarii ex Scriptura S. demonstras-*
sent, esse cultum Deo gratum. Nihil impedire potuerunt vel E-
 piscopi, vel Senatus Imperii hoc nomine sub finem superioris
 anni facta legatio, admonitio & deprecatio, cum supra bien-
 nium ea res acta esset, & Ecclesiæ ministri quotidianis concio-
 nibus vehementer instarent, cives etiam creberrime supplica-
 rent. Decretum hoc Senatus non tantum in urbe sed etiam fo-
 ris, quam late patet eorum jurisdictio, valere servarique jussit,
 & Senatui Imperii, semel iterumque responsum urgenti, regessit,
 per statuta Reipublicæ suæ in sua potestate jam non esse, ut de-
 creto huic contravenirent; de cætero Cæsari morem gesturos
 esse. Conditionis decreto additæ formulam captavit Jesuita
 Gallus, *Jo. Dezius*, & tolli decretum à Senatu postulavit, quia sa-
 tis probasset, quod olim desiderassent. Verum doctè observa-
 vit *Seckendorfius*, Jesuitæ sententia nihil pro hac controversia
 definiti posse, cum nil dixerit, quod non millies dictum refuta-
 ramque sit: nec jus civitatis circa religionem solo illo decreto
 niti, sed pacis publicæ, postea securæ, & hoc seculo, interventu
 Christianissimi Regis, denuo sancitæ legibus, & ipsius deditio-
 nis, qua urbs in Gallorum potestatem transit, conditionibus.

Tom. IV. Alt. p. 800. a. Sleidan. L. VII. Comm. p. m. 167. seq. Seckend.
pag. 144. a. b.

§. CLXVI.

Basilicæ quoque circa idem tempus decretum factum, & à *Basilea*,
 tumultuantibus, ac statuas imaginesque omnes in templis de- *ubi, ut &*
 molientibus civibus extortum fuit, ut tam in urbe, quam foris, *Sangalli, sta-*
 per ipsorum fines, *Missæ cum omnibus idolis* aboleatur, quæ, *tua divorū*
exusta sunt
 inter

M m 2

inter pauperes, quibus statuæ lignæ distributæ fuerunt, ut iis ad ignem uterentur, super dividunda præda exorta, ante primariam ædem struibus congestis exusta sunt cinerum die. *Sangalli* etiam, eodem mense Februario, in summo templo triginta tria altaria destructa, & statuæ inde ablata, quibus quadraginta plaustra impleta fuere, extra urbem combustæ sunt.

Sleidan. pag. 168. seq. Seckendorf. pag. 144. b.

§. CLXVII.

*Mindenses
Evangelium
recipiunt,*

Minda, ad *Visurgim*, sub *Francisco*, *Luneburgico* Episcopo, iam aliquot annos *Albertus Niseus* Evangelium placide in æde *B. Mariæ* prædicaverat; sed cives quidam hoc anno *Nicolaum Cragium* ex vicino Comitatu *Hojensi* adsciverunt, cujus zelo in omnibus templis veteres ritus abrogati sunt, & plebis metu Canonici urbe excefferunt, eamque acri iudicio in summo Imperii tribunali prosecuti sunt.

Seckendorf. pag. 145. a.

§. CLXVIII.

*Philippus
Com. Han.*

Philippus etiam, *Hanoviæ Comes*, doctrinam Evangelicam publice in suas ditiones introduxit hoc anno.

Seckendorf. l. c.

§. CLXIX.

*per Cate-
chismum à
Luthero
confectum,
Evangelii
propagatum
fuit.*

Ad propagationem purioris doctrinæ multum contulit *Enchiridion*, seu *Catechismus minor*, quem sub initium anni hujus, mense *Januario*, *Lutherus* edidit, pro statu & conditione illius temporis & hominum, ubi, cum visitatorem ageret, tantam in vulgo, præsertim autem illo, qui in agris vivit, ignorantiam Christianæ doctrinæ deprehendit, ut nihil omnino à bestiis differrent. Egregiam ei præmisit præfationem, in qua calamitatem istam dolet, & Episcopos, quibus cura populi divinitus demandata est, graviter redarguit, quod ita turpiter errare homines siverint in tenebris ignorantæ, ut nec *Orationem Dominicam*, nec *Symbolum Apostolicum*, nec *Decalogum* inculcaverint. Per
Deum

Deum igitur rogat & obtestatur Parochos & Concionatores, ut serio suum faciant officium, & Catechismum vulgo, præsertim autem junioribus, diligentissime instillent, ac perpetuo eadem forma utantur in proponendis, nec cessent, donec imbiberint rudimenta Christianæ religionis, cum omnino necesse sit, ut quisque civitatis suæ jura, quibus ceu privilegio quodam uti volet, norit & observet, sive credat vere, sive perditus aliquis nebulosus. Dein absoluta breviori hac expositione illam longiorem tractationem, (id est, *Catechismum majorem*, quem prius & ante minorem editum hinc colligit *Seckendorffius* pag. 145. b.) adhibendam suadet. Hoc enchiridion, ubicunque Evangelii doctrina locum habuit, receptum fuit, & ad hunc usque diem in Lutheranis provinciis pro pio compendio doctrinæ populo proponitur, & ad alias quoque nationes late propagatum est.

Tom. IV. Alt. p. 463 -- 524. Form. Concord. p. 359 -- 570. Conf. Theol. nostr. Symbol. pag. 38. seq.

§. CLXX.

Hæc de incrementis doctrinæ Evangelicæ dicta sunt. *Impedimenta cursus Evangelici*
Nunc quoque de *impedimentis* aliquid addere animus est. Huc *v. calumnia contra Lutherum sparse de bello contra Turcas prohibito.*
primum refero calumnias impudentes, quibus Pontificii Lutherum ejusque doctrinam gravabant. Quicquid enim usquam mali & calamitosi tunc accidit, id omne *Luthero* tribuebatur, & fructus vocabatur à malevolis ipsius Evangelii, ut seditio rusticorum, & bellum à Turcis illatum. De illo suo supra loco diximus, & calumniam retudimus. De hoc igitur quædam subjungam, ipsis Lutheri verbis. Nam in *Dedicatione libelli de bello Turcico*, facta *Philippo*, Hassiæ Landgravio, indicat statim ab initio occasionem suscepti operis, quod nimirum jam ante quinque annos ipsum quidam rogaverint, ut de isthoc argumento scriberet, & nostros homines ad bellum contra Turcos suscipiendum hortaretur, & hoc ipso tempore, quo barbara gens imminabat & appropinquabat, institerint, præsertim, cum qui-

Mm 3

dam

dam imperiti Pastores inter Germanos sint, qui populo persuaserint, nefas esse contra Turcos bellare; alii autem tam stolidi sint, ut doceant, Christiano homini non licere gladium aut Magistratum gerere. Propter tales, imo seipsam, & Evangelium excusandum ac vindicandum, minime vero propter calumniatores, visum sibi fuisse necessarium, ut instrueret Principes de rebus ponderosis ac probe considerandis. Orditur igitur libellum à Bulla Leonis X. in se vibrata, qua inter alios articulos etiam hunc damnet, quod dixerit, *contra Turcas belligerare, perinde esse, ac Deo, per eos nostras iniquitates visitanti, repugnare.* Aperte autem palamque fatetur, talia tum temporis se dixisse & statuisse, cum dignitas magistratus oppressa & contempta fuisset, & doctissimi quique judicassent, istud officium esse ethnicum, humanum, & non divinum, imo saluti noxium. Papam & Clericos tum super omnes eminere voluisse, quibus D. G. masculce restiterit, & ea docuerit, quæ Christianos & conscientiam concernerent, de Magistratu vero nihil adhuc scripserit, unde etiam Pontificii sibi impuraverint, ac si adulareretur Principibus. Inter alia autem capita doctrinæ Christianæ se quoque egisse de Matth. V. 39, ubi Christus vetat *malo resistere* &c. quæ omnia, utpote præcepta, Academiæ & Monachi in consilia mutaverint. Se itaque consulto, Papæ, suo auspicio bellum in Turcos non bona fide molienti, sed vano ejus prætextu per indulgentiarum nundinationes Germaniam exhaurienti, dictam thesin opposuisse, aliter, melius & distinctius fuisse locuturum, si simplici & candida mente bellum contra Turcas susceptum fuisset. Neque sibi placuisse, quod Principes ac Christiani incitati animatique fuerint ad Turcos adoriendos, priusquam se ipsos emendassent & Christiane vixissent. Quæ duo & unumquodque separatim per se satis causæ sint ad bella omnia dissuadenda. Super omnia vero hoc se commovisse, quod bellum Turcicum ita tunc proponeretur, ac si Christiani populi proprium esset, contra

tra

tra Turcos, velut hostes Christi, pugnare; cum tamen hoc & doctrinæ & nomini Christiano repugnet: illud, vi verborum Christi Matth. I. c. quibus ait, non esse resistendum, non contendendum, non belligerandum; hoc ideo, quia in exercitu Christiano forte vix quinque sint Christiani, & peiores Turcis coram Deo. A Christianis itaque, qua Christianis, non esse bellandum, multo minus à Papa & Clero; Christum enim dicere, quod non venerit in mundum, ut homines iudicet, vel bello opprimat, sed salvet, Joh. XII. 47. & coram Pilato affirmasse, regnum suum non esse de hoc mundo, Joh. XVIII. 36. Petro insuper præcepisse, ut gladium in vaginam recondat, Matth. XXVI. 52. Non autem hæc ita accipi velle protestatur, ac si negaret Magistratum Politicum posse Christianum esse, aut Christiano non licere gladium gestare; sed se qualitates ac respectus hominum aut Christianorum, & regnum mundi à regno Christi ideo distinxisse, ut quisque attendat, quorsum vocatus sit, à Deo, suoque officio fideliter fungatur. Ad eventum mox provocat, qui infelix hucusque fuerit, quando sub nomine Christiano pugnatum sit contra Turcos, quia Rhodis & tota fere Hungaria cum bona Germaniæ parte amissa fuerint, & omnia Comitia, ubi de auxilio contra Turcos consultum, nihil efficere potuerint, quia Episcopi & Clerici se bello immiscuerint, quorum proprium officium sit, domi populum docere, orare, jejunare &c. Minus damnosum futurum, tres in exercitu diabolos habere, quam unum Episcopum, muneris sui oblitum. Ex fide dignis se audivisse, quod Rex Galliæ affirmaverit, cladem Ticiensem à Cæsareanis se ideo accepisse, quia Pontificis vel Ecclesiæ populum sibi associaverit, qui tessera loco vocabulum *Ecclesia*, *Ecclesia* in clamaverit. Allegat etiam Julii II. & Clementis VII. exempla, quam infausto eventu bellaverint. Episcopos quidem, cum bona & regiones possideant, obligatos esse, ut inde subsidia contra Turcos conferant largiora, ad defensionem
inopum

inopum & salutem statuum; non vero, ut bellis intersint. Hinc rem aggreditur, & statuit, Turcos injuste arma Christianis inferre, ac non nisi prædas & cædes querere, à nemine provocatos, Deumque per eos mundum impium, interdum quoque pios, punire. Deinde docet, quinam illi sint, qui bona cum conscientia & spe Turcis resistere possint, & hos duos solum nominat, *Christianum & Carolum*. Christianum primum in acie consistere debere, id est, pios, pœnitentes, vere fideles & cum Deo reconciliatos, armis spiritualibus imprimis, precibus & fide munitos. Pastorum igitur esse officium, ut quam diligentissime populum ad pœnitentiam & preces adhortentur, propositis exemplis judiciorum divinatorum in antediluvianos, Sodomitas & Israëlitas, ob contemptum verbi statutorum, & adhibitis Litaniis, precibus publicis, & jejuniiis, ex vera fide fundendis; missis factis Missis, Processionibus & invocationibus sanctorum. Turcos enim esse diaboli servos, ac non solum regiones sed etiam Christianam religionem & Dominum nostrum Jesum Christum vastare, imò regnum politicum; suam vero religionem vi & armis propugnare, ac eatenus Pontificibus similes esse. Optat, ut illorum doctrina sive errores, quorum aliquot recenset ex *Alcorano*, ejusque versionem promittit, magis innotescerent nobis, quo videamus, cum quantis hostibus juratis res sit Christianis. Secundo *Carolus* requirit, sive quicumque Cæsar sit, cujus ductu auspiciisque bellum contra Turcos geri debeat, non tamen ex ambitione & gloria, sed simplici sinceroque studio defendendi subditos: neque tamen hac ratione provocandos esse Cæsarem & Principes contra istos barbaros, quod Imperator caput Christianitatis & protector Evangelii sit, (hoc enim nequaquam proprie dici posse, cum plerumque sit una cum Regibus Christianitatis infensissimus hostis & persecutor, juxta Psal. II. 1. ff. Monendos igitur illos esse de officio à Deo sibi commisso, pro viribus tuendi subditos eosque conservandi in pace, sive Christiani sint,

sint,

sint, sive non. Hocque præ aliis Legatos Pontificios in Comitibus facere debere; sed eos de ^{negotio} potius certare & luxui indulgere, cumque Luthero rixari de jeuniis & matrimoniis monachorum. Posthæc refert, quomodo Cæsar bellum gerere debeat, non ex temeritate, aut fiducia potentiæ propriæ, sed in timore & humilitate, exemplo Davidis Psal. XLIV. 7. 8. LX. 12. ff. Reprehendi quoque illos jubet graviter, qui Turcorum regimen tolerabilius esse dicitant, quam Cæsarum aut Principum, cum sint perjuri in Magistratum sibi divinitus datum, & participes se reddant abominationum Turcicarum. Ad exceptionem, quod Papa cum Clero Turcis non sit melior, & Antichristus similiter dicatur, respondet, id quidem negari haud posse, non tamen carnalibus armis contra eum pugnandum esse, sed adversus eum jam evigilasse Christianum, qui oratione & verbo illum aggrediatur. Interim si Papa Cæsarem gladio adoriatur, non aliter eum tractari debere ac Turcum. Hinc bellum Turcicum sumis conjunctisque viribus instrui debere monet, & acriter ad extremum Ordines *Spiræ* congregatos castigat, quod rem istam non serio tractent, sed sibi & Evangelio pericula intendant, turbasque excitent de rebus ad se non spectantibus.

Tom. IV. Alt. pag. 524 -- 541.

§. CLXXI.

Ad impedimenta igitur cursus Evangelii, saltem tentata, II. Comitibus & ab hostibus, quantum in ipsis fuit, objecta, secundo loco refero Comitibus *Spiræ*, ad initium quidem mensis Februarii indicta, sed XV. Martii demum inchoata, religionis & Turcici belli causa. Illustris *Seckendorffius* ex Actis Archivi Ducalis multa huc pertinentia adduxit, otiaque nobis fecit. Summam igitur duntaxat delibabimus. Vehementer severa & odiosa erant mandata Cæsarum, Commissariis data Vallisoleti Kal. Augusti; incipiunt enim à querelis de dissidio in religione, eique imputatur, quod Turcis hucusque resisti nequiverit. Cæsar dein de religio-

Nn

ne sic

ne sic statuit, se, tanquam caput Christiani orbis amplius ferre nolle mandatorum suorum (Wormatiensis in pr.) contemptum, in quibus sub pœna proscriptionis novationes circa sacra prohibuerit. Mox abolet prorsus decretum Spirense A. 1526. pro libertate religionis editum. Pontificiarum partium proceres, istius mandati conscii, jam ante Comitâ duriores se adversus Evangelicos exhibebant. Quidam etiam qui causæ Evangelicæ favere visi erant, adversari nunc illi cœperant, inter quos *Henricus* Meckelburgensis, Filiusque *Magnus*, Episcopus Suerinensis, Sundenses de mutata religione accusabant. Episcopi pecunias colligebant, ad sumtus belli, quod adversus Evangelicos gerendum haud dissimulabant. *Georgius* Saxon. Dux scriptum illud suum acerbissimum contra Lutherum Spiræ affigi curavit. Publicatum fuit edictum, ne quis conciones in hospitiiis Electoris Sax. & Landgravii visitaret; quod tamen observatum non fuit, sed conciones magnus hominum numerus frequentabat. Tandem *decretum novum* conditum fuit per majorem suffragiorum numerum, d. XV. Aprilis, in hanc sententiam: Eos, qui *Wormatiense edictum* receperunt & servarunt, deinceps quoque servare debere, usque ad Concilii, mox futuri, tempus, neminique fas esse, religionem mutare: qui vero doctrinæ genus mutarunt, nec ab eo jam discedere possunt, sine evidenti seditionis periculo, ut hi sibi in posterum temperent, nec aliquid præterea innovent, usque ad Concilium. Sed neque *Missam* abrogari, nec impediri eos debere, qui inter Lutheranos ad eam accedere volunt. Doctrinam & sectam, quæ Sacramento corporis & sanguinis Christi adversa doceat, non recipiendam ab Ordinibus Imperii. *Anabaptistas* pertinaces capite plectendos: Ecclesiæque ministris injungendum esse, ut juxta probatam ab Ecclesia interpretationem doceant, nec alia dogmata, de quibus disputari posset, attingant, sed Concilii decretum expectent: interea vero pacem inter se Ordines colant, & religionis causa nec damnium

Decretum.

damnum invicem dent, nec alter alterius ditioni subditos in suam fidem aut tutelam recipiant, sub pœna proscriptionis.

Huic quidem decreto, priusquam conderetur, multa Elector Sax. cum sociis opposuit, & postquam conditum fuit, contra illud protestatus est. Ex solenni hac appellatione *Protestantium* nomen ortum est. *Protestationis & Appellationis instrumentum*, aëtorum historiam, quæ reformationis præcipua fundamenta exhibens, mereri, ut denuo ad hominum notitiam publicetur, *Seckendorffius* scripsit, indeque occasionem arripuit A. 1705. Jo. Joachim Müllerus, Ducum Sax. Archivarius, *Historiam de Evangelicorum Statuum Protestatione & Appellatione contra istum Recessum Imperii Spira* fabricatum, texere, & Cap. V. Instrumentum verbotenus retulit, cujus summa hæc est: Status Evangelici, nempe Elector Sax. Johannes, Georgius Brandenburgicus, Ernestus & Franciscus Lunenburgici, Philippus Landgravius, Wolfgangus, Princeps Anhaltinus, quibus se junxerunt quatuordecim civitates Imperii liberæ, protestati publice sunt coram Deo, & omnibus, qui appellationem legerint, vel audiverint, pro se & subditis suis, omnibusque, qui nunc, aut in futurum verbo Dei adhæsurusunt, quod ipsorum mens & sententia alia nunquam fuerit, nec sit, quam gloriam Dei omnipotentis ejusque verbi, nec non suam & omnium salutem quærere, nec quicquam aliud agere, quam quod conscientia doceat, quodque coram Deo, sine cujusdam damno & contemptu, agere teneantur. Posteaquam enim visum omnibus fuerit, primo omnium religionis negotium in istis Comitibus tractare, quo interea, dum Concilium cogatur, pax & concordia, inter Status Imperii conservetur, & vero per abolitionem decreti Spira A. 1526. pro libertate Religionis facti, & per novum nunc ab adversa parte conclusum, iste scopus minime obtineatur, in neutrum se consentire, & sicut prius decretum de communi omnium voluntate factum sit, ita quoque nisi pariter assentiantur omnes,

N n 2

rescin.

rescindi non posse, nec irritum fieri: neque, quod noviter adjectum sit, de non tentanda innovatione, & de Missa, se laudare aut recipere posse, nisi velint ei doctrinæ, quam ceu piam atque veram & in Scriptura S. fundatam, hucusque professi sint, fidem ipsi derogare, ac fateri, discedendum ab ea esse, si modo sine tumultu fieri queat. Eo minus autem se id probare, quo magis constet, ab ipsis adversariis agnosci doctrinam Evangelicam in multis capitibus orthodoxam esse. Monstrant insuper difficultatem prædicandi Evangelii juxta receptas ab Ecclesia interpretationes; quum disceptetur, quæ sit Ecclesia vera, & nulla certior detur doctrina explicandique ratio, quam ex Scriptura S. Conqueruntur denique, quod gravissimis hisce obtestationibus nihil efficere potuerint, quam quod *Ferdinandus* cum ordinibus ei adhærentibus denuo postulaverit, ut majoribus suffragiis cederent, & negarent protestationis suæ insertionem in Recessum: illis autem se cedere non posse, in causa, quæ singulorum salutem concernat; ac propterea denuo oblata pacis observatione ad abitum se componunt, & die sequenti, per Consiliarios suos, *Appellationem* coram Notariis & testibus, pro se suisque sociis & adhærentibus, præsentibus & futuris, interposuerunt, ab omni, quod jam passi erant, aut metuere poterant, gravamine, & provocarunt ad Cæsarem, & ad futurum generale, vel Germanicæ nationis Concilium legitimum, & ad quemcunque non suspectum & competentem judicem, simulque legationem ad Cæsarem decreverunt. Protestationem Evangelicorum Elector Johannes & Philippus Landgravius deinceps publicarunt.

Tom. IV. Alt. pag. 799. & 800. Sleidan. L. VI. p. 171. f. Seckendorf. pag. 129. seq.

§. CLXXII.

III. Legatio Protestan- Legati Protestantium tres, *Johannes Ehingerus*, Consul Memmingensis, *Alexius Frauentraut*, Secretarius Georgii Brandebur;

deburgici, & *Michael Cadenus*, literis commendatitiis & cæteris omnibus necessariis instructi, Placentiæ ad Cæsarem aditum impetrant, ac constituto die ore & scripto postulata exponunt, & responsum tandem literis consignatum, ut petierant, obtinent, sed satis durum, in hunc sensum: consulto decretum prius *Spirense* abolitum, & novum factum, ne quid deinceps innovetur, nec ulli sectæ in posterum locus sit, & pax concordiaque per Imperium statuatur; debuisse igitur Saxonem ejusque socios iis omnibus assentiri, & hoc se datis ad illos literis mandasse, ac sperare, eos pro fide, qua sibi & Imperio devincti sint, obtemperaturos; alioquin enim fore, ut autoritatis exemplique causa severe in ipsos animadvertat. Hoc accepto & lecto responso, Legati appellationem ad Cæsarem ipsum, *Spiræ* contra decretum compositam, tradunt *Alexandro Sueffio*, Secretario Cæsareo, testibus, ut fieri consuevit, adhibitis, & Notario publico, quo munere *Alexius*, posteaquam legatione se abdicaverat, functus est, quia ab Italis expectari non poterat. Recusavit initio Sueffius appellationem, tandem tamen accepit & ad Cæsarem detulit, sed à meridie rediens, legatis sub capitis & fortunarum pœna denunciavit, Cæsarem ob appellationem eis succensere, & jubere, ne pedem è diversorio moveant, neve ad suos in Germaniam quicquam rescribant, aut aliquem mittant, donec aliud renunciaret. Commodum autem tum aberat *Cadenus*, & à famulo certior factus, rem omnem Senatui Noribergensi perscribit, ratus se non obligari, sicut collegas. Postridie *Ehringerus* & *Cadenus* appellationem aliam à decreto illo Cæsareo interposuerunt, ac *Parmæ* potestas iis facta est, domum ad suos revertendi; solus *Cadenus* manere iussus, quia libellum eleganter adornatum, quo capita doctrinæ Christianæ comprehendebantur, Landgravii cura conscriptum, Cæsari, cum ad sacra iret, porrexisset, huic vero ab Episcopo Hispano maligne relatum esset, cum incidisset in locum, ubi Christus

Apostolos monet, ne principatum affectent, quem gentium Reges usurpent, libellum Magistratui Christiano jus tollere, & gentilibus duntaxat permittere; fuga tamen elapsus domum revertit. Interea Principes de eventu legationis solliciti, & certiores à Senatu Norico, facti ex Cadeni literis, & ante & post acceptum de Cæsaris ira nuntium, colloquia instituunt *Numburgi, Salsfeldæ, Rothaci & Suabaci*, & in mutuam defensionem facile consentiunt, tametsi ab offensione omnes abhorrerent. *Lutherus* Electorem multis rationibus à foedere dehortatur, præsertim cum intellexisset, quosdam etiam illud ambire, qui in capitali articulo fidei (de S. Cœna) errarent, adductis ex Scriptura S. & historia Ecclesiastica exemplis. Disceptatur hac de re *Smalcaldicæ*, sub finem Novembris, Landgravio medium se gerente, & conciliationi studente; tandem ita inde disceditur, ut qui doctrinam omnem Evangelicam recipere & profiteri velint, *Noribergam* veniant, ad VI. d. Januarii, sequentis anni, deliberandi causa.

Sleidan. L. VII. p. 177. seqq. Seckend. p. 133. seqq. Jo. Joach. Müller. in Histor. protest. appellat. & legat. ad Carol. V. L. II. p. 143. ff.

§. CLXXIII.

IV. Dissidiū inter Lutheranos & Sacramentarios. unde Colloquium Marburgi instituit Landgravius inter Lutherum & Zwinglium.

Argentineses interea exclusi à foederis societate, cum *Tigurinis, Bernatibus, Basiliensibus*, qui & vicini erant, & dogmate magis conveniebant, muniendi sui causa, foedus pangunt, in annos quindecim. *Philippus* autem Hass. Landgr. cui dolebat, ob unicum articulum consensionem impediri doctrinæ, remedium adhiberi cum primis optabat, & Sacramentarios cum Lutheranis conciliare omni studio contendebat. Eum in finem Colloquium Marburgi ineunte Octobri procuravit, ut utriusque partis viri docti placide inter se conferrent. E Saxonia *Lutherus* invitatus à Principe, una cum *Melanchthone & D. Jone*, venit ægre, ut significabat in Epistola ad Landgravium d. 23. Junii data, qua scribit cordate, prius explorari debuisse,

an

an pars adversa cedere de sua sententia velit; hoc enim nisi sit, frustra institui colloquium: videri sibi adversarios hoc intendere, ut gloriam oblatae concordiae, & victoriam, in disceptando reportandae, quaerant, orthodoxos calumnia gravent, ac si hostes pacis & veritatis essent. Nam si serio pacem affectarent, non opus fuisset tanta pompa per tam potentem Principem eam procurare, cum scriptis dudum id facere potuissent. Se certissimum esse de suae sententiae veritate, & adversariorum falsitate, adeoque nulla ratione cedere illis posse. Rogat igitur Landgravium, per Deum, ut probe expendat, plusne fructus vel damni sperandum sit ex colloquio; posterius autem certo futurum, si cedere nolint adversarii: sicque frustra fore & labores & sumtus, & Helvetios pro more suo iactaturos multa; inde orthodoxos cogi ad defensionem, & posteriora prioribus deteriora futura. Quod vero Princeps sanguinis profusionem metuat, nisi inter partes conveniat, id Deo committi debere ait, se innoxios esse, & Deum innocentiam suam in lucem producturum; eos autem qui motus seditionesque concitent, poenam non evituros, ut exempla doceant *Sickingii, Carolostadii, & Münzeri*. Ex Helvetiis adfuere *Zwvinglium & Oecolampadium*, qui socios itineris habuere *Ulricum Funck & Radolphum Frey*, Senatores, & Argentorato assumsere *Bucerum & Hedionem, Jacobum Sturmium*, Sacramentariis tunc magis addictos, quam Lutheranis. Kalendis Octob. privatim, sic volente Landgravio, collocuti sint, qui utriusque partis duces videbantur, *Disputatio Lutherus cum Oecolampadio, & Melanchthon cum Zwvinglio, privata,* de peccato originali, de usu verbi & Sacramentorum, de Deitate Christi, Trinitate & S. Coena, ubi Zwvinglius & Oecolampadius quoad omnia vel bene se explicarunt, vel si quos habuerunt scrupulos & errores, remiserunt, excepto articulo de S. Coena. De hoc igitur praecipuo Capite coram Principe, *publica,* assidentibus aulicis omnibus, disputatum fuit sequenti die, &
Zwvin-

Tria argu-
menta Sa-
cramenta-
riorum.

1.

Zyvinglius ac Oecolampadius argumenta tria in primis urgebant, 1. Joh. VI. 63. *caro non prodest quicquam*, ad quod Lutherus respondebat, id de carne Christi nequaquam intelligi posse aut debere, cum ipse Salvator (v. 54.) dixerit, *suam carnem vitam eternam dare*, & addiderit: *spiritus est, qui vivificat*. Horrendum dictu esse, quod Christi caro nil profit. Ac licet id detur, quod de carne Christi hic sermo sit, non tamen elici inde posse Zyvinglii mentem, sed, secundum Augustini explicationem, hunc verborum sensum esse: non prodesse carni iis, qui non credunt.

2.

II. Argumentum ex ratione petitum hoc erat: *nullum verum corpus in pluribus locis esse posse; Christum autem habere verum corpus, & esse in caelo*. Ad quod Lutherus respondit, rationem naturalem non posse nec debere judicare de omnipotentia Dei; Zyvinglius autem regessit, Deum ejusmodi incomprehensibilia nobis non proponere, & quomodo tanta res per Sacerdotem effici queat, ut Christi corpus eo adducatur. Hoc Lutherus ita diluit: id non fieri ex Sacerdotis merito, sed ordinatione Christi, qui cum sic mandaverit, non dubitandum esse, quin fiat. Idem de efficacia Verbi & Sacramentorum omnium statuendum, quod operentur non ex sanctitate aut dignitate Sacerdotis, sed ex divino mandato & ordinatione. Illum errorem fuisse Donatistarum, dudum damnatum. In hac

3.

instructione acquievit Zyvinglius. III. Oecolampadius objecit, *Sacramenta esse signa, ea igitur aliquid significare*, adeoque & hic intelligi debere, *quod corpus Christi tantum significetur, non vero adsit*. Respondebatur, Sacramenta quidem signa esse, verum ea non aliter esse accipienda, quam Christus exposuerit. Et quando Sacramenta dicantur signa, praecipue hoc indigitari, quod annexas promissiones significant. Ita Circumcisionem in primis significare verbum, quod Deus adjecit, se velle gratiosum esse. Inutilem enim fore interpretationem, si quis traheret circumcissionem ad castigationem corporis, & principalem illam signi-

signi-

significationem promissionis negligeret. Tandem etiam multa Patrum dicta proferebant Sacramentarii, quibus stabilire suam opinionem volebant; sed longius erant petita, & quædam Sacramentum prorsus non concernebant, ut, quod corpus circumscriptum sit loco: item, quod Christus verum corpus habeat. His Nostri opponebant & Landgravio consignata tradebant plura & clariora dicta ex Patribus, præsentiam corporis & sanguinis Christi asserentia.

Ita *Lutherus* ad omnes adversariorum rationes solide respondit, nec passus est ulla vi aut astu extorqueri sibi verba Christi in Cœna clare & simpliciter pronunciantis: *hoc est corpus meum*. Quod, *Iusto Jona* ad *Guil. Reiffenstein*, Consiliarium Stolbergicum, scribente, male habuit adversarios, ac per stomachum fere vocarunt petitionem principii, & concesserunt aliquoties *Luthero*, Deum quidem posse hoc facere, ut corpus unum in diversis locis esset, sed quod idem in Cœna fiat, id vero probari sibi postulabant; tum *Lutherus* iterum ad verba Testamenti provocavit & dixit: *Mein allertiebste Herren! dieweil der Text meines HERRN JESU CHRISTI allda stehet: hoc est corpus meum, so kan ich warlich nicht fürüber/sondern muß bekennen und glauben/ daß der Leib Christi da sey*. Cumque *Zwinglius* voculam *da* captasset, & illico profiliens dixisset: *E. corpus localiter ponitis in Cœna, quia da est adverbium loci, respondit, se Christi verba simpliciter retulisse, nihil minus quam ejusmodi captiones veritum, sibi nihil rei esse cum mathematicis rationibus, adeoque adverbium loci ex Cœnæ textu se rejicere, qui sic sonet: hoc (non ibi) est corpus meum. An in loco, vel extra locum sit, hoc se nescire malle, quam scire, siquidem Deus nondum revelaverit, nec quisquam mortalium probare possit. Dominica post Michaelis (d. III. Octobr.) reditum est ad Colloquium, sed cum easdem fere argutias repeterent adversarii, & antiquissimos Ecclesiæ Doctores ita sensisse & docuisse vociferarentur,*

Lutherus quoque ad verba Institutionis iterum iterumque provocavit, & dixit, quemque articulum fidei, sui ipsius principium esse, nec opus esse simili exemplo probari, & *Augustini Fulgentii*que dicta aliis evertit, vel objecta vindicavit. Tum *Oecolampadius* clamavit: si istis talibus moveri nollet *Lutherus*, se frustra Patrum mille sermones prolaturum. Itaque satius sibi videri, ut à disputatione utrinque cessetur. Sic Colloquium abruptum est, quia res ipsa docebat, *Lutherum* de veritate plana ac simplici verborum Cœnæ, absque grandi sacrilegio cedere non posse; Sacramentarios autem à sua opinione discedere nolle. Quod igitur *Lutherus* sagaci spiritu prædixerat, id omne evenit, & frustra tentata concordia fuit. Ne tamen absque omni fructu hoc Colloquium habitum esse videretur, quædam Capita doctrinæ consignata sunt, quibus subscripserunt, & in quibus contra Papam & Ecclesiam Romanam consenserunt omnes, excepto articulo ultimo. 1. De fide in Deum Trinunum, secundum Concilium Nicenum. 2. De Incarnatione Filii Dei, 3. de ejus passione, resurrectione & judicio. 4. De Peccato Originis, quod omnes damnet, 5. & quod Christus nos ab hoc & cæteris liberaverit, nosque remissionem consequamur per fidem in ipsum, nec extra hanc fidem, ullis operibus aut vitæ statu salvemur. 6. Hanc fidem esse donum Dei, eamque 7. justitiam nostram coram Deo, propter quam nos Deus justos reputat, sine ullo nostro opere, ita ut vita & vota monastica, tanquam ad salutem necessaria, damnentur. 8. Quod eam fidem Spiritus S. ordinarie per orale verbum operetur, quomodo & in quibuscunque vult, Rom. X. 9. Baptismum ad eam institutum, non esse nudum signum sed opus Dei & medium regenerationis. 10. Fidem, esse per charitatem operosam, erga Deum & proximum se exserere. 11. Confessionem esse liberam, sed utilem & necessariam tentatis, aut lapsis, propter absolutionem. 12. Magistratum & statum conjugalem esse legitimos ordines, non prohibitos, ut
Papi-

Papistæ & Anabaptistæ somniant, & quemlibet fidelem in iis salvari. 13. Traditiones seu ordinationes Ecclesiasticas, non pugnantibus cum verbo Dei, libere servari, vel intermitteri posse, & prohibitionem conjugii esse doctrinam dæmoniorum. 14. Quod *Dissensus* in S. Cœna utraque specie utendum, nec Missa sit sacrificium *fundament.* pro vivis & mortuis: quod in S. Cœna verum corpus & sanguis *de S. Cœna.* Jesu Christi sint: quodque spiritualis manducatio cuilibet Christiano præcipue necessaria sit. *Etsi autem* (hæc clausula imprimis notanda est, quia ea dissensus exprimitur utriusque partis) *hoc tempore, an verum corpus & sanguis Christi corporaliter in pane & vino præsens sit, non potuimus concordare; tamen qualibet pars erga alteram, Christianam charitatem, quantum cuiusque conscientia fert, exercebit, & utraque pars Deum sedulo orabit, ut nos per Spiritum suum in vera sententia confirmet, Amen.*

Postremo expetebant quidem ardentem *Sacramentarii*, ut *Fraternitas* pro fratribus haberentur, & *Zwvinglius* palam lachrymis id *negata ad-* rogabat; sed *Lutherus* recusabat dextram fraternitatis dare, ac *versariis.* dicebat, se mirari, cur hoc postulare auderent, si modo doctrinam suam pro vera habeant. Argumento hoc esse, quod ipsi met suam causam non magnifaciant. Dedit tamen dextram amicitiae, ut pacem interim haberent utriusque mutuis scriptis.

Hæc paulo prolixius retuli, ac instituti ratio ferre videtur, multas ob causas, præsertim ideo, ut Studiosi pleniorum haberent Colloquii hujus cognitionem, & facilius respondere iis possent, qui vel Ecclesiarum Lutheranarum & Reformatarum consensum è Marpurgensi Colloquio probare nituntur; vel Lutherum nimii rigoris aut hypocriseos insimulant, quod invidiæ solum declinandæ causa noluerit Sacramentariis adstipulari, ne Principes & populos suos Pontificiis, quibus Zwvingliana verborum S. Cœnæ interpretatio maxime exosa erat, magis invidiosos redderet, majoribusque periculis objiceret. Per literas *Lutherus* ad *Landgravium* à Sacramentariis multis scriptis sollicita-

tum, ut suæ sententiæ accederet, Anno 1530. ex Eremo datas, eum monet, ne dulcissimis partis adversariæ verbis moveatur, sed potius astutissime excogitatis consiliis & cogitationibus à Diabolo immixtis, fortiter resistat gladio Spiritus, hoc est, verbo Dei. Periculosum enim videri, posthabito Scripturæ textu, tam evidentissimis verbis Christi, tam perspicuis neglectis, & toto Ecclesiæ consensu tam firmo, & à primis statim Ecclesiæ initiis recepto, præterito & abjecto, novam & non factis in sacris literis fundatam doctrinam recipere & approbare, propter dicta & cogitata quædam infirma nec conscientia ipsi factis facientia, id quod verba Christi abunde præstant. - *In rebus enim, inquit, tam arduis & tam sanctis, joculari non licet. Neque proprias opiniones, commenta hominum, aut incerta patrum dicta protulisse sufficit, sed perspicuis Sacra Scriptura testimoniis rem agi & probari necesse est, quod eos hæcenus fecisse, non possum meminisse. Certe tot exhausti molestias, tantaque pericula sustinui, non mea, sed Christi doctrinae propaganda gratia, ut omnes meos labores incassum abiisse, ac conatus irritos fuisse nollem. Ideo nec invidentia, nec odio, aut superbia motus, cum illis facere non possum, sed, quod Deus novit, jam pridem me eorum aggregassent parti & doctrinam recepissent, si in sacris literis eam fundatam scirem, iis autem, quibus illi innituntur fundamentis, conscientiam meam munire nequaquam possum.*

Vana de victoria gloria gloriatio apud Sacram.

Hinc quoque judicari potest, quam vere adversarii de victoria gloriati sint, & quod Landgravius eorum partes amplexus sit. Nam, ut hoc ex D. Leuchtero addam, Landgravius *Wilhelmus A. 77.* ad Electorem Saxon. scripsit, ad probandam veram realemque præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, hucusque verba Christi testatoris omnipotentis, *hoc est corpus meum* &c. sufficere creditum, ac *Lutherum* ea imprimis *Zwinglio* in Colloquio Marpurg. opposuisse, mensæ in facie ejus inscripsisse, ac ad eum dixisse, ut illa deleret, si posset

set &c. Idem Leuchterus refert, *Oecolampadium* ad Landgravi-
vium dixisse: *optarem mihi dextram manum amputatam, ante-*
quam vel apicem unum de S. Cæna contra Lutherum, qui textum
& verba Christi retinet, scripsissem. Ich wolte / daß mir meine
rechte Hand wäre abgehauen worden / Ehe dann ich einen einigen
Buchstaben vom Abendmahl wider D. Luther / der gleichwohl den
Text und die Wort Christi behält / geschrieben habe.

Profuisse tamen hoc Colloquium *Seckendorf.* (p. 138. b.) *Fructus col-*
animadvertit, & aliquod moderamen contentionum tunc at- *loqui qua-*
tulisse, plerasque etiam Germaniæ provincias & civitates in *les?*
dogmate Lutherano confirmasse, Pontificiarum autem par-
tium consilium, quod in Spirensibus Comitibus hoc anno obser-
vatum fuit, destitutum esse. *Lutherus* in narratione itineris
Marburgens. è suggestu post reditum facta *Wittebergæ*, concio-
ni super Deut. VII. (Tom. IV. Alt. p. 757. seq.) inserta, memo-
rat, adversarios, præter spem opinionemque, humanos &
submissos fuisse, seque hoc collegisse ex ipsorum sermonibus
si per eos res stare, libenter cessuros, sed non ausos id facere,
cum certum à suis mandatum haberent; sic enim inter alia illos
dixisse: *hätte man das Bier wieder im Fasse / so würde mans nicht*
anzäpffen. Sperabat etiam hoc commodi redundaturum, ut
posthac cessent superbe contra orthodoxos scribere, licet per-
stent in sua opinione, & tamen se excusent & exornent, neque
negare velint verum corpus & sanguinem Christi adesse, sed
spiritualiter tantum intelligant. Idem *Lutherus* in Epist. ad
Jo. Agricol. scripsit: *in summa, homines sunt inepti & imperiti*
ad disputandum. Tametsi sentiebant sua nihil concludere, vole-
bant tamen cedere in hac una parte de presentia corporis Christi,
idque (ut arbitramur) metu & pudore magis, quam malitia.

Tom. IV. Alt. p. 560--564. Exegef. Colloquiorum aliquot cum Sacra-
mentariis habitorum, impress. Lips. 1584. p. 1--437. D. Leuchter. p. 27--34.
Seckend. p. 137. seqq. Supplem. Epist. Luth. D. Buddei p. 67. 68. & 71. Conf.
Hutter. in Concord. c. 45.

*Pax inter
Cæsarem &
Papam &
fœdus de op-
primendis
Protestanti-
bus initur.*

Cum interea pax coalesceret inter Imperatorem & Pontificem, Pontifex postulavit, ut *Cæsar & Ferdinandus Lutheranos* ad parendum Ecclesiæ Romanæ armis cogere, alii vero ad eos in viam reducendos convocationem Concilii flagitarunt. Tandem in eam itum est sententiam, ut staretur verbis generalibus, his nimirum: ut reducendis in unionem Ecclesiæ Lutheranis Pontifex vias omnes spirituales tentaret; Cæsar & Ferdinandus temporales. Sin autem ipsorum pervicacia ad arma sumenda cogere Reges, hoc casu Pontifex daret operam, quantam posset, maximam, ut cæteri omnes Principes Christiani ipsis irent suppetiarum. Paulo post *Bononia* inter Imperatorem & Pontificem multa agitata fuere, quæ ad Protestantium in Germania eversionem spectabant, ubi Cæsaris Consilarii demonstrant, verum unicuique remedium in convocatione Concilii esse positum, quod Germani vehementer efflagitabant. At Pontifici nihil æque ac Concilium erat formidabile & odiosum, imprimis ultramontanum & liberum, cui interfuturi essent, qui excusso Papalis obedientiæ jugo, alios in suam sententiam nullo negotio videbantur attracturi. Ex quibus, aliisque bene multis & speciosis argumentis, undecunque conquisitis, Papa concludebat, tam certo scire se, quem eventum sit habiturum Concilium, ut tanquam vates, seu hariolus, prædicere non dubitet, ex Concilio majorem in Germania rerum perturbationem exorituram. Cæsari autem in Germaniam properanti, factu facillimum & optimum esse, si pro sua autoritate imperet, ut *diploma Leonis & Wormatiense* edictum executioni mandetur, & si quid contra responent Protestantes, id non audiatur, sive Concilium petant, sive aliud quid obtendant. Ubi primum refractarios invenerit, tum vim adhibendam: idque non difficile factu, contra tam paucos, Ecclesiasticis Principibus omnibus, & majori secularium parte ad arma cum eo concurren-

currentibus. Cruenta sane hæc erant inclementis *Papa Clementis* consilia, quæ *Marcellus Palingenius* in *Zodiaco vita* hoc carmine expressit & exagitavit:

*Non disceptando, aut subtilibus argumentis
Vincere, sed ferro mavult sua jura tueri.*

Concilium valeat: valeant commenta Lutheri:

Pontifices nunc bella juvant: sunt cætera nugæ.

Carolus ipse *Papæ* cum stupore & admiratione omnium non nihil concitatus respondet, ejusque argumenta refellit, & nunquam eo se progressurum affirmat, ut sine cognitione causæ & dijudicatione bona & mala simul extirpet. Nec velle se ordinarium *Ecclesiæ* iudicium tollere, aut tyrannidem confirmare. Quibus permotus Pontifex placide respondit, se negotium hoc penitius consideraturum, & cum Purpuratis suis de eo ulterius deliberaturum: tandem tamen *Bononiæ* à *Cæsare* impetravit, ut promitteret, se tentaturum prius lenioribus mediis *Lutheranos* ad obsequium *Ecclesiæ Romanæ* reducere, & si his nihil efficiat, pertinaces coacturum & extirpaturum.

Petr. Suav. L. I. p. m. 41. 43. seq. David Chytræus in Hist. Germ. A. C. p. m. 6. seqq. Seckendorf. p. 143. Jo. Joach. Müller Hist. cit. L. III. Cap. II.

§. CLXXV.

De hoc fœdere inter Pontificem & *Cæsarem* inito, cum *Lutherus* inaudivissent *Johannes* Elector & socii, & Pontifici adhærentes Principes ac Clerici passim gloriarentur, & extirpationem *Lutheranorum* minitarentur, varia consilia agitata sunt, nonnullis suadentibus, ut conjunctis *Evangelicorum* viribus *Cæsari* obviam eatur. Tum Elector *Johannes* Cancellarium suum *Pontanum* ad *Lutherum* & Collegas ejus, *Melanchthonem* & *Bugenbadium*, misit, & ab iis responsum super hac quæstione, an liceat fœdus pro tuenda religione inire, & resistere *Cæsari* vim intentanti? petiit, qui d. XVIII. Novembr. respondent, se per conscientiam tale fœdus suadere haud posse, & decies mori malle, quam

quam occasionem suspicandi præbere, ac si Evangelium hæc-
 nus prædicatum causa fuerit fundendi sanguinis, aut damni cu-
 jusdam illati; *nos enim, inquit, id debemus esse, qui patiuntur, &*
cecu oves occisionis reputantur, Psal. XLIV. 23. non, qui seipso
 vindicant, sed iræ Dei locum relinquunt. Nec offendi debere
 Electorem, quod periculis sit expositus; Christum enim satis
 potentem esse ad illa avertenda, & irritas faciendas cogitatio-
 nes impiorum Principum, Psal. XXXIII. 10. existimare se, illa
 Cæsaris molimina nil nisi minas Diaboli esse, quæ in autorum
 capita recidant, Psal. VII. 17. Christum autem nos ita tentare,
 an serio verbum Dei amemus & verum reputemus, vel non:
 Christianos non posse meliorem sibi sortem promittere, ac
 Christus & sancti omnes habuerint, nempe crucem, portatam
 jam ab Electore, tum in seditione rusticorum, tum in aliis affli-
 ctionibus magnis, insidiis & odiis, Deum tamen semper ad-
 fuisse, & in posterum adfuturum. Monet igitur Electorem
 Megalander, ut bono confidentique animo sit, plus se D. G.
 precibus & supplicationibus effecturos, quam hostes cum mi-
 nis suis; id tantum curandum, ut manus à sanguine & vi puræ ser-
 ventur. Si Cæsar se aliosque vocaret, apparituros, religionem
 defensuros, facturosque, Deo adjuvante, ut nullum periculum
 Elector incurrat. Interim donec res eo deveniat, ut Cæsar nos
 petat, multum temporis præteriturum, (*indeß verläufft viel Was-
 sers*) & Deum consilium inventurum, ut non ex voto res adver-
 sariis fluat.

Tom. W. Alt. pag. 564.

§. CLXXVI.

*Conventus
 Smalcaldia
 institutus
 de defensio-
 ne eventua-
 li.*

Posthæc Protestantes Conventum Smalcaldiaë instituunt
 d. XXIX. Novembr. deliberaturi de conservatione & defen-
 sione religionis; sed non convenit inter eos: nam Saxo cum
 Lunenburgicis, & Legato Brandenburgico, ut & Norimbergen-
 ses de fœdere agere noluerunt, antequam de Capitibus religio-
 nis conventum esset: contra pleræque Civitates ante omnia de
 fœde-

foedere agere voluerunt. Hassia Landgravius medium se gerens, conciliationi studuit; sed nihil effecit. In eam igitur sententiam itum est, ut, qui doctrinam XVII. Articulis comprehensam, ibique propositam, profiterentur & reciperent, ad VI. Januar. sequentis anni, *Norimbergam* venirent, ac interim, si vis fieret, singuli domi expenderent, & per literas Electori intra mensis spatium aperirent, quid consilii pro defensione capiendum esset; excluderentur autem, qui dissentirent.

Sleidan. L. VII. p. 180. Seckendorf. pag. 140.

§. CLXXVII.

Metum illum Protestantium non vanum fuisse, nec male *Sanguino-* eos fecisse, quod consultaverint de legitimis modis mediisque, *lenta Papa* si sanguinolenta Papæ consilia *Carolus* sequi voluisset, quilibet *consilia pro-* per se ipse facile intelligit, & *D. Eccius* rem prodidit, quando *didit Eccius.* publicis verbis fassus est apud Nostrates Evangelicos, si Cæsar Pontificis consilium Bononiæ decretum secutus fuisset, & in ipso aditu Germaniæ Lutheranos ferro protinus adortus capita ipsis amputasset, facile confectum opus fuisse. Sic proditum & apertum est occultum consilium Papæ, cum Cæsare communicatum. Verum, ut *Lutherus* subjicit, quantæ tragœdiæ exortæ fuissent, si Cæsar consilio Papæ & diabolico morem gessisset, & fuso sanguine in Germaniam penetrasset. Quæ tum Comitia futura fuissent? talia sane, ut neque ex Episcopis, neque ex Principibus vel unguis superstes mansisset, præsertim turbulentis istis temporibus, ubi omnia moribus plena erant, & quilibet Comitia benevola exspectabat, prout *Carolus* in literis suis ad Ordines scriptis spem faciebat.

Tom. V. Alt. pag. 534. a.

§. CLXXVIII.

Plurimæ igitur calamitates Germaniæ hoc anno incubuerunt, quæ impedire videbantur progressus Evangelii: quibus *Morbis* annumerari quoque potest novum morbi genus, quo homines *Anglicus in* sudore *German.* grassatur.

Pp

sudore

sudore pestifero correpti, intra horas quatuor & viginti aut animam exhalabant, aut, si virus exsudassent, valetudinem paulatim recuperabant. Morbus *Anglicus* vulgo dicebatur, quia Henrici VII. Angliæ Regis anno 1. qui salutis humanæ fuit 1486. eadem lues Britanniam invasit. Brevissimo temporis spatio incredibile celeritate, velut incendium aliquod, longe lateque serpsit, & in re nova, remedio incognito, ingentem hominum stragem edidit. Et, quia nulla calamitas sola est, fuit insuper hoc tempore frumenti ac vini tenuissimus proventus. Itaque illa, quæ Deus iratus immittere solet in populum ingratum, tela, morbi contagio, bellum, inedia, simul uno eodemque tempore in Germania grassabantur. Pontificii horum malorum causam Lutheranos eorumque Evangelium esse putabant, plane ut Gentiles olim Christianis tribuebant quæcunque adversa contigissent.

Sleidan. *L. VI. pag. 175.*

§. CLXXIX.

Persecutiones confessorum Evangelii, in pr. Colonia.

Ad impedimenta denique referre licebit persecutiones alicubi illatas iis, qui puritatem doctrinæ sectabantur, missis superstitiosis cultibus. Sævitum enim est suppliciiis, multis in locis, non in *Anabaptistas* solum, è quibus *Ludov. Hezerus*, vir doctus, sed pessimis opinionibus imbutus, *Constantiæ* exustus fuit, sed etiam in *Lutheranos*, & qui *Zwinglii* partes sequebantur. *Colonia Agrippina* duo viri præclara eruditione & doctrina singulari exornati, *Petrus Flystedius*, *Juliacensis*, & *Adolphus Clarebachius*, Scholæ *Vesaliensis* moderator, quod sub *Misæ* celebratione tecto stetit capite, & in elevatione non excreassent, & diversum à Pontificiis sensissent, à Senatu in carcerem coniecti, ibique per sesquiannum & amplius detenti, tormentis misere vexati, & ab eodem, ut & Archiepiscopo, damnati & exusti sunt, magno cum gemitu & commiseratione plurimorum, instigantibus Theologastris & Sophistis declamatoribus,

qui

qui vociferabantur iram Dei, novo morbi genere nos verberantis, impiorum suppliciiis placandam esse. Illi vero confessores cum ad rogam ducerentur, fidei suæ rationem intrepide explicabant, & Scripturæ testimoniis invicem se confirmabant, ita quidem, ut omnium oculi animiq; in iis defixi hæerent, & admiratione quasi obstupefacti constantem utriusque vultum habitumque corporis intuerentur, præsertim autem *Adolphi*, qui juvenis erat egregia forma & facundus, tum vero maxime ibat ovans animis, & spe sua damna levabat. Hic igitur clara voce asseverabat, in ipso corpore cor adeo sibi præ gaudio gestire, ut vix crederet hominem in toto orbe se latiore, & quoad conscientiam quietiorem ullum posse reperiri. Hæc & alia plura paradoxa Christiana cum iudex diutius sufferre non posset, carnificem maturare supplicium iussit, nil moratus, quod *Flystedius* eum monuit, ut justum judicaret iudicium, qui rogam ascendens periit, ut Christianæ fidei articuli denuo recitarentur, quod ubi factum, ille porro dixit: *ecce fides hæc est mea, quam professus sum hæctenus, & in qua vivens moriensque persistam.*

Martyrolog. Hanovia edit. in 8. pag. 222. seq. Sleidan. L. VI. pag. 175. Seckendorf. pag. 145. a.

§. CLXXX.

Inter Martyres etiam hujus anni numerat *Sculdetus Ludovicum Berquinum*, nobili Berquinorum apud Arthesienses ortum familia, *Francisci I.* Galliarum Regis aulicum insignem, qui primum maxime abhorrens à doctrina Evangelii, quæ tum in Gallia emergere cœperat, deinde occasione disputationis alicujus cum quodam Theologo Doctore Parisiensi mirabiliter conversus, & instinctu Theologorum Sorbonicorum, Monachorum, & aliorum Sacrificulorum Parisiensium, laqueo præfocatus Lutetiæ in celebri loco *Greva* appellato, crematus fuit.

Martyrologium tamen paulo ante citatum id mense Majo superioris anni factum memorat.

*Wilhelm.
Swollensis.*

Penfabimus autem hunc defectum alterius Martyris morte, is est *Guilielmus de Swollen*, seu *Swollensis*, qui magna quondam apud *Christiernum II.* Daniæ Regem, designatoris quippe regionum hospitiorum munus obiens, in auctoritate fuerat. Postea vero in Evangelii doctrina institutus, eandem passim alacriter confessus fuit. Cujus tandem gratia *Lovanii* comprehensus, & in carcere perquam diu detentus fuit: in quo voluntatem etiam ultimam atque confessionem suam, de *Justificatione*, *Sacramentis*, *Missâ*, *Purgatorio*, *Invocatione Sancto- rum*, *Primatu Pontificis*, *humanis Traditionibus*, & aliis hujusmodi, singulari doctrina pietateque referam, conscripsit. Inde vero *Mechliniam* deductus, ibidem ad ignem condemnatus, atque XX. Octobr. magno piorum luctu vivus crematus fuit. *D. Pomeranus* ejus confessionem edidit, in qua quædam *Anabaptistica* occurrere *Seckendorffius* scribit, nisi fallatur.

*Persecutio
et confessio*

Martyrologium cit. p. 221. & p. 227. seq. Seckendorf. l. c.

§. CLXXXI.

*ejecti sunt
385. Roth-
vila.*

Rothvila, Suevorum urbe haud incelebri, trecentos, octoginta quinque, omnis ætatis & sexus homines, in exilium ejectos esse, *Scultetus* ex MS. Bullingeri, & ex illo *Seckendorffius* retulit. l. c.

sirohu. J.

§. CLXXXII.

*Irruptio
Turcorum
in Austriam
& obsessio
Viennæ ma-
le Luthero
ejusque as-
suetis tribu-
tai*

An ad impedimenta Evangelici cursus vel promotionem potius referre debeam Turcorum irruptionem per Hungariam in Austriam, & obsidionem primariæ ejus urbis, *Viennæ*, d. XXVI. Septembr. susceptam, fere ambigo. Nam si hosti barbaro conatus successisset, universam religionem Christianam, Catholicosque cum Evangelicis oppressisset. Potuit tamen etiam subesse manus divina, ut à persecutione Evangelii ita impedi- rentur Pontificii. *Maimburgius* scribit, *Lutheranos* in causa fuisse,

fuisse, quod Solymanus cum ducentorum millium exercitu in Hungariam irruens, ut ibi Wayvodam Transylvaniae contra *Ferdinandum* stabiliret, nihil, quod resistere valeret, invenerit, parumque abfuerit, quin Viennam caperet. Verum *Seckendorffius* satis diluit hoc accusationis intempestivæ caput, & partem culpæ in *Ferdinandum* transfert, qui tempus, quod in Comitibus Spirensibus triverit, utilius in Hungaria & cura belli Turcici impendere potuerit; sed Cæsari fratri gratificaturus, qui Pontificis amicitiam tum sedulo ambierit, & ab Ecclesiasticis persuasus, zelum insignem contra Evangelicos ostentaverit, majoremque Evangelicorum, quam Turcorum coercendorum curam habuerit. Idem quoque observat, fatalem quendam languorem ad bellum Turcicum etiam eos invasisse, qui Catholici vocabantur. *D. Lutherus*, quemadmodum ex libello ipsius de bello Turcico supra retuli p. 281. satis monuit, & castigavit Principes in Comitibus Spiræ congregatos, quod rem tantam non serio tractaverint. In *Concione* deinceps peculiari, quam *bellicam* vel *excitatoriam ad bellum contra Turcos*, nominavit, (*eine Heerspredigt*) conqueritur primum, contemptui habita esse, quæ de hoc argumento antea scripsisset, secutamque cladem à se prævisam, persecutione Evangelii meritam, dum aliquot hominum millia paucis diebus trucidata & abducta sint, & ni Deus miraculose juvisset, nullum miseriarum finem in Germania futurum fuisse. Jam tamen regressis hostibus, divini beneficii oblitos Germanos, porcos ebrios, (*meine liebe Teutschen/die vollen Säuw*) potare denuo, & securos esse. Mox, cum investus esset in impenitentes & pertinaces hostes ac persecutores verbi Christi, ejusque confessorum, in eorum gratiam se edere & scribere præsentem Sermonem ait, qui verbum Dei amant, ut conscientias ipsorum recte instruat & manus confortet. Necesse enim esse, ut Christianus certo sciat, quis qualisque *Turcus* sit, secundum Scripturam S. quæ de duobus vaticinetur tyrannis truculentis,

ante extremum dñem Christianitatem vastaturis, quorum unus spiritualis sit, decipiens per fraudes sive falso cultu, de quo Daniel XII. 39. quemque Paulus 2. Theff. II. 4. *Antichristum* vocet, id est *Papa* cum suo Papatu: alter ferro, & corporaliter perdat, de quo Daniel VII. prolixè vaticinatus sit, quemque significaverit per cornu minus inter decem majora, quod Romani Imperii vires in Asia, Græcia & Ægypto potissimum oppreslerit, nec reliquas provincias infestare desinat. Hinc *Turcorum* blasphemias & injustitiam contra Christianos pluribus describit, & bona conscientia hos adversus eos arma sub auspiciis Regum & Principum sumere posse ac debere censet, cum sint hostes Christi & temerarii aggressores: interim quos illi, Deo permittente, sua tyrannide deleant, aut qui in bello justo contra eos cadant, martyres Christi esse, dummodo pœnitentes & pii sint, quales omnes esse deceat, qui huic militiæ nomen dent, quemadmodum in libello antehac publicato satis monstraverit. Nobilitatem autem, quæ hucusque otio & luxu torpuerit, & plebem, magna ex parte male feriatam, merito ad hujus militiæ onera vocari, censet; cum enim prosperis rebus insolenter usi sint, adversas quoque ferre debere. Ad extremum obtestatur non solum captivos, ne se à Turcis cogi sinant, ut contra Christianos pugnent, sed etiam Cæsaris, Pontificis, aliorumque Principum subditos omnes, ne contra eos, qui doctrinam Evangelicam profitentur, arma capiant, ducive se patiantur.

Tom. IV. Alt. pag. 565 -- 580.

§. CLXXXIII.

Varii sermones Lutheri. Habuit hoc anno *Lutherus* multos alios sermones, qui etiam in Codicem *Postillarum Ecclesiasticarum* relati sunt, de (l) *Peccato in Spiritum S.* ad Matth. XII. 31. f. (m) *de matre & fratribus Christi*, ad Matth. XII. 46--50. (n) *de justitia propria*, quam homines sibi arrogant, ad Deut. IX. 5. 6. (o) *Explicatio Capitis XIX. & XX. Exodi*, de promulgatione Decalogi. (p) *In Cap. XVIII.*

XVIII. XIX. & partem XX. Evangelii Johannis, de passione & resurrectione Jesu Christi: in (q) capita septem priora, & in Cap. XXXII. Deuteronom.

(l) Tom. IV. Alt. p. 541. seqq. (m) ibid. p. 546. ff. (n) pag. 550. (o) pag. 580 -- 628. (p) pag. 644 -- 702. (q) pag. 707 -- 799.

§. CLXXXIV.

Atque hæc sunt Lutheri scripta homiletica. De Polemicis Libellus de data subinde occasione diximus; restat tamen forte adhuc u-
 clandestinis
 num, nempe libellus de clandestinis & surreptis literis, von heimlichen und gestohlenen Briefen / quo Georgio Duci acerrime re-
 literis ad
 Georg. Du-
 cem.
 spondet, ad publicatam contra se invektivam, ob literas ad Lin-
 cum scriptas, de quibus ad A. 1528. (pag. 256.) dictum aliquid est, nec non ob contumeliosam præfationem in Novum Testamen-
 tum Emseri German. Ubi inter furti & spoli species numerat
 alienæ epistolæ usurpationem, neque quidquam ex illa contra
 scriptorem sive autorem ejus produci posse aut debere, juxta
 tritum illud: de occultis non judicat Ecclesia; pro occultis autem
 & pro cogitationibus, quæ censuram judiciumque apud homi-
 nes non subeant, habenda esse, quæ quis mala curiositate ab
 altero expiscatur. Objicit Duci hostilem in se animum, qui satis
 pateat ex dicta præfatione Ducis ad Emseri N. T. & heretici no-
 ram sibi impactam repellit, & decretum Spirense A. 1526. quod
 unanimi ordinum consensu publicatum, & quo Wormatiense
 edictum abrogatum aut suspensum sit, ei opponit: modestius
 etiam se hucusque cum Duce egisse, quam Ducem erga se; non,
 quod non respondere possit, cum verbo Dei nixus omnibus So-
 phistis sapientior sit, Pl. 119, 99. f. De Pacciano fœdere nil se jam di-
 cere velle, & rogare omnes, ut Ducem excusatum habeant; sibi ta-
 men cogitare & sentire liberum esse, quid velit, & anxia operosaque
 illa Georgii excusatione suspicionem magis augeri, quam minui.
 Porro excusat explicatque verba sua, quibus in Epistola scripsit:
 Deus confundet $\mu\omega\beta\omicron\tau\alpha\tau\omicron\nu\ \mu\omega\phi\omicron\delta\upsilon$, quæ Germanice versa secius sunt:

GDII

Gott schände den allernährlichen Narren; se enim non posuisse confundat, & nil aliud designare iis voluisse, quam stulte facere Ducem, & fore, ut à Deo confundatur & pudeat, quia verbum Dei, ab se prædicatum, oppugnet. Inde rogat, ut quiete agat & clemens erga se sit Dominus; tum se omnia condonaturum, & apud Deum pro eo intercessurum. Si vero nolit, tum se exemplo Moïsis contra Korachum suum oraturum, & Psalmum VII. usurpaturum, cujus paraphrasin subjicit, ad se ubivis applicatam; in ea, Deum testem & judicem compellat, si seditiosam & hæreticam doctrinam protulerit, temerarioque ausu Papatum adortus & non magis ab eo excitatus sit &c. Hunc libellum valde exagitavit *Cochlaus*, & *Dux Georgius* questus est apud Electorem de eo, qui ei respondit, sibi quidem acta non placere, Ducem tamen in edendo diplomate nimis festinasse; tolerasse tamen se, ut in sua quoque ditione affixum fuerit: *Luthero* etiam injunxit, ne posthac quidquam ederet, quod ad Electorem, *Georgium* aliosque pertineret, nisi prius in aulam misisset.

Tom. IV. Alt. pag. 628 -- 642. Seckendorf, p. 148. seq.

§. CLXXXV.

*Consilium
dedit Luth.
an Abbas in
monasterio
manere vel
exire inde
debeat?*

Epistolas præcipuas à *Luthero* scriptas subinde indicavimus, & summam earum adduximus: ex iis, quæ restant, non ultimum locum meretur Epistola ejus ad Electorem *Johannem* scripta, qua ad quæstionem, per Cancellarium Pontanum propositam, *quid faciendum sit Abbati cuidam*, illustri genere nato, si à *Cæsare* ipsi mandetur, ut cucullum denuo induat? responsum consiliumque Theologicum dare jussus erat. Sic autem respondit: se in rebus, Deum & conscientiam concernentibus, non libenter quidquam vel suadere, vel dissuadere; Scripturam S. enim id satis docere, non tantum per modum consilii, sed etiam per modum præcepti: & quemque fidem & conscientiam suam excutere certumque de factis suis esse debere. Ignorare se, an
Abbas

Abbas iste, licet crederet, satis firmus & stabilis sit in fide, ad perferendas persecutiones, & molestias, quæ graviores incumbant illustri conditionis hominibus, utpote delicatius educatis & habitis. Interim id se suadere in re adhuc dubia, ut *Abbas* dilationem quærat, cum fieri possit, ut monasteria omnia, aut multa aperiantur, sicque sine ignominia & periculo, & cum subsidiis quibusdam, inde discedat; secus autem si fieret, ut se ipsum suamque conscientiam consulat. Tutius tamen videri, si in monasterio maneat; cum ibi occasionem habeat plura præstandi bona, abominationes cum tempore abolendi, veritatem & libertatem conscientis procurandi, quemadmodum *Abbatissa Gerenrodensis*, pluresque Antistites utriusque sexus fecerint. Quod si vero Abbas conjugii desiderio arderet, consulendum ei esse, ut, quia inter Pontificios haud probrosum sit, foeminas in consortio Clericorum esse, aliquam sibi, cum occulta conjugii legitimi pactioe, jungat, donec Deus tempora mutaverit &c.

Tom. IV. Alt. pag. 599. seq.

§. CLXXXVI.

In opere Biblico Germanice vertendo & Prophetarum *Librum Sapientia* translatione continuanda, Comititia Spirensia moram injecerunt, ad quæ *Melanchthon*, laboris istius socius, abierat, & ægritudo *transfert* Lutheri; ne tamen plane otiosus esset, *Librum Sapientia*, ope *German.* amicorum, ex Græco Latinoque transtulit, licet jam *Leo Juda* & præfatione *ne ornat.* Tiguri vertisset, hac tamen ejus versione non absterrebatur, quia eam Noster quidem legit & contulit, sed non probavit & ad *Lincum* scripsit: *mirum quam nihili sunt, quæ Leo Tiguri transtulit.* In præfatione *Lutherus* hunc librum inter *Apocryphos* refert, & *Philoni* tribuit, licet *Salomonis* dicatur *Sapientia*, quod autoritatis majoris gratia factum à veteribus fuerit, ut tyranni & Reges, propter quos in primis scriptus liber sit, libentius eum legerent. In *Ecclesia Romana* pro Canonico habitum, & plu-

& plures ex eo, quam ex ullo alio scripto, formulas tantum Ecclesiasticorum petitas ideo forte esse, quia tyranni tam acerbè reprehendantur, sancti autem & martyres extollantur & erigantur, & Romæ Christiani magis quam alibi crucientur. Cætera petantur ex præfatione ipsa in Biblico Codice. Pleraque enim quæ adduximus, in ea sunt omissa.

Tom. IV. Alt. pag. 555. b. seq.

§. CLXXXVII.

*Præfationē
in Oecono-
miam Chri-
sti Menii
facit*

Varias autem variorum doctorum piorumque virorum opusculis præfationes præmisit, i. libello *Justi Menii de Oeconomia Christiana, von Christlicher Haushaltung*/præfixit Epistolam ad *Johannem Metschium*, Capitaneum Wittebergensem, qui cælebs vivebat. In hac sive Epistola sive præfatione urget necessitatem conjugii, ex præcepto divino omnibus, qui dono continentia carent, dato, quod inculcari frequenter debeat; ita tamen, ut addatur etiam, non sufficere, in conjugio vivere, bona & honores habere, educationem autem liberorum negligere; de qua multa egregie & severe monet, parentesque obligatos esse ait ad eam, & si negligant, Magistratum illos punire vel exterminare debere, tanquam homines pestiferos, ac Turcis Tartarisque peiores: quia, quantum in ipsis est, nil aliud faciunt, quam ut status Ecclesiasticus & Politicus intercidat, & Oeconomia cum disciplina pereat, maneatque bestia & sues, nil nisi fruges consumere nata. Ostendit denique parentes plus inservire posse educatione filiorum Reipublicæ & Ecclesiæ utilium, quam si cœnobia & templa fundarent, arces & urbes extruerent. Nec liberum esse parentibus hoc facere, vel omittere, sed cogitare ipsos debere, quod obstricti sint Deo ad status istos conservandos; & si filium habeant idoneum ad munus sacrum vel politicum, eum vero Deo denegent, quod sacrilegium committant, & multa animarum millia è regno Deo rapiant & in oreum præcipites dent.

Tom. IV. Alt. pag. 557. seq.

§. CLXXXVIII.

§. CLXXXVIII.

Brevem etiam sed nervosam & gravem præfationem *Com- in Melanch-*
mentario Melanchthonis in Epistolam ad Colossenses, secunda vice thonis Com-
 edito, & à *Iusto Jona* latine converso, præmisit, qua magnifice *mentar. ad*
 commendat & Commentationem & ejus autorem. Eam, ait, *Coloss.*
 breviter & perspicue tradere, quid doctrina & vita Christiana
 sit; ut adeo libellus parvus quidem mole, sed magnus utilitate
 dici, & in sinu gestari queat, ad exercitium quotidianum, tan-
 quam thesaurus Christianus. Se *Melanchthonis* libros plus,
 quam suos amare, & malle, ut illi, quam sua edantur; quia ipse
 ad hoc natus sit, ut cum sectis & ipso diabolo continuo digla-
 dietur, unde sui libri impetiosi & pugnaces sint, dum stipites
 & truncos eradicare, spinasque & sentes excindere, & lacunas
 explere cogatur, & importunus viarum sylvestrium strator &
 complanator sit; *Philippum* autem leniter & placide incedere,
 ædificare, plantare, ferere, irrigare, amœne & jucunde, pro gra-
 tia divinitus ei data. Hinc felicia prædicat illa tempora, quibus
 ejusmodi libelli in lucem prodeant; deplorat tamen simul
 summam hominum ingratitude & satietatem fastidiosam,
 unde futurum ominatur, ut verbum rursus à nobis auferatur,
 & pristina miseria redeat. Piis tamen commendat hunc com-
 mentarium, qui suum in eo paradysum habeant, & Christum
 Jesum inveniant, tanquam arborē vitæ, qua exsatiari ne-
 queant.

Tom. IV. Alc. pag. 702. b. 703. a.

§. CLXXXIX.

Aliam præfationem scripsit in *Casparis Huberini* libellum *in Casp. Ha-*
de ira & gratia Dei, qua significat, quod illum edendum com- *berini lib.*
 mendaverit, 1. quia utilis sit omnibus Christianam doctrinam *de ira &*
 amantibus: 2. pios confortet adversus multiplices sectas & ca- *gratia Dei.*
 lumnias, per quas diabolus iratus contra Evangelion furit. Hu-
 jusmodi tamen libellos Nostrorum egregios, Christum ingenue
 confi-

confitentes & prædicantes, satis tutos futuros in petra, super qua ædificati sint, contra ventos & imbres irruentes. Patimur ergo, inquit, nunc Papistas, Erasmitas & Sectarios, cum suis calumniis & mendaciis, in petram nostram incurrere & offendere, probe experturos, quid damni & ignominia inde reportent. Superbimus, quod multum habent ventorum, pluviarum & aquarum; nos confidimus petrae, hostium iudicio, egenae & contemptae, sed firmissimae & potentissimae, ac nolumus quicquam ventis aquisve inædificare; cum satius sit diverberare, ut diffuant.

Tom. IV. Alt. pag. 703. a. b.

§. CXC.

*in Venatorii
Tr. de con-
solandis
morientibus*

Denique præloquio ornavit *Thoma Venatorii*, Norimbergensis, *Instructionem de consolatione morientibus proponenda*, inque eo commemoravit, quod libellus iste jam antea publicatus & ab adversariis probatus fuerit, in quo tamen non *Papistica* sed *ymptotica Lutherana* (ceu dicunt) doctrina contineatur; cum manifestum sit, Pontificios, in cumulum congregatos unum, non potuisse, cum tota sua arte, talem libellum componere. Et se credere facile, si vel suum vel alterius noti Lutherani nomen præfixum habuisset, quod eum nec edituri, nec lecturi fuissent: idque suis accidisse libris, quos adversarii sæpe laudaverint & legerint, absque auctoris nomine prodeuntes; simulac vero nomen comparuerit, hæreseos damnaverint. Ad extremum orat omnes pastores & auditores, ut studium omne cum Venatorio conferant ad fidem, eamque urgeant & exerceant. Stolide sanctos enim, Pontificios & Sectarios, summum hoc caput non intelligere, nec urgere, Diabolum quoque per eorum stultam sanctitatem & spiritualitatem (*Geistrey*) quærere non tantum istas ineptias stabilire, verum etiam præcipuum hunc locum (de fide) qui caput ejus conterit, & regnum evertit, penitus extirpare.

Tom. IV. pag. 703. b. 704. a.

§. CXCI.

§. CXCI.

Ex Epistolis quædam adhuc recenseri merentur, quarum *Epist. de Baptismo conditionali*, quem *Lutherus*, re diligenter pensata, & cum Philippo collata, nullum, adeoque tollendum esse de Ecclesia statuit, ex hac ratione, quod conditionalis nihil ponat, neque neget, neque affirmet, neque det, neque tollat. Igitur, ubi dubitetur, vel ignoretur baptisatum esse hominem, ibi simpliciter baptisandum esse, absque conditione, ac si nunquam esset baptisatus. Tutius hic peccari, in hoc casu, in rebaptisando, si modo peccetur, quam incertum Baptisatum dando, ubi vere peccetur. Hoc non efficere Anabaptistas, qui primum Baptisatum certum aperte damnant, & Baptisatum dici nolunt. Nos vero incertum Baptisatum suo fato relinquere, & iudicio Dei committere, certumque Baptisatum administrare. Nec opponi posse legem zelotypiæ, quum lex & Evangelium sint diversæ res. Si quis autem mutata forma baptiset, prorsus nullum esse Baptisatum.

Supplem. Epist. Luth. D. Buddei pag. 78. seq.

§. CXCII.

II. Consolatoriam epistolam pro persona tentata valde exaravit, qua suavit: 1. ne tentatus seipsum consideret, aut ex sensu suo (*sichselten*) iudicet, sed ex verbo Dei totus pendeat. 2. Ut cogitet, se non solum esse, qui tales tentationes patitur, sed multos passim in mundo similiter ita tentari, 1. Pet. I. 6. ut exemplum Davidis aliorumque ostendit. 3. Ut caveat, ne liberari se a tentationibus petat, nisi Deo placuerit, sed cum Salvatore dicat: Luc. XXII. 42. *tua, non mea voluntas fiat.* 4. Ut Deum laudare incipiat Psal. XVIII. 4. tristitiæ autem nequaquam indulgeat. 5. Ut gratias agat pro tam gratiosa visitatione, qua multi indigni & orbiati sint. Hocque in casu recitandum esse Psalmum CXLII. quem breviter explicat, & dicta Scripturæ consolatoria aliquam multa subjicit.

Tom. IV. Alt. pag. 642. b. 643. a. seq.

Q9 3

§. CXCIII.

§. CXCIII.

Epist. ad Albertum Comitem Mansfeld.

III. Hoc tempore quidam verbi minister libellum vulgavit, quo factum certi Principis improbabat; hoc cum offendisset aliquos summo loco natos, illi ad Comites Mansfeldios hoc nomine minaces literas scripserunt, qui Lutheri iudicium de isto libello & consilium, quid respondere accusatoribus pastoris debeant, expetiverunt. *Lutherus* excusat pastorem, quia Princeps iste (*Ulricus Wurtembergicus*, quem Landgravius Hassiæ fovebat) à Cæsare & Suevici fœderis Principibus condemnatus sit, & jure ejectus præsumi debeat, quamdiu nondum probetur injuste hoc factum esse. Deinde, si quid peccatum hic à pastore esset, eum satis castigatum à *Ludovico Passavantio*, in libello venenato ei opposito, & in Hassia edito, quo ipse quoque ac *Melanchthon* offensus gravissime sit, dum autor mendacissimus seditionis autores eos impudentissime scribat, quum tamen toti orbi constet, non alios magis diligenter contra seditionem & pro magistratu stylum strinxisse, quam seipsos.

Tom. IV. Alt. pag. 705. 706.

§. CXCIV.

ad Metſchium de toleranda religione contraria.

IV. Non prætermittenda est brevis Epistola ad *Josephum Levinum Metſchium*, equitem in Voigtlandia, in qua ad quaestionem pastoris in oppidulo Mila respondet, licet nemo ad fidem cogi debeat, non tamen ferendas esse calumnias in doctrinam veram, sed adversarios fundamenta sua indicare & audire contraria (*das Gegentheil*) ac si nil reponere queant, silere oportere, & credere secum (*bey sich selbst*) quicquid velint. Ita fecisse Norimbergenses & Wittenbergenses. Nam, ubi fieri possit, contraria religionis exercitia publica toleranda uno in loco non esse, & suadet, ut, etsi ad fidem nemo sit cogendus, eo tamen adigi possit, ut conciones audiat, & externæ saltem disciplinæ sive decalogi se submittat. *Seckendorffius* Indic. III. in supplendis ad hunc annum, dicit, hanc Lutheri sententiam non carere difficulta-

culcate, & ex aliis ejus scriptis interpretandam esse. Ego tamen nihil video difficultatis, si integra Lutheri mens, quod factum à nobis est, proponatur. Satis enim caute & limitate scripsit: wo mans schaffen kan/ soll man in einerley Obrigkeit / zwieträchti- ge Lehrer nicht dulden/ zu vermeiden weitem Unrath ic.

Tom. IV. Alt. pag. 704.

S. CXCIV.

Annus M. D. XXX. maxime memorabilis est propter A. 1530. Confessionem Evangelicorum, Augustæ Vindelicorum Cæsari Comitia exhibitam, & acta, cum eam antecedentia, tum consequentia. Augustæ à Carolo V. in- Quia vero integra & satis proluxa volumina de hoc argumento dicta clem- extant, breviter ea duntaxat tangemus, quæ ad institutum menter es- nostrum ejusque rationem spectant. Nam dubia fere spes ap- humaniter, parebat, magisne Comitia à Cæsare indicta, ad incrementum vel decrementum impedimentumve Evangelii spectarent. Carolus V. mature quidem, nempe d. XXI. Januar. ex Italia literas ad Imperii Ordines misit, & clementer liberaliterque promisit, se indixisse Comitia Augustæ d. VIII. Aprilis habenda, 1. ut delibetur de auxiliis contra Turcam: 2. de dissensionibus in causa sancta religionis & Christiana fidei, & ut in hac religionis causa, partium opiniones ac sententiæ inter sese, in caritate, lenitate & mansuetudine mutua audiantur coram, intelligantur & ponderentur, ut illis, quæ utrinque in Scripturis secus tractata aut insellecta sunt, sepositis & correctis, res illæ ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur, ut de cætero ab omnibus una, sincera & vera religio colatur: idemque post coronationem Bononiæ à Pontif. d. XXIV. Febr. factam, repetita scriptione, qua Comitia ad Calendas Maji prorogavit, confirmavit, & humanioribus verbis insinuavit; sed quidam quidam Ordinum Protestantium eorumque ministrorum, me- subdole & mores fœderis cum Clemente initi, (de quo S. 174. pag. 294. seq.) astute facti & juramenti in inauguratione præstiti, quod perpetuus defensor putant.

Ponti-

Unde con-
sultant Pro-
testantes,

dissuadet
Lutherus
bellum con-
tra Cæsare.

*Pontificiæ dignitatis futurus esset, rationes dubitandi habuerunt, & moverunt, an astute & callide, vel serio Imperator talia scrip-
sisset, & si de Cæsare hoc omnino credi deberet, an non Cle-
rici omni nilu & contentione id acturi sint, ut Imperatori aliud
persuadeant, & ab ista via regia & Christina eum subdole de-
ducant. Hinc quoque consultarunt, quid pro defensione sua
agendum esset, an comparere tuto in Comitibus indictis possent,
& an non potius expediret, imminens malum prævenire, Cæsari
armata manu occurrere, & Alpium transitum impedire?*
Saxonix Elector denuo à Luthero super hac quæstione respon-
sum poscit, qui collatis cum *D. Jona, Pomerano & Melancthone*
sententiis, persistit in opinione, antea per scripta, (sup. p. 295. f.)
& Hero suo rescripsit, concludi forte è civili jure posse, quod li-
ceat resistere Cæsari hoc in casu, cum Imperator juramento
se obstrinxerit, quod neminem vi adoriri, sed cuilibet pristi-
nam libertatem relinquere velit; è sacris literis tamen patere,
neminem, qui Christianus esse velit, opponere se posse Magi-
stratui suo, sed vim injuriamve illatam patienter ferre debere.
Civile & Papale jus non spectare, quod Magistratus sit divina
ordinatio; at quia Cæsar & Princeps maneat Cæsar & Princeps,
tamen omnia præcepta Dei transgrediatur, imo Ethnicus sit:
ita quoque eum pro tali habendum nec vi ei resistendum esse,
licet vi agat contra pacta jurata, nisi prius unanimi consensu
deponatur. Effatum Christi, *dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, fir-
mum ratumque habendum: & eam juris regulam, *vim vi re-
pellere licet*, nihil hic valere contra superiores, ac ne quidem
contra pares, eique ob stare aliam regulam, *nemo in propria cau-
sa judex sit*; item, *wer widerschlägt / der thut unrecht*. Jam &
omnium Principum subditos Cæsaris quoque subditos esse, imo
huic magis quam illis subjectos; adeoque nefas esse, si quis Cæ-
saris subditos contra Cæsarem defendere velit. *Appellationem*,
qua usi sint, aut deinceps usuri, inutilem esse; eam enim aut
reje-

rejectum iri, aut, si maxime de ea cognoscatur, non de fore judices, qui Cæsaris acta defendant, ab his autem rursus, & in infinitum, appellari non posse. Quapropter satius esse vim pati, & Deo rem committere, fidem constanter servare, etiam cum jactura fortunarum ac vitæ. Quod si vero Cæsar eo adigere Principes velit, ut subditos suos propter Evangelium capiant, occidant, vel expellant, & Principes credant sciantve, Cæsarem injuste, vel contra Deum agere, hoc in casu, cum propriam etiam ipsorum fidem concernat, non debere eos Cæsari obtemperare, nec se participes facere tanti peccati. Deum de cætero openlaturum & media reperturum, ut verbum suum conservetur, sicuti Christi & Apostolorum tempore in primis, & semper fecerit, Jes. XXX. 15.

Tom. IV. Alt. p. 13 & 14. & p. 52. 4. b. Chytraeus Hist. Aug. Conf. p. 10 - 15. Seckendorf. p. 151. Jo. Jach. Müller. L. III. Cap. IV. & V.

§. CXCVI.

Biduo post scriptam hanc epistolam Theologorum, Elector iis mandavit, ut, cum opus omnino sit, de articulis controversis, tum in fide, tum in ritibus, certum aliquid constitueret, in quo, Dei ope bonaque cum conscientia, vel subsisti, vel tractati, vel cedi possit, quantocyus sententiam suam de iis conciperent, & ad se Torgaviam perferrent. Factum hoc à Theologis sine mora, &, Luthero moderante, *confessio Christiana Doctrina & Fidei XVII. Articulis comprehensa*, consignata fuit, qui celebris *Confessionis Augustanae*, ut Maimburgius scribit, *materia*, vel, ceu *Cælestinus* ait, *archetypus* extitit. Agunt autem. 1. de Deo & SS. Trinitate. 2. de Incarnatione Christi. 3. de Passione Christi. 4. de Peccato Originis. 5. de Justificatione. 6. de natura fidei justificantis. 7. de Evangelii prædicatione. 8. de Sacramentis. 9. de Baptismo. 10. de Sacramento altaris. 11. de Confessione auriculari. 12. de Ecclesia Catholica. 13. de Judicio extremo. 14. de Magistratu politico. 15. de prohibitione.

Elect. Sax. Theologos jubet articulos controversos componere.

bitione matrimonii & esus carniū. 16. de abrogatione Missæ. 17. de Ceremoniis. Hanc confessionem deinceps in Comitibus Augustanis examinarunt & censura notarunt Theologi Brandenburgenses, *Wimpina, Mensingius, Rebdorfius & Elgersma*, Electorique suo exhibuerunt.

Tom. V. Alt. p. 14. b. -- 20. Seckend. p. 151. Müller. Cap. VI.

§. CXCVII.

Electo Sax. *Johannes Sax.* Elect. non tantum literis Cæsareis, pro invito, re scriptis, ad Comitibus invitabatur; sed etiam à Rege *Ferdinando* speciatim per *Comitem Mansfeld. Hojerum*, semel iterumque rogabatur benevole, ut ipse compareret, (*in eigener Person*) tanquam Christianus Elector, & unum præcipuorum Imperii membrorum. Dissuadebant nonnulli optimo Electori iter Augustanum, & Landgravius Hassiæ cum primis contrarium suadebat, allatis aliquot argumentis non contemnendis, aut moram quandam interponendam esse, existimabat. Electoris tamen Consiliariorum sententia prævaluit; *Pontanus* Cancellarius eam consignavit, responditque ad trium quæstionum primam, quæ præsentiam ejus in Comitibus spectabat, omnes optare, ut Elector ipse Augustam tendat, cum magnum sit habitura momentum ejus præsentia. Tentandum ergo iter esse, quantum per valetudinem liceat: & si vires illud perficere haud finant, excusatum ipsum fore, cum nemo non perspicere possit, voluisse Electorem Cæsari obsequium testari. His perceptis, Elector Cæsari adventum in Germaniam per literas gratulatur, & se, Deo vires valetudinemque largiente, certo ad futurum, præstituto tempore, pollicetur, ac iter cum Deo ingreditur Dominica Judica, assumtis Principe hæreditario, Duce Lüneburg. *Francisco*, Principe Anhaltino, *Wolfgango*, quatuor Comitibus, septem Consiliaribus nobilibus, & tribus doctis, 70. equitibus ex nobilitate. Ex Theologis secum duxerat *Lutherum, Spalatinum & Melancthonem*; *Agricolam* Comes Mansfeld. Comitibus sibi junxe-

ut in propria persona Comitibus interesset,

id promittit, si valeat,

Et iter ingressus.

junxerat. *Lutherus* Vinariæ, in arce Græfenthalensi & Coburgi (ubi Elector eum reliquit, securitatis gratia) *Agricola* Norimbergæ, *Jonas* Donavverdæ concionati sunt. Elector cum Comitatu d. II. Maji Augustam primus ex omnibus Principibus, ingressus est, mirantibus valde adversæ partis hominibus, qui fore putaverant, ut Comititia subterfugeret. Itaque hæc illius constantia celebrari passim cepit per Italiam & Germaniam; à quibusdam etiam metus incuti, quasi vim pararet, nominatim à *Joachimo*, Electore Brandenburgico, *Georgio* Saxonix, & *Guilielmo* Bavarix, Ducibus, Evangelicæ causæ omnium infensissimis, qui Cæsari Oenipontem usque obviam profecti, eumque de Electoris Saxon. maturo adventu & splendido Comitatu, nescio quid suspicantem, confirmasse dicuntur, ut mascule ageret, sex mille equitum præsidium ei offerentes. Pontificios etiam male habuit, quod Elector & *Philippus*, Landgravius, in religionis causa tam confidenter egerint, ut conciones publice in templis à suis Theologis haberi jusserint. Hoc igitur Cæsari sine mora significant, & ab eo petunt, ut severum eo nomine interdictum promulget. Cæsar simulac id rescivit, Legatis Saxonis (miscrat enim Elector diversis vicibus ad *Carolus*, cum ut gratularetur ei de coronatione, tum negotia sua commendarent, tum ut quædam excusarent) dixit, vereri se, si sui, Principum & Augustanorum Concionatores adversa fronte inter se pugnarent, & contraria docerent, ex his dissidiis ingentia scandala & pericula exoritura esse. Proinde se statuisse, mandare, ut, quoad *Augusta* fuerit, ex utraque parte conciones cessent; quia speret, ita citius Ordines Imperii conciliari posse. Ad quæ regesserunt Legati, per interdictum concionum conscientias valde gravatum iri, cum omnia dona gratiæ ex fide fluant, fides autem sit ex auditu verbi, & primum quæri debeat regnum Dei. Insuper expendenda esse offendicula & apostasiæ suspicionem, quam vulgus inde concipere queat. Hæcque omnia *Dolzigtus* Electori

ea de re
consultis
Theologis,

etori sine mora renunciavit, eum in finem, ut deliberaret, quid officii sui hac in parte sit. Nec cunctatus Elector, rem protinus Theologis suis cognoscendam & dijudicandam committit, qui tertia vice instituta deliberatione respondent in eandem fere semper sententiam, si Cæsar ejusmodi quid postulet, I. Electorem subjectissime id deprecari debere, ac demonstrare, se piis admonitionibus & consolationibus ex verbo Dei petitis nullo non momento indigere, & verbum Dei non esse alligatum: conciones in duobus Comitibus à suis habitas sine contentionibus & tumultu: nec damnatam esse doctrinam Evangelicam, quam prædicent, sed ad Concilium rejectam; nunquam enim humana somnia, vel absurda & à Scriptura S. aliena dogmata Theologos suos proposuisse, sed salutaria & utilia, ac ad emendam vitam maxime necessaria. II. Si Cæsar publicas quidem conciones prohiberet, privatas autem permetteret, tum non esse resistendum, cum locus tantum sit mutatus, & quia Elector imperium non habeat in urbe Augustana, mutationem loci æquo animo ferendam esse. III. Si vero etiam in hospitibus prohiberet Cæsar, ne tum quidem aliquid hostiliter tentandum, sed obtemperandum, & illatam injuriam propter nominis divini gloriam, patienter tolerandam esse, quemadmodum qui in vincula conjicitur, repugnare non possit. Interea autem intrepido animo coram Cæsare omnibusque Imperii Ordinibus profiteri ac recensere debere Electorem, quam mirabiliter ad purioris doctrinæ cognitionem pervenerit, & quam nullis minis aut pollicitationibus abduci se ab ea professione patiat, memor verborum Christi Matth. X. 32. seq. Non aliter *Lutherus*, ab Electore quoque consultus, respondit, nempe, Cæsari, tanquam Domino, urbem Augustam & omnia subjecta, adeoque intermitteri aliquid petenti, aut mandanti, non esse resistendum, si idoneis rationibus flecti nequeat. Reperitur denique in *Archivis* consilium cujusdam Saxonici Consilarii, forte *Pontani*, qui ar-

cana

cana Cæsaris, vel potius Papæ, detexit, ac censet, ignominiosum ipsis videri, si Augustæ, præsentis Cæsaris, contra ejus edictum, & fortassis etiam promissum Papæ datum, nova doctrina, ceu adversarii contendebant, publice indulgeretur, ac principium opprimendi Evangelium subesse suspicatur, cum resistendum deliberandumque sit, an, quia Magistratus Augustanus publice concessit Electori Evangelium prædicandi, sine damno consentire in ejus abrogationem queat. Tandem etiam *ut es de esu* deliberatum fuit ante Cæsaris adventum, quid faciendum sit, *si carnum.* *Casar carnis esum* diebus vetitis prohiberet. Ubi respondit *Melanchthon*, in re per se non illicita parendum esse Cæsari. Ad id vero, quod opponi poterat, in Comitibus Spirensibus jejunia illa à Protestantibus servata non esse, reposuit, negari non posse, multam petulantiam exerceri à voratoribus carnis, imprimis aulicis, ac magis offendi imperitos, quam ad Evangelium adducimiseram esse sanctitatem, quæ ponatur in esu carnum, ac interim commestrationibus & compotationibus quotidie indulgeatur.

Seckend. p. 153. a, b. Müller. l. c. Cap. IX.

§. CXCVIII.

Ex dictis adversariorum machinationes haud obscure patent, utcumque eas occultaverint. Pontificii enim modus procedendi, quem Cæsar in literis ad Ordines Imperii servaturum se promiserat, maxime displicebat. Unde Legati & Nuncii ac Principes nonnulli Pontificii Cæsarem comitantes, Onipotentem usque, animum ejus nonnihil abalienarunt. *Autor Apologia MS. contra scriptorem Pontificium historiae Aug. Confess.* apud Müllerum p. 195. arguit hypocrisin, qua usi nonnulli Papi-colæ sunt Augustæ, ante Imperatoris adventum, quando Protestantium Theologos & Pastores ad se vocarunt, eorum amicos se simularunt, & præ se tulerunt, ac si nequaquam impedire cuperent Evangelium. Interdum quoque de articulis quibus-

Rr 3

dam

dam controversis cum illi collocuti sunt, ut expiscarentur, an Status Christiani, & ipsi, constanter tueri vel cedere vellent. Alios gratia & promotione Cæsaris allicere, alios ejusdem potentia insigni detertere & ad defectionem inducere studebant. Quod postquam resciverunt Evangelici proceres, prohibuerunt suis periculosam illam cum adversariis conversationem. Fama quoque increbuit, Cæsarem studio adventum suum prorogasse, ut Protestantes moræ pertæsi, & sumtuum onere gravati, (nam Saxon. Elector singulis septimanis pro pane solum centum florenos, bis mille in alia expendeat) re infecta domum redirent, totaque Comitiorum actio in ventos abiret. Quicquid vero hujus sit, id negari nequit, Protestantes nil moderati sibi polliceri potuisse, posteaquam Cæsaris Cancellarius supremus, *Mercurinus Gattinara*, (quem Cattinarium Sleidanus vocat) Oeniponte obiit, qui, ut *Melanchthon* Luthero significavit, *vir summus & moderatissimus*, & in adversa valetudine hac spe secutus fuit Cæsarem, quod arbitraretur fore, ut res Ecclesiasticæ rite constituerentur & placide componerentur. *Lutherus*, cum intellexisset Electorem Sax. de mora & minis quorundam nonnihil sollicitum esse, literis eum erexit, argumento inde petito, quod tot sumtus & labores, propter Deum ejusque verbum purum, sustineat, Deumque amicum habeat, adeoque lætari debeat de gratia Dei & felici successu Evangelii in ditionibus suis, & fructu, qui in juventute in spem Christianitatis succrescente, instar paradisi, conspiciatur. Fretum igitur Electorem esse posse, & bona causa, quæ Dei sit, & precibus piorum ardentibus, quas Deus certo exaudire dignetur. Elector Luthero gratias propterea egit.

Tom. V. Alt. p. 23. f. Chytr. p. 29. Seckendorf. p. 154. b. 155. a, b. pag. 156. b. 157. b. Müller. p. 495. & 500. Budd. in suppl. Epist. Luth. p. 84. seq. & 95. seq.

§. CXCIX.

Interea vero dum expectatur Cæsar, Elector cum aliis Evangelicis Principibus deliberat de adornanda sive Confessione sive Apologia, (hoc enim quoque nomine Augustana Confessio vocatur) & Philippo Melancthonⁱ injungitur, ut septendecim Articulos à Luthero delineatos in eam formam redigeret, quæ tradi Cæsareæ Majestati possent. His partibus diligenter Philippus est defunctus, & XXI. articulis doctrinam, septemque abusus concernentibus, complexus est Confessionis summam, quam Elector protinus Luthero, Coburgi latitanti, transmisit, & ab eo petiit, ut omnia revideret, expenderet, & si placeret, approbaret, vel si quid addere vellet, annotaret. Lutherus autem respondit, cuncta sibi placere, nec quicquam se corrigere aut mutare posse, neque convenire, ut à se aliquid emenderetur, cum ita delicate & molliter incedere nequeat. Melancthon postea limavit nonnihil & amplificavit quosdam articulos, idque Luthero significavit.

Chytr. Hist. Aug. Conf. p. 24. seq.

§. CC.

Lutherus Coburgi satis diu hærens, minime otiosus fuit, licet ad Lincum scripserit, se otiosum ibi sedere, incertum de Comitibus & Cæsaris adventu; significat enim eidem, se quod reliquum est prophetarum, vernacule dare instituisse, & Hieremiam pene absolvisse. Ad Cordatum scribens d. XIX. & ad Hausmannum d. XXV. Junii, nunciat, se, post absolutum Jesaiam, Ezechielem aggredi, sed primum eleemosynam aliquam daturum pauperibus typographis, aliquot exemplaribus, inter quæ Psalmus Confitemini. Ad Melancthonem jam ante d. XII. Maji scripserat, se suam investivam contra Ecclesiasticos jam dudum absolvisse & Wittembergam misisse, vertisse quoque duo capita Ezechielis de Gog, cum præfatione, quæ simul excudentur. His absolutis, inquit, Prophetas (minores) in manus sumpsit & im-

Melancthon confessionem adornat ex 17. art. Lutheri.

Lutheri occupationes Coburgi.

& im-

& impetu magno rem aggressus, statuebam ante Pentecosten omnes Prophetas versos habere. Post ea Æsopi fabulas, pro puerili & rudi vulgo, ut utilitatem aliquam Germanis afferant, adornate proposuisse scribit. Comitiorum futurorum faciem cum animo lustraret, ad amicos & familiares, *D. Jonam & Spalatinum*, perscribit jocum de Comitibus monedularum, quem in totum exercitum Sophistarum & Cochleitarum, ex toto orbe coram se congregatorum, scite applicat. In Epistola ad *Spalatinum* etiam Nobiles ferire videtur, quando de nomine *monedula* ludit, & satis gloriæ & laudis ex eo aves istas habere dicit, cum *Monedula* sit quasi *Man Edel* seu in versis verbis *Edelman* / nisi quod (subdit) hic incipit injuria vestrorum Comitiorum, ubi vestri *Edelmanni* virtute monedularia nimis excellunt, tamen nostri *Monedulini* in suis Comitibus uno prædominantur, quod forum habent vilius & tolerabilius, quam vestri habebunt *Augustæ*. Hæc satis pro joco, sed serio & necessario joco, qui mihi irruentes cogitationes repelleret, si tamen repelleret. In Epistola tamen ad *Jacobum Probst*, Theol. Lic. magnam spem esse, scripsit d. i. Junii, Cæsarem clementer acturum, & hactenus clementer Electori bis aut ter scripsisse, similiter & alios ex ejus aula, præsertim Comitem de *Nassau*. Hoc etiam insigne clementiæ ostendere, quod cum Duces *Bavariæ*, *Dux Georgius*, *Marchio Joachim*, prætereuntes *Augustam Insprugum* properassent, ut Cæsarem corrumperent, & prævenientes eum in *Electorem Sax.* incitarent, noluerit eosmittere, & se integrum in causa servare aliis quoque voluerit.

Tom. V. Alt. pag. 20. b. 21. a. Supplem. Epist. Luth. D. Budd. p. 86. 87. 89. 90. seq. 92. 103. seq. 107.

CCI.

*Cæsar d. 15.
Jun. Au-
gustam in-*

Venit tandem Cæsar, & d. XV. Junii *Augustam* attingit, tantaque circa vesperam magnificentia urbem ingressus est, quanta in Imperio antea visa non fuit, exceptus à Statibus ibi con-

con-

congregatis, qui obviam ei processerunt, & interprete Moguntino gratulati sunt, equis descendentes, quod Cæsar etiam cum fratre Ferdinando, licet rogatus, ne id faceret, fecit Pontificis Legatus tamen, *Laurentius Campegius*, & duo Cardinales, *Salisburgensis* atque *Tridentinus*, mulis suis immobiles insidebant: Legatus quoque majorem fastum exercendi occasionem arripuit religionis specie, cum, antequam Cæsar & Principes iterum equos conscenderent, benedictionem illis, in genua procumbentibus, impertiretur. Sed Elector Saxonie & Principes Evangelici primum constantie specimen edidere, cum submissionem illam omitterent, & erecti starent. Cumque Cæsar Legatum Pontificis sub eodem uranisco una cum fratre *Ferdin.* ingredi urbem cuperet, ex sequentibus rationibus, quod considerati debeat, non tantum tanquam Legatus à Pontifice missus, & peregrinus, qui præ aliis honore affici soleat, sed etiam ceu talis, qui omne studium adhibiturus sit, ut gravamina nationis Germanicæ tollantur &c. Electores tamen restiterunt, rogaruntque Cæsarem, ut ejusmodi locum honorificum Legato Pontif. si eum ducere illum veller, decerneret, qui consuetudini receptæ, & aureæ Bullæ pro Electoribus stanti, nil derogaret: nec Legato ingerere se volenti, ut lateri Cæsaris junctus solenniter introiret, id concesserunt. Denique in Templo primario, quod Cæsar urbem ingressus petiit, ac ubi Hymnus *Te Deum laudamus* decantatus fuit, Legatus de benedictione pronuncianda certavit cum Cardinale Salisburgensi, qui ad id faciendum prodierat, ubi is importune profiliit, & Cardinalem his verbis affatus est: *non tui, sed mei est officii, benedictionem dicere.*

Tom. V. Alt. p. 25. b. 26. a. Seckendorf. p. 161. Müller. L. III. Cap. XII.

§. CCII.

E Templo Ordines Cæsarem comitati sunt ad palatium Episcopi, pro hospitio ei designatum, ubi Cæsar jam sero vesperis, dimissis cæteris, Protestantibus expectare jubet, & ab iis perfratibus Protestantibus Principis postulat, ut processio-

ni corporis
Christi in-
terfuit,

sed recusant
pregnanti-
bus ex cau-
sis.

fratrem *Ferdinandum* postulat, ut concionatoribus suis silen-
tium imponerent, & Principes postero die, qui memoriae cor-
poris Christi sacer ex Papæ ordinatione erat, processioni con-
suetæ, cum Sacramentum, ut vocant putantque Papæi, magna
cum pompa portaretur, frequentes interessent. Verum utrum-
que sine ambagibus recusarunt. Præviderant Protestantes faci-
le, quo sine Cæsar pridie illius festi, à quo utpote superstitioso
valde abhorrebant, circa vesperam urbem ingrederetur, &
haud obscure colligere poterant, ex clandestinis machinationi-
bus & sycophanticis consiliis Clericorum hoc esse factum; ideo-
que jam ante ejus adventum censultaverant, & Theologis Sa-
xonis quæstionem solvendam proposuerant: *an sine Dei of-
fensione & salva conscientia processioni interesse possent?* A qui-
bus cum intellexissent, nequaquam id fieri posse, quod contra
omnem Scripturam & mandatum Dei, imo etiam contra Jus
Canonicum sit divisum Sacramentum, & theatrica illa circum-
gestatio panis, quem corpus Christi dicant, cum verbo Dei pu-
gnet, & Sacramenti abusus sit, à se suisque merito rejectus,
submisit deprecari sunt hoc Cæsar postulatam semel iterum-
que, ac tandem *Ferdinando* paulo severius urgente, *Georgius*,
Marchio Brandenburg. qui verba pro aliis faciebat, concitator,
inter alia, manum collo admovens, dixit è pio zelo: malle se
flexis coram Cæsare genibus, carnifici cervicem feriendam sta-
tim præbere, quam Deum & sacrosanctum ejus Evangelium
abnegare, falsamque & erroneam doctrinam approbare. Quæ
ubi renunciata Cæsari sunt, non irato animo, ut omnes suspi-
cabantur, sed placide respondit: *nicht Kopff ab! nicht Kopff ab!*
hoc innuens: non id agi, ut cuiquam vita eripiatur. Impetra-
runt tum quidem moram ad crastinum diem, sed quiescere non
poterant nec sinebant Cæsarem Legatus Pontif. & Clerici, effi-
ciebantque, ut Cæsar circa undecimam horam noctis ad Ele-
ctorem mitteret, & prius postulatam repeteret; Elector autem
quie-

quiete sibi opus esse dicens, responsum in alterum diem distulit, & per *Georgium* Brandeburg. ac Filium suum, *Jo. Fridericum*, in priorem sententiam renunciavit modestissime, se per conscientiam impediri, quo minus Cæsari hac in re gratificarentur, cum Deo magis sit obediendum, quam hominibus. Cæsar igitur, cum perspiceret, moveri Protestantes nulla ratione posse, præsertim quia Pontificii defendebant, istam processionem esse cultum divinum, à rigore priore non nihil remisit, & rogavit magis, quam mandavit, ut Protestantes adessent, & quod ad conciones attinet, petiit, ut rationes suas scripto exhiberent. Nemo igitur Protestantium circumgestationi Pontificiæ interfuit, sed in agnita doctrinæ suæ veritate perstiterunt. *Maimburgius* istam processionem idololatricam dicit triumphum fuisse Jesu Christi, Augustæ in conspectu Lutheranorum celebratum, quem *Seckendorffius* retellit, & Pontificem cum suis tunc triumphasse ait, non Christum; sed sic, ut verus triumphus honor, coram Deo & sanctis ejus, Principibus aliisque paucis numero, & potentia modicis, tribui debeat, qui tremenda illa Cæsaris Majestate, & tot quæ circumstantabant periculorum metu terreri se non sunt passi, ut contra conscientiam suam aliquid facerent.

Tom. V. Alt. p. 26. b. 27. a. Seckendorf. pag. 262. seq. Müller. p. 524. f.

§. CCIII.

Principes Evangelici altero die, rationes, propter quas Conciones conciones continuandas esse putabant, scripto consignatas, Cæ-^{intermitte-} sari exhibuerunt, eo tendentes, ut supra p. 315. indicavimus, licet ^{re Nostri} alias quoque addidissent. Cum igitur ultro citroque multa di-^{certis condi-} sceptata essent, & nec Cæsar ab interdicto nec Protestantes à ^{tionibus sta-} concionibus abstinere vellent, per delegatos tandem eo redacta res fuit, ut Nostri, intellecta Cæsaris voluntate firma & absoluta, dicerent, se quidem bona conscientia consentire haud posse in concionum intermissionem, ajunt, molle tamen Imperatori pertinaciter adversari, sed ferre, ut ad tempus conciones cessent, si

Pontificiis etiam concionatoribus ac nominatim *D. Jo. Fabro*, silentium indiceretur, & tales interea Cæsarea Majestas constitueret pastores, qui sine læsione conscientiaë audiri à se possint. Secus enim si fieret, necessitatem sibi imponi cogitandi de remediis propulsandæ injuriæ. In præcipua causa vero id se facturos pollicentur, quod cum Deo & conscientia facere possint. Cæsar cum ista iniisset, eodem die vespertino tempore per præconem promulgari in tota urbe jussit prohibitionem concionum.

Tametsi vero aliter non potuerint Protestantes, quam cedere voluntati Cæsaris pertinaci, quia nullum videbatur præjudicium fieri alterutri parti, cum utrique prohibitæ sint conciones, & majus bonum in minori præferendum erat, cum Cæsar tumdemum causam se auditorum affirmaret: præterea Theologi Saxonici aliique non vocati ad prædicandum sed ad dicendam causam rationemque reddendam, nec parochi Augustanorum erant: nullum tamen dubium est, quin adversarii, pro more suo, fraudes occultaverint & damna Nostrorum intenderint; quæ artes tamen latere diu non potuerunt, sed palpabiles factæ sunt. Quod enim adversarii in prioribus Comitibus efficere non poterant, id nunc conabantur, & Cæsaris potentia abutebantur, eumque ita flectebant, ut suam voluntatem voluntati Christi præferri voluerit. Hic enim finis & scopus adversariorum erat, ut ista prohibitione Evangelium damnaretur, & pro damnato haberetur, priusquam cognitio institueretur. *Lutherus* sane, cum talia percepisset, suspicatus est, & ad *Jo. Agricola*m scripsit, fore, ut finis Comitiorum idem fiat, scilicet, ut primum Cæsar roget Principes abstinere à tota doctrina, sicut primum rogaverit abstinere à concionibus. At ubi tum rogati nolint, sequetur simile interdictum in doctrinam. Elector quoque recte judicat & hæc verba ad Lutherum scripsit: *Also muß unser Herr Gott auff diesem Reichstage still schweigen.* Hac ratione Domino Deo nostro in his Comitibus silentium est impositum, licet

*adversario-
rum artes
deteguntur.*

licet illud non ex omni parte optimi Cæsaris animo & voluntati, sed potius adversariis nostris, Ecclesiasticis, Evangelii acerrimis osoribus, tribuendum sit. Malæ profecto causæ indicium fuit, quod Pontificii noluerint permittere conciones Evangelicas; ex iis enim solida doctrinæ purioris fundamenta & errores abususque Pontificios facile discere posse haud abs re metuebant magnam hominum multitudinē, ex multis locis Augustam confluentem. Interim, quod *Seckendorffius* observavit, divinæ providentiæ adscribendum est, quod ex ista utriusque partis prohibitione facta, plus fere commodi, quam damni Protestantibus allatum sit, obstructo maledicentissimorum hominum, *Fabri, Mensingii, Cochlai,* & aliorum ore, qui fœdis convitiis eos lacerabant. Et quam à Cæsare constituti concionatores nudum tantum textum Evangelii & Epistolæ prælegebant, & paucula puerilia annectebant; melius tamen id fuit, quam si importuni & infructuosi illi declamatores plebem in Evangelicos concitassent.

Tom. IV. Alt. pag. 27. a, b. Chytraus pag. 41 -- 46. Seckendorff. p. 165. Müller. pag. 564 -- 557.

§. CCIV.

Inter hæc impedimenta objecta, affulsit melior spes, quando *Alphonsus Valdesius*, Hispanus, Imperatoris Secretarius, & *D. Cornelius Scepperus*, cum *Melanchthone* collocuti sunt, & *Alphonsus* Cæsari Lutheranorum articulos exposuit, ut cognosceret, Ecclesiam Catholicam per eos non adeo oppugnari, quam vulgo putabant Hispani, quibus vix eximi illa de Evangelicis concepta opinio potuit, quod de SS. Trinitate, & de Virgine Deipara impie sentiant. Hinc Cæsar *Valdesio* mandavit, ut à *Melanchthone* brevem aliquam summam articulorum in thesi & antithesi posceret, qui synopsis confecit & XVII. articulis inclusit, quos *Cælestinus* & ex eo *Seckendorffius* refert, qui tamen dabitur, an *Melanchthonem* autorem habeant illi articuli, cum longe apertius & liberius pontificia dogmata in iis taxentur, quam in

*Adolphus
Valdesius,
Secretar.
Cæs. cum
Melanchth.
colloquitur*

ipsa Confessione, postea exhibita, nec sine periculo Philippus eos exhibere potuerit. Certum tamen est, & ipse *Melanchthon* ad *Lutherum* scripsit, quod *Alphonsus* familiariter cum *Melanchthone* locutus fuerit, benigne promiserit, & de nostrarium sententia cum *Cæsare* & *Campegio* contulerit. An hoc rursus fecerint adversarii mala intentione, ut explorarent doctrinam Protestantium, quo melius eam refutare possent, postquam prælecta fuit, jam non disquiro; parum tamen dubito. Nam si *Cæsarem* & paucos alios excipias, omnes cæco & implacabili odio *Lutheranos* prosequabantur, omnemque occasionem captabant, eos traducendi & persequendi: præsertim id agebant Legati

Campeg. Legatus *Papa* *facit, ut* *no-* *stri ad* *Missam* *vocentur.*

cui Saxo officii non cultus ratione interfuerunt se, promittit, ut gladium præferat.

Pontificii. *Campegius* enim, teste *Petro Suave*, cum à Protestantibus impetrari non posset, ut processioni corporis Christi interessent, id ægerrime tulit, ac aperte palamque dixit, eam contumaciam in Pontificis præjudicium redundare. Ut igitur difficultatem illam superaret, & Protestantes adigeret ad Ecclesie Romanæ ritus sua præsentia cohonestandos, *Cæsari* autor fuit, ut *Electori Saxonie* nunciaret, mandaretque Conventus initium sibi à *Missâ* facturo adesse, & *Missam* audienti pro more gladium præferre. *Elector* utrinque ita distringebatur & constrictus videbatur. Si annuisset, contra animi sui sensum, contraque eam, quam profitebatur religionem facturus erat: si abnuisset, familiaris dignitatem sibi amittendam, & voluntate *Cæsaris* alteri deferendam præsentiebat. Igitur suæ professionis Theologorum consilium perquirat, qui respondent, posse id eum facere, quia vocatus esset à *Cæsare* ad suum officium, (*us den Dienst zu warten*) non ad *Missam*, tanquam cultum divinum, ut antea ad processionem vocabatur: differre etiam *Missam* à processione, quia in illa præter abusus etiam bona & pia quædam supersint, nempe verbum Dei & institutio Christi. Eam in rem citarunt etiam exemplum *Naamanis*, cui *Elisæus* Prophetæ permiserit, ut Regi suo ad idolum venerandum inclinato, hume-

humeroque ipsius innitenti, officium id præstaret. Cum igitur Status Evangelici subducere se muneri suo Cæsari obsequiose exhibendo non possent, comitati sunt Cæsarem, facta prius protestatione, nihil sibi rei esse cum Missa, nec ei reverentiam exhibere se velle. Quod etiam ipso facto testati sunt. Expectabatur quoque concio ex verbo Dei, quam habiturus erat *Vincen-* *Pimpinelli*
tius Pimpinellus, Archiepiscopus Rossanensis, Nuncius Pontifi- *oratio in*
cius, sed, ut *Suavis* scribit, is orationem Latinam habuit, in *Germanos*
qua de nulla re spiritali aut religiosa differebat: tantum inve- *invecliva.*
ctus est in Germanos, eosque Turcis pejores esse, vociferatus est, quod illi unius dicto essent audientes, unamque religionem colerent; hi vero immorigeri, parumque obsequentes, ac novas quotidie religiones procuderent, & antiquam quasi rancidam irriderent. Post orationem habitam Cæsar ad *offertorium*, (*zum*
Dyffer) quod vocant, ivit, ensẽm præferente Electore Sax. Cæsarem Rex Ferdinandus omnesque Principes secuti sunt, nostri tamen non sine irrisione; solus Landgravius Hassiæ id facere neglexit, Missæ tamen interfuit.

Pontificii hic iterum triumphum canunt ante victoriam, *Maimbur-*
& caput inter alios extollit Jesuita *Maimburgius*, quando in *Higii* *jablatus*
storia Lutheranismi sic scribit: *Satis apparet, hoc ipso* Protestan- *triumphus*
tes prius suum factum condemnasse. Potuissent enim eadem ra- *refutatus.*
tionem, ad munus suum exequendum, processioni interesse, & Im-
peratorem obsequii causa comitari, quæ ab illis nil nisi mere civi-
lem & politicam obedientiam exigebat. Hæc refellere nihil atti-
net, cum ex veris probatisque monumentis historicis, quæ se-
quuti sumus, diversum liquido pateat.

Tom. V. Alt. pag. 27. b. 28. a. Seckendorf. p. 165. b. 166. 167. & p. 203. a.
P. Suav. L. I. p. 46. Müller. L. III. Cap. XV.

§. CCV.

Finita Missa, Imperator in Curiam se contulit, ubi *Fride-* *Post Mis-*
ricus Palatinus de mora Comitiorum quædam præfatus, altius *sam in Cæ-*
gesta

riam se con-
fert Caesar &
Comitia a-
perit, deli-
berationisq;
capita pro-
ponit per
Frideric Pa-
latin.

gesta ab anno 1521. repetiit, & causam indicti conventus de scri-
pto proluxiuscule recitavit, atque duo deliberationis capita pro-
posuit, 1. de bello adversus Turcos, 2. de statu religionis com-
ponendo. Posterius caput ita conceptum erat, ut querela qui-
dem de non servato Wormatiensi edicto, communibus suffra-
giis promulgato, præmittatur, unde non tantum contemptus au-
toritatis Cæsareæ sed etiam Dei ejusque præceptorum, apostasia,
seditio rustica, & Anabaptistarum secta orta sint. Nulla tamen
Lutheri mentio aut accusatio facta fuit expressa, sed genera-
ratim tantum dislerebatur de dissidiis & erroribus hucusque
auctis, quibus non commodius mederi posse censuerit Imperator,
quam si ipse Conventum Ordinum convocaret, & deliberaret, quomodo
tollī tanta mala possint. Nunc igitur Cæsaream Maj. humanissime,
clementer & serio petere ab Imperii Ordinibus, ut omnes ac singuli,
quicquid de dissidiis & abusibus Politici contra Ecclesiasticos, & hi
vicissim contra eos habeant, aut sentiant, (*sein Gutbedüncken / Opinion und Meynung*)
Latine & Germanice consignent & exhibeant, quo tanto melius omnia
percipi, expendi, & maturius restitui conciliarive queant. Quæ
verba frigidiora sunt illis, quæ in Cæsareis literis, quibus indicebantur
Comitia, extant, iis enim promittendū batur, *in causa religionis, partium
opiniones*, ac sententias inter ab ea, quam sese, in charitate mutua
coram audiendas, intelligendas & ponderandas esse, ut illis, quæ
utrinque secus tractata vel intellecta sunt, sepositis & correctis,
res illæ ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam
componantur & reducantur. (Vid. sup. pag. 311.) Nempe, ut bene
Seckendorffius judicat, datum hoc fuit *relaxamentum consiliiis Pontificiis*,
quibus obsequentes, qui vetera retinere malebant, Principes, nihil
ex sua parte queri, multo minus agnoscere abusus, aut errata volebant,
licet communes de iis querelas in Comitibus prioribus instituis-
sent. Eum quippe in finem, *Polano* fatente & ingenue scri-

qua propo-
sio non nihil
diversa fuit
ab ea, quam
Caesar per li-
teras expres-
sit, cujus
mutationis
autores Le-
gati Pontif.

scri-

scribente, Pontifex Cæsari ex Italia in Germaniam abeunti Comitum dederat Cardinalem *Campegium*, qui Legatus Comitum adesset: unaque miserat *Petrum Paulum Vergerium* nuncium, ad Regem *Ferdinandum*, cui mandaratur, ut sedulo ageret, ne in conventu vel disputatio, vel determinatio de re religionis institueretur, neve de Concilio in Germania ea de causa convocando quidquam decerneretur. Atque ut hunc Principem, quem, ut Cæsaris germanum, totque annos in Germania versatum, rerum potentem existimabat, haberet causæ suæ faventio-riorem, concessit ei liberaliter, ut ad bellum Turcicum Ecclesiasticis per Germaniam tributum imperaret, ac quicquid auri argenti-ve in templorum ornamentis esset, in id ipsum bellum infunderet.

Chytr. p. m. 47--54. Seckendorf. pag. 168. a, b. Müller. pag. 563. seq. P. Suav. pag. 46.

§. CCVI.

Prælecta propositione, Principes per *Joachimum*, Electorem Brandenburgicum, Cæsari gratias egerunt, quod ipse com-
parere clementer in Confessu voluerit, ac conceptam inde in-
gentem lætitiâ testati sunt, & petierunt sibi communicari
scriptam propositionem, promittebantque se, si peti-
tium obtinerent, non defuturos officio suo, sed omnia, quæ res poscat,
studiosissime fidelissimeque facturos. Annuit Cæsar, & sonora
voce Archimarschallus proclamavit, ut Principes Statusque
scribas suos circa horam pomeridianam tertiam in Curiam mitterent,
qui calamo exciperent propositionem à Secretario Moguntino dictandam.
Dies etiam Mercurii dictus est ad novum confessum. Sax. Elector eodem
adhuc die socios ad se convocatos cohortatus est ad intrepidam causæ Dei
& religionis assertionem; postridie autem mane, omnes suos Consiliarios
& ministros secedere iussit, ac ardentissimis precibus à Deo negotii
successum flagitavit: iis finitis, ad firmandam in proposito suo

*Nostri ser-
pram petunt
propositione
& obtinent.*

*Elect. Sax.
p. & solici-
ta cura in
Confessione
adornanda.*

T t

men-

mentem, consignavit suamet manu capita nonnulla ei infer-
vientia, quæ *Dolzigi*, eques, & *Melanchthon* ingenti cum ad-
miratione legisse dicuntur. Dein, cum solus expendisset Cæ-
saream propositionem, accersivit Filium suum, *Pontanum*
& *Melanchthonem*, multaque de religionis negotio differens, de
eo ante omnia agendum esse censuit, & sociis à meridie convo-
catis suam mentem aperuit, propositionem denno illis prælegi
fecit, eosque monuit, ut & ipsi diligentissime considerarent,
quid agendum esset, & sibi sequenti die mature renunciarent.
Fecerunt illi promte, quod iusserant, & nil prius quam religio-
nis causam tractari debere responderunt. Die igitur XXII. Ju-
nii in Curia *Moguntinus* sententiam Saxonis proposuit, cui
cum reliqui etiam Ordines adstipulati essent, Cæsar postbiduum
eos paratos esse jubet ad exhibendam suam Confessionem & no-
tationem abusuum, quos emendandos putarent. Stante tamen,
ut dicitur, pede, mutata multorum mens fuit; Pontificii enim
existimabant, nihil opus esse, ut ipsi etiam exhiberent quos-
dam articulos, aut disputarent, cum omnes Electores & Princi-
pes, exceptis quinque, *editum Wormatiense* servaverint. Quin-
que isti Evangelici Principes provocabant quidem ad literas
Cæsareas, quibus injunctum sit, ut utraque pars opinionem &
sententiam suam in causa religionis traderet; sed quia *Electo*
Brandenburg. solis Evangelicis id à Cæsare mandatum retulit,
acquieverunt, & Confessionem perfecerunt, ac XXIII. Jun. in
Electoris Saxon. hospitio prælectam approbarunt, & ut publice
recitaretur, à Cæsare petierunt.

Seckendorf. p. 168. b. 169. a. Müller, pag. 568. seq.

CCVII.

D. 24 Jun.
Legatus
Pontif. &
Austriaci
audiuntur.

Dies XXIV. Junii destinatus præfixusque à Cæsare fuit ad
audiendam Protestantium Confessionem; quam illi paratam
se habere, post prandium statim Cæsari nunciarunt. Verum
alia obstacula studiose, ut haud levis est suspicio, objecta, tum

reci-

recitari eam non permittebant. Siquidem Legatus Papæ, *Camporius*, primum admittebatur, qui, post traditas & prælectas Pontificis ad Cæsarem & Status literas, orationem Latinam habuit, & multa questus est de religionis dissidiis, & variis sectis, naviculam Petri conquassantibus, quæ tot ac tantorum malorum in Germania causæ sint. Dein, Cæsaris & Papæ studium in tollendis hæresibus & sancienda concordia collaudat commendatq; impense, & eo etiam omnem fidem & operam collaturum se profiteretur, cum cum in finem à Clemente missus sit, ut suaderet, consuleret, operaretur, quæ religioni restaurandæ inserviant. De Concilio vero nullum verbum protulit, tantum abest, ut abusus eorumque emendationis necessitatem fassus sit. Finita hac oratione discessit Legatus, tum protinus surgunt Evangelici Principes cum sociis, Confessionem recitari petentes; quia vero aderant Legati Austriaci, acceptam à Turca calamitatem exposituri & opem petituri, hos prius audiendos esse, Cæsar dixit, in cujus voluntate illi acquieverunt; post auditos autem hos Legatos, denuo se quoque audiri petierunt. Verum quia in vesperam dies inclinabat, excusatio ex tempore desumebatur, & adjiciebatur, prælectione nihil opus esse, cum scripta sit Confessio, quam Cæsar desideret; sed nostri dare renuebant, ac omnino necessariam recitationem publicam, multis ex causis fonticis demonstrabant. At quum id recusaret Cæsar, illi quoque instabant flagitando, & per Deum orando, nec desistebant, donec annueret Cæsar, & sequenti die in palatio suo prælectionem promitteret. Hoc iterum Cæsar in gratiam fecit Pontificiorum & invidiam Evangelicorum, instinctu Fratris Ferdinandi, subinde aliquid in aurem illi insufurrantis, & Præsulom. Legatos enim & alios adesse noluit Carolus, ne quid interveniret, quod authoritati Pontificiæ præjudicium creare possit. Hoc secretum detexit *Suavis* & anonymus aliquis, cujus relationem citant *Seckendorffius* & *Müllerus*.

Sleid. p. 186. Suav. p. 47. Seck. p. 169. a. & 203. a. Müller. p. 580. seqq.

T t 2

J. CCVHL

Die 25. Junii lecta
fuit publice
Aug. Conf.

Cum illuxisset felix illa dies XXV. Junii, Protestantes pomeridiano tempore in Cæsaris hospitio comparuerunt, ibique in Conclavi ducentorum hominum capaci, quod sacris destinatum erat (in der Käyserl. Cappel-Stube / worinnen sonst Ihre Majest. den Gottesdienst halten ließ) presentibus & ex utroque latere sedentibus omnibus Ordinibus, *Pontanus* & *Bajerus*, Cancellarii Saxonici in medium cœnaculi prodierunt, Latinum Germanicumque Confessionis exemplar manu præferentes, eam recitare parati, quod ex Latino fieri cupiebat Cæsar; sed Electore intercedente ac dicente, cum sint Germani & in solo Germanico, orare se, ut permittat Cæsar Germanice prælegi, idque eo indulgente, *Bajerus* recitavit Confessionem, voce tam clara & sonora, ut extra triclinium, & in ara inferiori Episcopalis palatii (die Pfalz dicta) exaudiri vox & singula verba intelligi potuerint.

non sine
triumpho
veritatis &
admirandis
providentiæ
Dei.

Judicium
Lutheri.

Maimburgius factam lectionem dicit cum incredibili Protestantium gaudio, qui hoc facto triumphum doctrinæ suæ egisse sibi persuaserint. Non diffitemur, nos de prædicare bonitatem Dei, quod per tot obstacula tandem veritatem Evangelicam, quæ Cæsaris mandato publice è suggestu aliquamdiu proscripta erat, in palatio Cæsareo, & conclavi Cæsaris sacris destinato, reverenter haberi, audiri & prædicari fecerit. Placet, ac prodest forte, hac de re audire *Lutherum*, Electori Sax. recitationem Confessionis publice factam sibi nunciantem, ita respondentem d. IX. Julii. *Adversarii* præclare se rem gessisse existimant, quod conciones per interdictum C. M. intermittere curarunt; sed non vident miseri, per scriptam Confessionem Cæsari exhibitam, plus prædicatam & latius propagatam esse hanc doctrinam, quam fortasse decem Concionatores facere potuissent. Egregiam vero sapientiam adversariorum, quod *M. Islebius* & cæteri Concionatores tacere coguntur: prodiit autem

tem

tem Elector Saxonix & cæteri Principes ac Domini cum scripta Confessione, & concionantur liberrime coram C. M. & toto Imperio in omnium conspectu, ut audire cogantur, nec contradicere quicquam possint. *Joh meynsa* hoc *interdictum de intermittendis Concionibus* non inultum abivisse. Nolunt Ministris suis concedere, ut Concionatores audiant, & coguntur ipsi multo deteriora (ut ipsi nominant) & Principibus concionantibus audire & obmutescere. Christus profecto non tacet in Comitibus, ac etiamsi insaniant, tamen plus ex Confessione audiverunt, quàm si totum annum Concionatores audivissent. Ita completur, quod Paulus inquit: verbum Dei non esse alligatum. Si in suggestis prohibetur, tum in palatiis Regum illud audiri oportet. Si miseris Concionatoribus illud prædicare non conceditur, tum Magnos Principes & Dominos prædicare necesse est. Et in summa, si omnia tacent, lapides clamabunt, inquit Christus ipse. (Luc. c. XIX. v. 40.) *Spalatinus* in brevi con-

Spalatinus,

signatione memorabilium Aug. Conf. observavit, Cæsarem ejusque Fratrem, nec non Duces Bavarix, nonnullosque Episcopos, diligenter auscultasse, ac, *Ferdinandum* audientem in Artic. II. Abusuum, in Germania demum ante annos quadringentos, Sacer-

Dorscheus,

dotes vi coactos ad cælibatum, adeo adversatos esse, ut Archiepiscopus Moguntinus ea de re edictum Pontificis Rom. publicaturus, pene ab iratis Sacerdotibus oppressus sit, quæsisse ex Moguntino, an ita se haberet, huncque id affirmasse. D. *Dorscheus* in

Dorscheus,

Dissert. de singularibus & mirandis documentis Providentia divina circa Aug. Confess. sexto loco ponit, hoc modo admirandam facere atque singulariter excellere Deum voluisse Confessionem, quod eam proponi, legi, audiri voluerit à Cæsare, Rege, Electoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus, multitudine sive nobilissima, sive doctissima. Solent, inquit, Principum aures obsideri per adulatorem, ne ad eas perveniat liquida & sine mixtura falsi veritas. Pauci procul dubio inter eos, qui illis-

stris-

Tt 3

strissimo confessui aderant, perceperunt, quanam sententia esset eorum genuina, qui se à Papatu separarunt. Monstris opinionibus onerabantur innocentes, atque ideo passim exosissimi videbantur. Nec spes affulsura videbatur penetrandi ad Magnates, quibus ut uniuersa veritatis Evangelica ratio patefieret, plurimum ad salutem publicam, atque ad existimationem Confessorum pertinebat. Tandem aditus patefactus est ad Cæsarem & Magnates: tandem perrupit vis veritatis, nec impediri ultra potuit. Quis hic Spiritus rexerit Carolum V. prudentissimum Imperatorem Romanum, facile est existimare. Certe non ille, quo insusurrante persuasus fuit, ut atroci decreto exterminaret veritatem incognitam. Calumniam, quod Evangelici propter applausum & approbationem vulgi quæsiuerint tam anxie & constanter prælectionem in Curia, diluit Apologista contra Anonymum.

Tom. V. Alt. pag. 152. b. 153. Seckendorf. p. 170. a. 205. a. Supplem. Epist. Lutheri pag. 142. seq. Müller. p. 585. ff. 590. seq. Dorich. l. c. p. 115. seq.

CCIX.

Oblatam
Confessionem ipse Cæsar accepit,
& eam ex-
pendere se
velle dixit.

Finita recitatione Saxon. Cancellarius *Pontanus* utrumque exemplum, Germanicum ac Latinum, *Alexandro Saxe* Secretario Cæsareo, porrexit; sed Imperator ipse suis manibus accipere est dignatus utrumque, & Germanicum Archiepiscopo Moguntino, Imperii Cancellario asservandum tradidit, Latinum vero retinuit secum, & per *Fridericum* Palatinum hoc responsum Protestantibus dedit, se ipsorum doctrinam & Confessionem clementer audivisse, ac de summo hoc religionis negotio deliberare diligenter, & si certi quid constituerit, renunciare Evangelicis eum in modum velle, ut illi Christianam suam & benevolam mentem satis intelligant atque sentiant. Clementissimæ voluntatis hanc significationem Protestantes subjectissima gratiarum actione acceptarunt, & receperunt, se omnem datorum operam, ut corporum quoque & fortunatum suarum dispendio gratam obsequiosamque mentem Cæsari præsertim testen-

testentur. Rogarunt insuper suppliciter S. C. M. ut gravissimum hoc negotium, in quo præsens ipsorum & æterna salus posita esset, clementer ac diligenter, prout magnitudo rei postulet, & Cæsar literis, quibus Comitia indixit, largissime promississet, expendere dignaretur. Postea Imperator è throno descendit, cum Protestantibus familiariter collocutus est, & ab iis petiit, ne Confessio tradita sine præscitu & concessu suo typis vulgaretur.

Falsum igitur esse ex his perspicitur, quod quidam ex adversariis, nominatim *Paxmannus* in Hodego suo, apud D. Calovium in Proleg. Exegel. Aug. Confess. §. 6. scripsit, Confessionem Augustanam in Comitibus Imperii rejectam fuisse. Hoc scimus & fatemur, aliam Confess. quatuor civitatum, puta *Argentorati, Constantiæ, Memmingæ* ac *Lindavia*, autore *Bucero & Capitone*, Imperatori in iisdem Comitibus, postea per *Caspar Hedionem*, Ecclesiasten Argentinensem, exhibitam quidem, sed nec prælectam, nec acceptam, adeoque rejectam fuisse.

Magnanimitatis & constantiæ egregium exemplum dedere *Johannes*, Elector Saxon. cum quatuor Principibus, *Georgio*, March. Brandeb. *Ernesto*, Duce Luneburg. *Philippo*, Hass. Landgravio, *Wolffango*, Anhaltino, duabusque civitatibus, *Norimberga* & *Reutlinga*, quod nomina sua subscripserint. Reperiuntur quidem in quibusdam impressis August. Confessionis editionibus duorum Principum nomina adjecta, *Jo. Friderici*, Elect. *Johannis Filii*, & *Francisci*, Ducis Luneburg. verum ex *Historia Formula Concordiæ* A. MDLXXX. edita, & ex Copia, quam vocant, vidimata, ex Imperii Archivo Moguntino descripta & in tabulario Dresdensi asservata, liquet, quinque tantum Principes subscripsisse, duos autem postremos omisos esse, procul dubio hanc ob causam, quod *Jo. Fridericus* Princeps hæreditarius fuerit, *Franciscus* autem dominium nullum obtinuerit, *sein regierender Herr gewesen*. De *Philippo* Landgravio ab initio dubita-

4. civitatū
confessio re-
jecta.

Magnani-
mitas Cun-
fessorum
paucorum
laudata.

bita-

bitatum fuit, an subscripturus esset, quia Zvvingliani eum in suas partes trahere studebant, quemadmodum ex *Melanchthonis* ad *Lutherum* epistola d. XXII. Maji colligi potest, qua hunc rogat, ut *Landgravium* hortetur, ne conscientiam suam onerari sinat falsa doctrina, neve subscribere Evangelicorum Confessione detrectet. Quo animo Princeps optimus hanc & jam ante d. XX. Maji factam à *Luthero* admonitionem acceperit, res ipsa declaravit, quando non tantum, sine ulla tergiversatione, subscriptione sua probavit genuinam Evangelicorum Confessionem, sed etiam cordate adversariis se opposuit, adeo, ut quidam nimium ejus fervorem culpaverint. Summo quippe studio animoque imperterrito dimicavit & urfit, apud C. M. ut Confessio publicitus prælegeretur. *Wolfgangus* etiam Anhaltinus Princeps, subscripturus Confess. dixisse fertur: *in juventute mea saepe equum conscendi in hominum gratiam, cur non, si opus sit, equum conscenderem in gratiam Domini & Redemptoris mei Jesu Christi, & certando pro ejus gloria vitam profunderem, & in cælum properarem, consecuturus coronam gloriae aeternae.*

Tom. V. Alt. p. 526 a. Müller. L. III. Cap. XII. Leuchter p. 34. seqq.

§. CCX.

*Mutatio
animorum
in Pontificiis
ex lectione
A. C. orta.*

Inter singularia & miranda documenta providentiæ diviniæ, & Confessionem Augustanam augustiorem facientia, merito etiam hoc numeramus, quod magna animorum mutatio in animis auditorum ab ea concitata fuit. *B. Lutherus* proinde haud abs re scripsit *in Commonitione ad Germanos* Anno 1531. & non magnificentius quam verius gloriatus est, se exploratum habere & à fide dignis hominibus accepisse, quod, cum Confessio nostra recitata esset, multi ex parte adversa admirati & confessi fuerint aperte, ipsissimum Dei verbum & veritatem esse doctrinam nostram, nec sacrarum literarum fundamentis refelli posse, & hanc causam fuisse, cur tam difficulter recitatio concessa sit.

Maim-

Maimburgius hoc mendacii arguere videtur aculeatis ver-
 bis, licet Lutherum vel Evangelicorum aliquem non nomenet, ^{Maimburgius id ne-}
 quando generatim tantum dicit: *scripserunt etiam ad multos gans*
passim, inventam illam (Confessionem) fuisse puro Dei verbo con-
formem, & obmutuisse ex Pontificiis, qui antea maxime eam dis-
famassent, nec ausuros contradicere. Ex tentata confutatione
 putat mox apparuisse, egregie falsos fuisse nostros. De confu-
 tatione paulo post videbimus, qualis ea fuerit. Nunc aliquot
 duntaxat testimonia proferemus ex ipsis Pontificiis scriptori-
 bus, qui idem affirmarunt, quod Lutherus dixit. Procedat ^{refutatus &}
 igitur in medium *P. Snavis*, testis fide dignior ac *Maimburgius*, ^{P. Snavis,}
 qui refert, *Cesarem*, audita *Protestantium Confessione*, prius-
 quam ea de re quidquam statueret, *Legatum Pontif. Campegium*
 consulendum putasse; eum vero ista Confessi. perlecta, & cum
Theologis, quos ex *Italia* secum adduxerat, multum considera-
 ta, etsi illi oppugnandam censuerint, & censuram ipsius Legati
 nomine evulgandam; tamen cum & prævividisset, eam majori-
 bus molestiis præbituram occasionem, & palam asseruisset, *dis-*
sensum in doctrina maximam partem videri verbalem, nec
 multum interesse, hoc vel illo modo potius quid dicatur: tum
 rationi consentaneum haud esse, ut in *disputationibus Schola-*
sticis sedes Apostolica partem constituat, non assensum esse, ut
 nomen suum his dimicationibus apponeretur. *Imperator* etiam
respondisse, non expedire his temporibus novam doctrinam ad
 exacti examinis lancem appendere, sed diligenter expendere
 periculum ab exemplo, quod ministraretur fervidis, acutis &
 inquietis ingeniis, quibus nunquam defutura essent innumera
 alia opinionum novitates, non minore verisimilitudine propo-
 nenda, atque ab auribus pruritu laborantibus avide haurienda.
Abusus vero quos notassent, si quis corrigere sibi sumat, majora
 ex remediis nascitura incommoda, quam ex malis, quibus
 medicina paretur. Mox de *animorum mutatione* prælectionem

Confessionis secuta, hunc in modum scribit: *Inter ea Confessio publice recitata, Catholicorum, qui aderant, animos varie affectit. Aliis enim magis erant exosi Protestantes, quam antea, multo magis impios existimantibus (ex opinionibus suis præconceptis) aliis contra multum de sinistra, quam de iis conceperant, opinionem remittentibus, atque doctrinam eorum multo minus, quam olim existimassent, absurdam reputantibus; suorum denique per multos abusus ab illis jure reprehensos consentientibus. Meminit etiam Cardinalis Matthæi Langii, Archiepiscopi Salzburgerensis, quod apud omnes ingenue sit professus, Missæ reformationem videri sibi honestam, libertatem quibusvis cibis vescendi, esse naturæ convenientem; immo postulationem eam, ut homines Christiani mandatorum humanorum onere liberentur, justam & æquam esse; sed ut misellus Monachus omnes reformet, id non esse tolerabile. Episcopus Augustinus post lectionem dixisse fertur: *qua recitata sunt, vera sunt, pura sunt veritas, non possumus inficiari.* Plura ejusmodi testimonia Pontificiorum notavit Spalatinus in Relatione quadam hunc titulum præferente: *Etliche historica wohl zu merken / so sich auff dem Reichstag zuge tragen / von M. Georg. Spalatio verzeichnet.* Adhuc plura vero collegit B. Gerhardus in Confess. Cathol. L. I. Part. I. Cap. VIII. & D. Dorscheus in Dissertat. cit. pag. 27. seq.*

Tom. V. Alt. pag. 157. P. Suav. L. I. pag. 48.

§. CCXI.

*Varia de
confutatione
A. C.
consilia.*

Confutare quidem Pontificii hanc Confessionem nostram sunt aggressi, sed non potuerunt pugnacissimi & infensissimi etiam Lutheri hostes, quos diversi Principes secum ad Comitiam duxerunt, inter quos fuere Jo. Eccius, Jo. Faber, Augustinus Marius, Wimpina, Cochlaus, Contr. Collinus. Hic & locii eorum omnes, (erant autem viginti & unus) interrogati à suo quique Magistratu, & tandem conjunctim, num Confessio Saxonum refutari possit veris & solidis fundamentis & argumentis? responderunt

runt unanimiter: *Propheticis & Apostolicis scriptis refutari eam minime posse, opus autem esse Patrum & Conciliorum arietibus & decretis ad illius confutationem.* Promachus Eccius Bavariz Duci, *Wilhelmo*, à lectione Confessionis in diversorium reverso, ac ad eum dicenti: *longe alia & magis horrenda de doctrina Lutheri mihi narrata sunt hæcenus, quam ipse hodie audiui. & tu quidem spem mihi fecisti, posse illam facile refutari,* respondit; *Patrum quidem scriptis id fieri posse, minime vero ex Scriptura S.* Cui Dux: *ergo quantum audio, Lutherani sedem & fundamenta sua doctrina habent in Scripturis sacris, nos vero extra eas.* Desperata sane causæ apud Pontificios multa indicia sunt, quæ singula, si potero, recensabo. 1. Illud, quod altero mox post lectam Confessionem die (XXVI. Junii) consultatione instituta, quid agendum esset, in partes itum est. Nonnulli enim suaserunt, *Protestantes cogendos esse, ut palinodiam canant, & edictum Wormatiense tandem in Luthero ejusque affeclis executioni mandandum.* Alii melius fore censuerunt, si *Confessio* piis, doctis & à partium studio alienis viris *examinanda* tradatur, & Cæsari deinceps iudicium relinquatur. Fuerunt denique, qui putabant, totam causam arbitrio Cæsaris remittendam esse, ut is eam dijudicet, donec in Concilio plene expediatur. Cæsar autem mediam melioremque elegit sententiam, & Theologis commisit examen; quos tamen Legatus & Nuncii Pontificii, *Campegius, Pimpinellus & Vergerius* magnis muneribus instigarunt, ut, si Cæsar mitioribus consiliis intentus, disputationem concederet, operam sedulo darent, ne ulla sequeretur conventio, aut si tandem Concilii convocatio impediri non posset, ut veteris cultus restitutionem in integrum ante omnia urgerent; quod etsi minime concessuros Protestantes sciebant, sub juris tamen specie exigi posse videbatur, & in renitentes vis tanto majori cum prætextu parati. Fuit etiam Pontificius Princeps, qui coram aliis Principibus & Statibus dixit: *Lutheranos*

Desperata
causa Pontif.
indocia.

I.
Sententiarum
diversitas.

ranos nuper Confessionem tradidisse atramento scriptam; se, si Cæsar esset, ei oppositum Confutationem minio (sanguine) scriptam. Cui statim regessit alius Princeps, Imperatorem, si id faceret, non sine periculo facturum, *er müste Achtung haben / daß ihme die Prissilgen nicht unter die Augen sprühte.* Verum Deus graviora prohibuit, & Cæsarem rexit, ut moderatiora & Evangelio utilia consilia sequeretur, si modo Clerici ea non impedivissent.

Tom. V. Alt. pag. 157. f. p. 526. a. b. Seckend. p. 171. b. Müller. p. 635. ff
§. CCXII.

2. Moderatiorum & peritiorum Theologorum exclusio.

Deinde hoc etiam causæ adversariorum desperatæ indicium fuit, quod eos Theologos, quos Cæsar deligendos cum aliis censuit, qui cordati, inque Scriptura S. versati essent, & procul affectu partiumque studio judicarent, quæ vera essent in Aug. Confess. probarent, erronea vero refutarent, ac quæ etiam à Pontificiis in Scripturis secus tractata aut intellecta, indicarent & emendarent, (prout *Carolus V.* in literis, quibus Comitia indicebat, aperte mandaverat) simulac animadverterunt, illos ex amore veritatis acturos, è consilio & deliberatione excluderunt. Suspectos quoque reddidit Pontificios confutatores tergiversatio, cunctatio & disceptatio diuturna. *Bzovius* quidem ad A. C. 1530. n. 50. scribit, *Theologos Catholicos, Joh. Fabrum* imprimis & *Eccium*, confutationem Aug. Confess. paucis diebus absolvisse. Verum constat satis patetque, sex fere hebdomadas abiisse, donec perfecta illa fuit; nam die III. August. demum in Confessu Cæsaris & Ordinum, eodem loco, quo Confessio Protestantium lecta fuerat, publicabatur. Non ignoro, moram aliquam interpositam esse, dum Confutatio nimis prolixè & acriter scripta, ad exacerbandum Cæsarem, ipso Cæsare jubente, mutata, in arctum contracta & resecta illa sunt, quæ duriora videbantur; sed & hæc mutatio atque emendatio documentum inconstantia præbuit. Non enim

3. cunctatio.

in lucem prodire debebat, ante quam à Legato Pontificio probata & ad Papæ palatum accommodata fuit. Sic omnia ex nutu Curia Romanæ pendebant. Ipsa denique Confutatio à tot fabricata fociis pueriliter scripta, & nostris petentibus denegata fuit, ut suo loco dicemus.

Tom. V. Alt. p. 526. a, b. Seckendorf. p. 171. b. Müller. p. 633.

§. CCXIII.

Dum ita tempus trahitur, nihil non moliebantur & machi- ^{Querelando-}
nabantur Pontificii contra Evangelii confessores. Quas adver- ^{stratum de}
sariarum artes cum non ignorarent Protestantes, de iis subinde ^{machina-}
per literas questi sunt apud Lutherum, qui eos, & cum primis ^{tionibus &}
Melanchthonem, fortiter erexit, & ad Deum remisit, ^{artibus ho-}
magnum & actorem & autorem. Si est, inquit, causa falsa, revoce- ^{stium. Lu-}
mus: si vera est, cur facimus illū in tantis promissis mendacem, qui- ^{therus eos}
bus nos jubet esse animo otioso & dormienti. - Philosophia tua ita ^{erigit,}
te vexat, non Theologia. Ego dies noctesque in ista causa versor, ^{inpr. Me-}
cogitans, volvens, disputans, & totam Scripturam lustrans, & ^{lancthonē,}
augefcit mihi assidue plirophoria in ista doctrina nostra, & confir-
mor magis ac magis, daß ich mir / (ob G. D. t. will) nun nichts mehr
werdenehmen lassen / es gehe drüber / wie es wolle. - In literis tuis
displicet, quod scribis, vos meam auctoritatem secutos. Nolo vo-
bis autor esse aut dici in ista causa, etiam si id commodam admit-
teret interpretationem; tamen vocabulum illud nolo. Si non
est simul & æque vestra causa, nolo eam dici meam & vobis
impositam. Ipse agam, si solius mea est. - Finis & eventus cau-
sa te discruciat, quia non potes eum comprehendere. At si eum
comprehendere posses, nollem ego istius causæ me esse partici-
pem, multo minus autorem. Deus posuit eam in locum quendam
communem, quem in tua Rhetorica non habes, nec in Philosophia
tua, is vocatur fides, in quo loco omnia posita sunt, ἡ ἀπρόβλεπτα καὶ
μὴ φαινόμενα, quæ si quis conetur reddere visibilia, apparentia &
comprehensibilia, sicuti facis tu, is referat curas & lachrymas

Uu 3

pro

pro mercede laboris, quales tu refers, nobis omnibus frustra reclamantibus. Dominus pollicitus est *se habitare in nebula, & tenebras posuit latibulum suum.* *Wer da will/ der machs anders.* Si Moses comprehendere statuisset sinem, quo evaderet exercitum Pharaonis, Israel usque hodie fortasse esset in *Ægypto.* In alia Epistola scribit: *ego de publica causa satis magno & otioso animo sum, qui sciam certo, ipsam esse justam & veram, denique ipsius Christi & Dei, quæ non sic pallet rea peccati, sicut ego privatus sanctulus pallere & tremere cogor.* Proinde pene securus spectator sum, & istos minaces ac feroces *Papistas non hujus facio.* Si nos ruemus, ruet *Christus una,* scilicet ille regnator mundi. *Et esto, ruat, malim ego cum Christo ruere, quam cum Casare stare.* Neque vos soli causam hanc sustinetis. Certe fideliter vobis assum gemitibus & precibus, utinam & carne liceret. Nam *& mea est causa, & plus mea, quam omnium vestrum.* Neque ulla temeritate aut cupiditate vel gloria vel lucri tentata, quod testatur mihi *spiritus ipse, & hæcenus res satis declaravit, declarabitque latius usque in finem.*

Agricolam,

In Epistolis ad *Joh. Agricolam, Spalatinum & Brentium* similiter meticolosam item & pusillanimitatem *Melanchthonis* reprehendit, & amicos rogavit, ut eum hortarentur & excitarent. Ad istum hunc in modum scripsit: *Philippum hortare, ut sacrificium spiritus contriti moderetur, ne non sufficiant tandem sumtus diutius sacrificandi.* Solatium quidem grande est, scire se conteri spiritu propter optimam causam, propter ipsum Deum, ubi dubitare non potest, sese placere Deo, veluti odorem suavissimum. Sed modus in rebus est: *Sacrificium placet, non exitium,* nec vult Deus animas perdi. Hoc è Satana additamentum est. Nam *quod de Casaris clementia speratur, nihil est.* Ego cogito Pontifices *Cæsarem* impulisse, ut cognosceret causam, denique, ut, audita *apologia nostra,* statuant, quod volunt, & obtinuerint hanc ostentationem, quod nos satis audierint,

rint, & ita calumniari pertinaciæ nos esse reos, idque liberius & speciosius urgeant, ut qui auditi & moniti denique Cæsarem non audierimus. Quid enim aliud struat Satan, aut quid boni ex ipso speremus? An ignoramus ejus cogitationes, ut omnia fucis, mendaciis, astutiis, dolo sic verset, ut speciosus ipse sit, Christo fœdissimus. Certe *non cum hominibus agitis Augusta, sed cum ipsissimis portis inferni, iisque instructissimis & exercitissimis*, sed quod solatur, iracundissimis, qua iracundia excecati tandem evadere non possunt, quin impingant in sapientiam Dei, *und beschelffen sich in ihrer Klugheit.* Amen.

Ad Spalatinum inter alia scripsit: *furere istic & fremere Spalatinum, Reges, Principes, populos adversus Christum Domini, felix omen puto, ac multo melius, quam si blandirentur.* Sequitur enim: *qui habitat in cælis, ridet eos.* Hoc autem Principe nostro ridente, non video, cur nobis flendum sit à facie eorum. Ridet enim non sui, sed nostri gratia, ut & nos potius fidentes rideamus inania illorum consilia. *Tantum est opus fide, ne causa fidei sit sine fide.* Sed qui cœpit hoc opus, is cœpit certe absque consilio & studio nostro. Idem hæcenus protexit, & gubernavit, supra & præter consilia nostra & studia. Ille ipse est, qui perficiet, & absolvet idem extra & ultra nostra consilia & studia; de quo nihil dubito. Scio & certus sum cui credidi, quia potens est facere supra quam nos petimus & intelligimus, etiam si *Philippus* cogitet ac cupiat eum facere intra & intra suum consilium, ut liceret ei gloriari: certe sic oportuit fieri. Sic fecissem ego. *Nein! es muß nicht heißen: Sic ego Philippus. Dieses Ego ist viel zu gering. Es heißt: Sic ego ERO qui ero.* Hoc est nomen ejus QUI ERO. *Man sieht nicht/ wer er ist/ aber Er wirds seyn/ so werden wirs sehen.* Sed hæc verbose satis. Tu esto fortis in Domino, & *Philippum* meo nomine *exhortare semper, ne fiat Deus*, sed pugnet contra illam innatam, & à Diabolo in Paradiso implantatam nobis ambitionem divinitatis; ea enim non expediet nobis. Ejecit Adam
Para-

Paradiso, nos quoque ipsa sola exturbat, & extra pacem trudit.
 Wir sollen Menschen und nicht Götter seyn. Das ist die Summa,
 es wird doch nicht anders/ oder ist ewig Unruhe und Herkeleid unser
 Lohn.

Brentium.

Ad *Brentium* etiam eandem in sententiam scripsit, cum-
 que exemplo *Philippi*, pie quidem solliciti, sed non secundum
 scientiam zelotypi, motum, similiter monet, ut Dei potius pro-
 videntiam respiciat, qui etiam post nos Deus futurus sit & crea-
 tor, sicut fuit ante nos & hodie nobiscum. *Neque enim*, inquit,
moriatur nobiscum, aut desinet esse Deus regens etiam cogita-
 tiones. - Hæc scribo tibi & aliis, si forte per vestrum alicujus
 verbum *Philippus desinat fieri velle Rector mundi*, hoc est, se-
 ipsum crucifigere. Ego sane si mortuus vel occisus à Papistis
 fuero, defendam nostros posteros fortiter, & istas bestias fero-
 ces probe & nimis quam vellem ulciscar. Quia scio futurum es-
 se qui dicat, *ubi est Habel frater tuus?* Et is faciet eos vagos &
 profugos (*naim venodim*) Et quid multis? Habeat divisum
 Imperium cum Jove Cæsar. Si nullum est futurum, deleamus
 primum præceptum cum universo Evangelio. Quid enim o-
 pus est habere Deum pro hac tantum vita? quam illi habent
 optimam, qui nullum habent Deum. Sin Deus est, non solum
 hic vivemus, sed & ubi ipse quoque vivit. Quæ si vera sunt,
quid sunt rogo tandem furiosa ista mina idolorum, jam pene non
 morientium, sed plane mortuorum? Is qui me creavit, erit pa-
 ter filii mei, & maritus uxoris, & consul politiæ, & prædicator
 parochiæ, & melius quam ipse sum, imo ipsemet melior me
 mortuo, quam me vivo, qui vita mea illum impedio. Scriptum
 est enim: *potens in terra erit semen ejus*. Et sane præceptum
 quoque posteris nostris in tutelam Deus constituit, dicens: *fa-
 ciens misericordiam in mille generationes eorum, qui me diligunt*.
 Istis ego verbis credo, etiamsi infirma sit fides, tamen credo.

*Jo. Frideri-
 cum, Ducē.*

Tandem etiam monuit Ducem *Jo. Fridericum*, ne argutis
 machi-

machinationibus & subdolis artibus consanguineorum & necessariorum suorum, Papæ blandientium, offendatur, ac eum adversus callidas eorum machinationes instruit. Septimum & trigésimum Psalmum Principi commendat, accuratissime depingentes, quibus artibus & conatibus nos impatientes reddere conetur hostis, ut saltem verbum, vel factum, vel gestus aliquos extorqueat, ex quibus inobedientiæ aut seditionis ab aliis juste accusemur & convincamur; sed scriptum esse: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Cæsarem sane hominem optimum & modestissimum, ac propter personam, quam sustinet, & officium, quod gerit, omni laude & honore dignissimum esse; unius autem hominis conatus respectu tot diabolorum nihil esse, nisi Deus potentissima manu nobis succurrat, & opem ferat. Hæc ad omnes uno eodemque die XXX. Junii Lutherus scripsit.

Supplem. Epist. Luth. Ep. 129. 131. 132. 133. 134. 135. 136.

§. CCXIV.

Post hæc etiam Lutherus ad Albertum, Archiepiscopum Moguntinum, qui in causa religionis plus aliis præstare poterat, litteras typis impressas misit, ne quid in se desiderari pateretur, sed ut omnibus abunde satisfaceret, ac imminentem Dei iram pœnamque (quæ certo secutura videntur) effugeret, & omnes pacis condiciones excogitaret atque offerret. Cum igitur plane sibi persuasum habeat, ita compositam esse Confessionem, ut lætissimo ore cum Christo dicere audeat: *si male locutus sum, restificare de malo, sin bene, cur me cadis;* è diverso tamen facile existimare queat, adversarios eam nequaquam recepturos, neque spes ulla sit, nos de doctrina convenire posse, cum tanta sit Pontificiorum amarulentia, tantisque sint accensi odiis, ut potius æternas gehennæ pœnas sint subituri, quam nobis verbulum concessuri, & sapientiam suam derelicturi; petit ab Electore, ea qua debet & potest animi subjectione, ut una cum aliis Prælati & Principibus, in eo præcipue elaboret, ne Evangelicis ab

Xx

adver-

adversariis plures creentur molestiæ, quæcunque illi credant aut statuunt, modo hanc doctrinam, coram omnibus jam recitatam, nec ullius erroris convictam, non impediunt & persequantur. Neminem enim ad fidem cogendum esse. Neque huius rei potestatem vel Cæsarem vel Pontificem habere. Quinimo Deum ipsum, qui supremus omnium est, nulli unquam credendi necessitatem imposuisse. Nullo igitur modo creaturas ipsius miseris, ejusmodi aliquid tentare, & falsa atque mendacia aliis credenda obtrudere debere. Si vero Nostri ne hac quidem ratione pacem obtinere possint, hanc tamen eos prærogativam apud homines inuitos, quod doctrinæ suæ confessionem publice recitare & exhibere non sint veriti, omnesque pacis conditiones quærere & offerre studuerint, licet hac sua diligentia parum profecerint. Apostolorum tamen exemplum Protestantibus animum addere & consolationem, & optat, ut quispiam *Gamaliel* in Comitibus exurgeret, qui aliis istas pacis conditiones proponeret & persuaderet, an fortassis ita, divina auxiliante gratia, à fremitu & furore suo avocari possent, ne tanta pertinacia contra conscientiam suam Deo bellum inferre pergerent. Hoc ut Moguntinus faciat, rogat. Quod si vero nec hoc locum habuerit, non esse in manu & potestate Evangelicorum invitos cogere, sed eos cum Apostolis Psalmum secundum cantaturos, cujus brevem explicationem addit, rebus & temporibus applicatam. Frustra sperari, ut Cæsar Papæ omnia restituat, licet Papa in charta quadam typis impressa, admodum confidenter prædicet & jactet. Hoc enim si fieret, totam doctrinam Evangelicam & Confessionem Aug. Cæsari exhibitam, quam adversarii vel inviti approbare cogantur, necesse esse revocari, ac priora mendacia, quorum aliqua ne ipsi quidem negare audeant, recipi. Prius autem restitui debere Protestantibus à Papa nefarie trucidatos martyres, animas omnes mendaciis seductas, & denique totam eam pecuniæ vim, quam hactenus

nus

nus fraude artificio tecta hominibus extorserit, ac gloriam DEI horribiliter & contumeliose profanaverit. Tandem Pontificis & Itatorum callidas machinationes adversus Germanos liberrime notat, & omnes rogatos vult, ut circumspetti & providi sint in agendo, scientes, eos inter Papam & affectas ejus viventes, non cum hominibus, sed ipso diabolo agere & conversari. Id declarare astutias ipsorum diabolicas, & mores ab aperta simplicitate alienos.

Supplem. Epist. Luth. pag. 129 -- 139.

§. CCXV.

Elaboraverat quoque jam ante Lutherus in arce Coburgensi *Admonitionem ad Ecclesiastici Ordinis congregatos in Comitibus Augustanis*, ante coepta Comitata, ad Jo. Fridericum Duce[m], missam, qui nonnulla ejus exempla Oenipontum agentis Dolzigio transmisit d. XI. Junii, in aula Cæsaris, viris causæ Evangelicæ bene affectis, distribuenda. In fronte libelli hæc ex Psal. II. præfixa verba conspiciuntur: *Et nunc Reges intelligite & erudimini iudices terræ.* Seckendorffius prolixè recensuit hunc libellum, ex quo summam duntaxat repetemus. 1. Excusat audaciam, quod consilium dare sustineat Pontificiis, qui jam per decem annos omnibus consiliis, insidiis, artibus, cædibus & suppliciis nihil non egerint, ut scopum suum attingerent, licet frustra cuncta fuerint, sectas quippe esse multiplicatas, Turcos irruisse, suam vero causam stare immotam, sive in Turcos, sive in Diabolos inciderit, nec indigere hominum ope in Comitibus, cum satis confirmata verbo Dei & martyrum sanguine ob signata sit. Hinc 2. indicat edicti Wormatiensis nullum effectum, ac ideo illud ab ipsis Imperii Ordinibus in Comitibus Norimbergensibus suspensum fuisse. 3. Monstrat, quid à se ad Ecclesiæ utilitatem factum sit, dum jus Magistratus & Episcoporum adversus insolentiam monachorum asseruerit, seditionem præcaverit, quos abusus & errores cor-

Admonitionem ad ordinem Ecclesiæ in Comitibus mittit Lutherus.

rexerit, circa indulgentias, confessionum particularium carnificinam, Missam privatam &c. 4. Diluit objectionem novitatum à se invecstarum, & telum in adversarios retorquet, cum Missæ illæ, quæ quæstus causa celebrantur, ac ritus in Canonibus & Patribus extantes, invocationes sanctorum, & similia bene multa, novitatis vocabulo carere nequeant. 5. Vehementer in concionatorum Papisticorum ineptias invehitur, quibus mundum, non templa solum impleverint, & Christum contumelia affecerint, quando Mariam thronum gratiæ, Christum autem iratum judicem dixerint. 6. Scholasticorum Doctorum errores perstringit, quorum tota ars fuerit, ut Scripturam contemnerent. 7. Obtestatur, se ista omnia non convitiandi causa scribere, sed quod serio status Ecclesiastici emendationem cupiat, & exitium ejus præcavere velit: additque multa severitatis exempla. 8. Pergit ad fulmina excommunicationis, non ad disciplinam, sed ad opprimendos Reges Principesque, & vindictam pro lubitu exercendam, instituta. 9. Rapinam bonorum Ecclesiasticorum improbat, majorem tamen exerceri ab iis affirmat, qui Lutheranismum non sint adducti. Furibus autem illis externis pejores esse internos, seu Clericos, qui possessis pessime & contra Canones, abutantur. 10. Prætermittis articulis multis de pœnitentia, baptismo, eucharistia, fide & operibus, de communione sub utraque tractat, & rejicit, quam adversarii semper jactitant, autoritatem Ecclesiæ, negatque eos magis Ecclesiam esse, quam nos. 11. Protestatur dein, si in causa religionis quid in Comitibus concedant, id non pro beneficio haberi debere, sed jure niri, quæ desiderentur. De negligentia Episcoporum & voto Cœlibatus queritur. 12. His aliisque enarratis ad pœnitentiam & emendationem eos cohortatur serio, & comminatur, si id facere nolint, & perseverent bonos, speciatim pastores uxoratos. Rogat porro, ut, si nihil spei ab iis reliquum sit, se è medio tollant.

Pestis

Pestis (ait) *vivus fui*, mortuus inors vestra ero; Deus enim concitavit me contra vos, ut vobis sim ursus & leo in via Aslur. 13. Ostendit, quatenus Episcoporum jurisdictio & dignitas, publicæ pacis & tranquillitatis causa tolerari queat. 14. Catalogum texit capitum religionis & cultus, quæ in vera Christiana Ecclesia necessaria sint & tractari ab Episcopis debeant: & iis opponit, quæ in Ecclesia hypocritica recepta sint, quæque inepte curentur. Tandem 15. in Epilogo denuo ad pacem & æquas condiciones hortatur clerum, eumque ad confessionem Adriani Pontificis de necessitate reformationis in Comitibus Norimbergensibus ablegat.

Quæ sub jungit *Seckendorfus* de intrepido Lutheri animo, quod talia publicaverit, merito admiranda sunt, ac multo magis id, quod hæc admonitio in Confessu Principum Romano-Catholicorum ab ipso Episcopo Augustano lecta fuerit, ut ex literis à Melanchthone ad Lutherum die XXX. Julii scriptis patet.

Tom. V. Alt. pag. 201--220. Seckendorf. pag. 184. a. 188. a.

§. CCXVI.

Præter Epistolas Lutheri ad Melanchthonem aliosque da- Luthers E-
tas, ea meretur enarrari, quâ d. XIII. Julii *Johanni* Electori Sax. lectori resp.
ad quæstionem d. IV. Julii ab eo propositam, quid respondere quid agen-
Cæsari debeat, si postulaverit, ut ejus judicio causa committatur? dum, si Cæ-
respondit: 1. urgeri debere *scopum & finem conventus Augustæ* sar postulet,
indicti, nempe causæ cognitionem, & amicam de religionis ut ejus judi-
dissidio collationem. Quæ si non instituenda esset, nihil illis lit- cio causam
teris opus fuisse, ac judicium illud suum Cæs. Maj. etiam in Hi- committat.
spania ferre & responsum per veredarium transmittere potuisse. Parum vero honoris, & fortassis magnum scandalum & incommodum rediturum esse ad Cæs. Maj. & ad universum Imperium, si C. M. simpliciter causa incognita iudex esse & nihil aliud respondere velit. 2. Si Elector urgeatur, ut Cæsari judi-

cium permittat, posse cum hac conditione illud accipere, *si nihil contra claram Scripturam aut verbum Dei judicet.* 3. Si objiciatur, hac responsione contumelia affici Cæs. Maj. quasi contra Dei verbum pronunciatum esse existimetur, sed credendum, C. M. tanquam Christianum Principem; nihil contra verbum Dei decreturam, aut judicaturam, Electorem regerere posse, quod Deus severe prohibuerit fiduciam in Principes & homines collocare; imo neque præceptum primum hoc pati; & si sint *Christiani Principes*, non potuisse id rectius demonstrare, quam *si cum Christi verbo & juxta illud judicent*, ac dicant: *sic ait Christus.* Si autem præter Scripturam judicent, & velint, ut ipsorum judicium sine Scriptura recipiatur, redarguere eos proprium ipsorum os, quod velint esse Christiani Principes, sine Christo & contra Christum.

Tom. V. Alt. pag. 220, b. 221. a. Supplem. Epist. p. 146. seq.

§. CCXVII.

*Ad Jonam
scribit, Co-
mitiorum
eventum
præfagiens
& ad con-
stantiam
excitans.*

Ad similem constantiam & prudentiam denuo Noster amicos Augustæ cohortatur, quemadmodum ex literis d. IX. XIII. & postea scriptis elucet, & simul prædicat sagaci mente Comitiorum eventum. Ad *Jonam* scripsit, se videre quædam hystera protera in Comitiiis, & catastrophem Comicam expectare; non sane ut de dogmatibus unquam fiat concordia, sed ut dissensione dogmatica suspensa, politicam concordiam fieri posse speret, quæ si Christo benedicente veniat, satis sit. Præterea hos è Comitiiis fructus provenisse, 1. quod Christus publica & gloriosa confessione declamatus sit, atque in lucem & faciem ipsorum affirmatus, ut non possint jactare, nos fugisse, formidasse, aut celasse nostram fidem. 2. Nos pacem semper quævisse & orasse. 3. Pacem politicam, quam secururam augeretur. Postea ad fiduciam in Christum excitat admodum significantibus verbis. *Quid enim*, inquit, sperem facturos adversarios boni? Quid de Cæsare quantumvis optimo, sed obfesso? Chri-

Christus venit & sedet ad dextram, non Cæsaris, nam sic periissemus olim, sed ad dextram Dei. Est hoc incredibile magnum. Ego tamen delector in isto incredibile, & in eo mori prorsus presumo. Et quare non etiam in eo viverem. Utinam & Philippus saltem mea fide, si aliam non habet, hoc crederet. *A dextris ist* wohl ein gering Ding / aber das MEIS wo hat das ein Ende? das Pronomen wirds thun. Denn das Nomen Dominus wird das liebe Domino (ladoni) wohl erhalten / bis daß scabellum pedum auch komme. Was giltes / ob David liegen werde? Nisi forte sola Augusta Vindelicorum hoc mense coepit dominari aut evadere dextram Dei, ut Christum ibi per Sacramentarios dejectum & Davidem per Papistas correctum esse credere oporteat.

Spalatino nullam spem se habere scripsit, quod Cæsar causæ nostræ sit propitius futurus, etiamsi magnopere velit. Itaque *ad Spalatino* præsidium nostrum esse Dominum, qui in infirmitate potens sit. Mirum esse, quas victorias adversarii ex Augusta spargant, quod Protestantes jam conculcatis & derisos habeant. Verum *confidite*, ait ille, *ego vici mundum. Qui habitat in caelis, ridebit eos.* Sic de causa cogito. Neque enim juvabimur, nisi deferti prius simus. Mox addit Scripturas, odium mundi prædicentes, non solum veras esse oportere, sed & impleri.

Melanchthoni respondet, quod recte judicaverit, nullum esse locum conciliationi doctrinæ. Se ne pilum cessurum, & extrema quæque expectaturum, & cum sic ludant promissione concilii fallaces diaboli, lusurum & se simul cum eis, appellando à minis eorum, ad nihili illud & nunquam futurum concilium, ut interim pacem habeamus. Nihil se adhuc metuere de vi aut manu eorum violenta. Christum sic adhuc nos tentare, qui potens sit in infirmis, & hac ratione gloriari in Concilio Sanctorum, & nulla alia. Velle se in ista hominum victoria & jactantia Philippum non turbati, sed roborati in fortitudine virtutis & potentia illius, qui suscitavit Christum è mortuis.

In

ad Spalat.
Melanchth.
& Agricol.
simul scribit

In Epistola ad *Spalatinum*, *Melanchthonem* & *Agricolam* simul data d. XV. Julii adversariorum responsum nullum aliud eos audituros scribit, quam *Patres, Patres, Patres, Ecclesiam, Ecclesiam, Ecclesiam, usus, consuetudo*, & his arbitris ac testibus Cæsarem pronunciaturum contra Protestantes, & securas minas usque in cælum & infernum; Dominum vero daturum os & sapientiam. Redditum jam esse Cæsari, quæ Cæsaris, & Deo, quæ Dei sint. *Perrupturam Confessionem in omnes aulas Regum & Principum, dominaturam in medio inimicorum suorū, & exituram in omnem terram sono suo*, ut qui, non crediderint, sint inexcusabiles. Hunc fructum futurum silentii imperati in exordio Comitiorū. Si hoc quoque accesserit præmii, ut, adversariis ipsis testibus, *nullus articulus fidei laesus sit*, plus obtentum esse, quam petitum sit, scilicet liberatos esse Protestantes ab opprobrio hæretici nominis. Absolvit igitur amicos in nomine Domini à Conventu isto, & domum revocat. *Immer wieder heim/ immer heim.* Concordiam enim in doctrina non esse sperandam. Si Cæsar edictum edat, eum esse audiendum ut Cæsarem, nec amplius, nec ultra, non Cæsarem larvatum rusticum (Ducem Georgium) Et si vi armisque urgeat Cæsar, quod non speret, datum & Deum consilium, qui Confessioni nostræ aperuerit ostium Cæsaris & Regum. Campegium cum jactata potestate dispensandi susque deque habendum.

Supplem. Epist. Ep. 143. 145. 146. 148. 152.

§. CCXVIII.

Detraditionibus ad Melanchthonem.

Postea de *traditionibus* dubia sua *Luthero* exposuit *Melanchthon*, petiitque sibi copiose responderi. Quæstio hæc erat: *utrum traditiones factæ propter bonum ordinem, pædagogiam, propter cultum quidem, sed fidem sequentem, servanda sint, propter auctoritatem & mandatum potestatis: utrum tales traditiones obligent conscientiam?* *Melanchthon* hoc affirmabat, quia fateri cogamur, quod *Episcopi* jure humano sint potestates; jus pote-

potestatis autem hic afferre necessitatem. *Lutherus* respondet, 1. cum certum sit, duas illas *administrationes*, nempe *Ecclesiasticam & Politicam*, esse *distinctas & diversas*, quas *Sathan* per *Papatum* mire confuderit & miscuerit, acriter vigilandum esse, ne denuo confundantur, nec ulli cedendum, aut consentiendum, ut confundat. 2. Ex hoc sequi, quod eadem persona non possit esse *Episcopus & Princeps*. Personas permixtas se intelligere, sicut & *administrationes*, etiamsi idem homo utramque personam gerere possit; nolle enim se turbare *Episcopos*, si qui boni inter eos sint. Verum 3. *Episcopum quatenus* nullam habere potestatem super *Ecclesiam* suam ullius traditionis aut ceremoniæ imponendæ, nisi consensu *Ecclesiæ* vel expresso, vel tacito, quia sint *ministri & æconomi tantum*, non *domini Ecclesiæ*. 4. *Episcopum ut Principem* multo minus posse super *Ecclesiam* quidquam imponere, quia hoc esset confundere prorsus duas has potestates, & ἀδωραιοποίησιν. Eos autem qui tale quid admitterent, ejusdem sacrilegii reos esse. Si vero ut *Princeps* suis subditis, ut subditis, imponat quicquid visum fuerit, modo pium & licitum sit, v. g. jejunium, subditos ad obedientiam teneri. *Episcopis* tamen neque *Ecclesiastico* nec *profano jure* tribui posse potestatem, super *Ecclesiam* statuendi quidquam, quantumvis licitum & pium: & si etiam vi cogere velint, non obediendum sed moriendum potius esse pro distinctione servanda istarum *administrationum*, & contrarium faciendum; quia si consentiretur, non solum feratur malum, sed etiam confirmetur iniquitas, & negetur pietas, saltem patientiæ & ipso opere. Cavendos igitur fucos & fallacias *Prælatorum*. Roganti iterum & deprecanti, qui bilem quodammodo *Luthero* moverat, *Melanchthoni* d. XXVII. Jul. respondet iterum *Lutherus* d. III. Augusti bis, & 1. contra *causas finales traditionum* *Philippi*, urget suas *causas* (quas vocat) *efficientes*, cum frustra *finales causæ* jactentur, si nulla sit *efficientis*. Jam, cum neque *Principes*, neque

Episcopi potestatem habeant traditiones in Ecclesia statuendi, frustra dici, hoc vel illud pium esse, licitum esse, exercitium esse, Eucharistiam esse, disciplinam esse. 2. *Causas* omnes *inales* Philippi esse *impossibiles*. Summam hanc esse concludit: non licere latrariam ullam eligere aut invenire, absque expresso mandato Dei & certo verbo.

Tom. V. Alt. p. 243, seqq. Supplem. Epist. Luth. Ep. 161. 162.

§. CCXIX.

Pontificii querunt, an Nostri plures art. consignare velint? Dum ita Theologi Evangelici inter se disceptant & sententias conferunt, Pontificii quoque suam rem egerunt strenue; nam eorum Theologi, quibus non tantum moderatus Confessionis stylus suspectus erat, sed illud quoque, quod nonnulla adversariorum dogmata à Luthero jam ante rejecta, ommissa essent, die IX. Julii à Cæsare impetrant, ut Protestantes Ordines in Curiam vocaret, & ipsis significaret, num plures articulos indicare & offerre, vel in jam oblati acquiescere velint? Nostri, cum adversariorum fraudes facile olfacerent, deliberandi spatium petunt, & postridie renunciant, quanquam constet pateatque inter omnes, multos abusus in Ecclesiam irrepsisse, circa doctrinam & disciplinam Clericorum, qui non Nostros tantum sed multos alios etiam moverint, ut eos publice refellere sint aggressi; se tamen in Confessione exhibita rationem doctrinæ suæ breviter reddere, & præcipuos tantum abusus indicare voluisse, quibus ipsorum conscientia gravata fuerint, relictis illis, qui corruptos Clericorum mores concernant, (vide Epilogum Aug. Conf. pag. 45.) brevitatis gratia. Profiteri tamen se, quod per articulos exhibitos, omnes incertas & impias doctrinas ac abusus cum illis eorumque rationibus adductis pugnantes, simul improbent, hancque ob causam plus proponere nolint. Si vero altera pars, ex tenore litterarum Imperatoriarum, aliquid proponere de sua fide, aut nostram impugnare, & abusus illos approbare velit, tum se ex verbo Dei suam sententiam

tiam

tiam uberius declaratuos. Nil magis ergo se rogare, quam ut Cæs. Maj. promovere negotium & mandare dignetur, morem sine mora gerendum esse rescripto.

Prudenter omnino fecerunt Protestantes, quod alios art- ^{idque pru-}
culos non proponere sed exspectare voluerint, donec ad exhibi- ^{denter.}
tam Confessionem altera pars responderit. Ex *Melanchthonis*
quoque autographo observavit *Seckendorffius*, ipsum monuisse,
hanc clausulam addi debere: *non præjudicari aliis capitibus con-*
troversis, neque pro concessis habenda esse, quæ per consequentiam
ex adductis deduci possint, neque aliis, de quibus dubium superesset,
fraudem fieri. Quod probe notandum vir Illustris merito mo-
net adversus sycophantas veteres novosque, qui religionem E-
vangelicam, veteratoria quadam cavillatione, ad nuda verba
Confessionis restringunt & coarctant, vel Protestantes mutatae
religionis accusant, si scribant doceantve, quæ in Aug. Confess.
non expressis verbis leguntur.

Usum insignem hæc observatio habet nominatim in quæ- ^{Ufus obser-}
stione: *an Augustana Confessio Papam dicat Antichristum?* Tan- ^{vationis hu-}
nerus enim Jesuita, aliique eum secuti, vociferantur, *hanc doctri-* ^{jus in quæst.}
nam esse calumniosam, nec in Imperio hæcenus publica fide to- ^{an A.C. dicat}
leratam; cum *in tota A.C. nunquam habeatur, Pontificem Ro-* ^{Papam esse}
manum esse Antichristum. Nam cum Aug. Confessio exhibere- ^{Antichri-}
tur, jam constitutum erat inter Evangelicos, Romanum Ponti- ^{stum?}
ficem Antichristianismo se contaminasse, ut ex scriptis & locis
bene multis Lutheri, subinde à nobis adductis, luculenter pa-
tet. Principes quoque nostri, sibi reservarunt abusuum, in Aug.
Confess. non memoratorum disertis verbis, notationem & abro-
gationem, inter quos sane facile primus & maximus est Anti-
christianismus in Ecclesiam introductus, qui, dicente *Dorscheo*,
in Dissertat. de hac quæstione, stat, quamdiu Augustanæ Con-
fessionis Capitibus non subscribitur, illico labitur, ubi sanctissi-
ma illa docendi regendique regula observatur. Observat etiam

ibidem vir celeberrimus, characteres Antichristianismi, quos sacræ literæ designarunt, plerosque omnes, Romani Pontificis in Ecclesiam usurpato imperio, ab August. Confess. ejusque Apologia tribui. In duobus articulis abusu tres Antichristi notas reperimus, de utraque specie, & de *Conjugio Sacerdotum*. Pag. 21. dicitur, *tantum consuetudinem non ita veterem aliud habere de S. Cœna, ac verba Institutionis habent; constare autem, quod consuetudo contra mandata Dei introducta non sit probanda.* Hanc vero dum introduxit Papa contra mandatum Dei, utique supra Deum se extulit, quod Paulus Antichristum facturum dixit 2. Thess. II. 4. Pag. 22. tribuitur Pontifici Romano, quod non tantum futura sed etiam præsentia *conjugia Clericorum prohibuerit, contra omnia jura divina.* Hoc iterum est elevare se contra Deum. Pag. 23. è Paulo 1. Tim. IV. 3. probatur *doctrinam demoniorum esse, quæ prohibet conjugium.* Quod dum facit Pontifex, & quod ibidem notatur, *Sacerdotes propter conjugiam capitalibus pœnis excruciat, contra Canonum voluntatem,* seipsum Antichristum declarat. Plura lubens prudensque prætereo, cum hæc sufficiant, & in altera Sectione forte locum inveniunt.

Seckendorf. p. 171. a. 173. a, b. 174. a. Müller. L. III. Cap. XXV.

§. CCXX.

Cæsar Electori Sax. investituram negat. donec ad Eccles. Pontif. redeat.

Verum nondum hic finis erat astutiæ & fraudulentæ adversariorum; adorti enim etiam sunt Principes inter Protestantes, & Electorem Saxonæ, Johannem, qui & ante hæc tempora per Legatos, & in Comitibus *investituram*, quam vocant, *Electo-ratus* & provinciarum suarum submisit petebat, sed obtinere non poterat, instinctu haud dubie Episcoporum & Legatorum Pontif. Nam XIV. Julii per *Fridericum Palatinum & Henricum Nassov.* ipsi renunciatum fuit: Cæsarem neque investituram illam concessurum, neque pacta dotalia inter *Johannem Fridericum*, Electoris Filium, cum *Sybilla Clivensi*, Imperatoris sorore, confirmaturum esse, nisi ad Ecclesiam Catholicam rediret. Elector

Et vero his minis nihil moveri se passus est ad turpem defe-
 ctionem ab agnita veritate Evangelica, sed d. XXI. Julii scri-
 ptum exhibuit, quo prolixè & solide respondit ad denegatæ in-
 vestituræ & consummationis matrimonii quæsitum ex mutata
 religione prætextum, & constantiam singularem in Confes-
 sione edita testatus est. Excusationem quoque addidit suspi-
 cionis de fœdere cum aliis inito, quam Aula Cæsarea ex verbis
 Epistolæ cujusdam Electoris captaverat, in qua meminerat il-
 lorum, qui *conjuncti secum essent*. Georgio Brandenburgico
 quoque Cæsar minatus est, se illi tutelam Casimiri fratris filii
 ademturum, si Lutheranæ factioni adhærere perseveret. Land-
 gravium denique Hassiæ tentavit spe restitutionis Ulrici, Ducis
 Wurtembergici, quam ille vehementer desiderabat, & æquis
 modis componendæ litis gravissimæ, quæ ipsi cum Nassovio
 intercedebat. Sed neminem horum Heroum vel minæ, vel pro-
 missiones Imperatoriæ moverunt.

Chytr. p. 98. b. -- 106. ff. Seckendorf. p. 164. a, b. Müller. Cap. XXII.
 pag. 670 -- 685.

§. CCXXI.

Huc etiam refero libros, à Pontificiis Theologis certatim *Libri à*
 in Lutherum editos, quorum catalogum sequentem d. XIII. Jul. *Theologis*
 Cæsari tradiderunt, ut magis exosum cum doctrina Evan- *Pontificiis*
 gelica redderent. *Luthero op-*

positi.
 Catholica & quasi extemporanea Responsio, super nonnullis
 articulis, Catholica Cæsarea Majestati, hisce diebus, in dieta Impe-
 riali Augustensi, per illustrissimum Electorem Saxoniam & alios
 quosdam Principes, & duas civitates oblatis.

Antilogiarum, hoc est, contradictionum M. Lutheri Babylo-
 nica, ex ejusdem apostata libris, per Doctorem Johannem Fabri
 excerpta.

Hæreses & errores, ex diversis M. Lutheri libris in unum
 collecti.

Hereses in sacris Conciliis antea damnata, per Lutheranos iterum ab inferis reducta.

Hereses & errores Martini Lutheri, per Leonem Pontificem ante decennium damnati.

Hereses & errores M. Lutheri, ante septennium per universitatem Parisiensem condemnati.

Condemnatio Facultatis Theologica Lovaniensis.

Epitome aliquot haresum & errorum M. Lutheri.

Monstra sectarum, ex Luthero & Lutheranis enata.

Lutherani Evangelii abominabiles & perniciosi & damnatissimi fructus.

Mentionem hujus Catalogi fecit Melancthon in Epistola biduo post ad Lutherum data, cumque transmisit, non sine zelo, cum intellexisset, non alio fine ab adversariis id factum esse, quam ut animum Caroli mitem erga Protestantes exacerbarent. **Solche Griffe brauchen die Duben wider uns.** Unde minatur se istos truculentos & crudeles (losen Bluthunde) vindicaturum. Addit se aliquoties apud hostes, Eccii sodales fuisse, & dici non posse, quantum odium Pharisaicum in iis observaverit. Nihil aliud eos moliri & agere, quam ut Principes contra Evangelicos irritent, & pium Casarem ad bellum concitent. Lutherus d. XX. Julii ita respondit Philippo: *quod adversarii colligunt contradictoria ex meis libris, etiam faciunt pro gloria sapientie sue ostendenda. Quomodo isti asini contradictiones nostra doctrinae judicent: qui neutram partem contradictoriorum intelligunt. Quid enim aliud nostra doctrina esse potest in oculis impiorum, quam mera contradictoria, cum exigat & damnet opera, simul tollat & statuatur ritus, simul magistratum colat & arguat, similiter peccatum asserat & neget. In literis ad Jonath d. XXI. Jul. exaratis eo quoque respicit, quando hunc in modum scripsit: *falsus sum spe mea, qui vos adventare cogitabam, edicto Caesaris jam dudum verberatos.* Sed nunc video, quid voluerint istae postulationes,*

an plus articulorum haberet is offerendum. Scilicet Satan adhuc vivit, & bene sensit Apologiam vestram *Leissetterin* dissimulasse articulos de purgatorio, de sanctorum cultu, & maxime de Antichristo Papa. Miserum vero Cæsarem, si ista Comitia instituit audiendis antilogiis Lutheri, quasi non satis habeant respondendo ad ipsam præsentem apologiam. Et istis raris sic patere aditum cum suis coaxitatibus, serio me urit in tanto causarum maximarum negotio, ut etiam in summo otio non debuerit illis id licere. Sed fiunt hæc, ut sim Propheta verax, qui semper dixi, frustra laborari & sperari concordiam doctrina, satis esse, si pacem politicam possimus obtinere. Gaudeo Philippum experiri Campegii & Italarum ingenia. Philosophia ista non credit nisi experta. Ego neque confessori Casaris, neque ulli Italo unum My credo. Nam meus Cajetanus sic amabat me, ut sanguinem pro me vellet fundere, scilicet meum. *Es sind Dubsen.*

Tom. V. Alt. pag. 159. b. 160. a. 161. b. Chytr. pag. 106. seqq. Supplem. Epist. pag. 156. 169.

§. CXXXII.

Ulterius etiam progressus Cæsar, Theologorum instinctu, *Libri Lutherani prohibiti & damnati.* libros Lutheri vulgari vetuit, affixo duobus in locis interdicto Augustæ, & generatim ac sine discrimine doctrinam Lutheri condemnavit, & quidem ante publicatam Confutationem Confessionis Aug. immo ante quam ejus Compilatores convenerunt inter se certamque posuerunt sententiam. Interdictum vero illud licet generalibus verbis conceptum fuerit, & ad Protestantium æque ac Pontificiorum libros trahi potuerit, cum ita habuerit: sine censura à Cæsare ordinata, & à Cancellario Secretarioque subscripta, nullos libros vel exscribendos, vel vendendos esse; tamen *autor Apologie MS.* ostendit, non alios, quam Lutheri & aliorum Christianorum Doctorum libros, puriorem Evangelii doctrinam è Scriptura S. proponentes, partim ante Comitia Augustana, partim durantibus illis scriptos, mandaro

Cæsa-

Cæsareo intellectos esse; quod hinc quoque colligi possit, quia nonnulli, quorum nomina exprimi possent, Bibliopolia visiterint, & Bibliopolis se vere interdixerint venditionem scriptorum *Lutheri*, *Eccii* autem, *Fabri*, aliorumque scripta istis temporibus non absque blasphemia in Spiritum S. & multos pios Christianos propalata, impune emi vendique permiserint.

Jo. Joach. Müller. Cap. XXIII. pag. 696. seq.

§. CCXXIII.

*Doctrina
purior sub
machina-
tionibus &
persecut. ho-
stium magis
erupit*

i.
*per publi-
cam lectio-
nem.*

Inter tot ac tanta impedimenta à fraudulentis Sophistis objecta, Deo pro meliore nostra causa stante, sisti & prohiberi Evangelii cursus non potuit, sed, nil opinantibus hostibus, in bonum cessit diligentibus veritatem, quidquid machinati illi fuerant. Nam non tantum Confessionis Augustanæ lectio, quemadmodum supra dictum est, multos erudivit, & multarum concionum vices sustinuit; sed *translatio* quoque ejus in varias linguas longe lateque doctrinam puriorem disseminavit. De illa *Lutherus* aliquando mensæ accumbens sic disseruit: *tanta est verbi Dei efficacia & virtus, ut quo plus persecutionis habeat, eo plus floreat & crescat. Considerate Comitia Augustana, quæ vere sunt ultima tuba ante extremum diem. Quam æstuabat totus mundus tum contra nostram doctrinam. O wie mus- sten wir da bitten/das Christus vor den Papisten im Himmel bliebe. Tandem nostra doctrina & fides ita prodiit in lucem per Confessionem nostram, ut brevissimo tempore, mandato etiam Cæsaris, ad omnes Reges & Principes mittereretur, ibi multa præclarissimorum virorum ingenia in aulis fuerunt, die stengen diese Lehre/ gleichwie ein Zunder. Ita nostra confessio & Apologia in summa gloria est edita. - Ideo nostra illa Comitia omni laude digna sunt. Was allda verzeht ist worden/ soll niemands gereuen. Quia verbum Dei divulgatum est passim contra omnium hominum, Cæsaris, Papæ & Epicureorum opinionem. Sie wolten unsere Lehre mit Gewalt gar dämpffen / da gieng sie erst rechte an und auff.*

Deni-

Deinde quoque adversarii ipsi, licet ignari, sanam doctrinam propagarunt, quando Augustanam Confessionem in varias linguas transferri curarunt. Imperator per *Alexandr. Schweifsum* Gallice, & per alium *Secretarium*, Campegio petente, Italiane reddi jussit, ut Regi Galliarum & Papæ transmitti festinantissime potuerit. Idem fecerunt aliorum Regum & Principum Legati, Angli, Portugallici &c. Hac ratione Evangelica doctrina in totum terrarum orbem cito sparsa ubique percrebuit, & in ore sermoneque omnium esse cœpit, ut vere scripserint Electores, Principes & Status Aug. Confess. invariata professi, in præfat. Form. Concord. Quod immerito mendacii arguit *Card. Bellarmini* in *Judic. de libro Concord.* Sed purpuratus & contra experientiam, quæ stultorum magistra est, & secum ipso pugnat, adeoque parum sibi constat, ut occini ei tritum illud possit: *mendacem oportet esse memorem.* Nam in oratione, quam præfixit Tom. I. Controversiar. habita in Gymnas. Romano, sic conqueritur de Confessionis nostræ disseminatione: *Atque utinam soli sibi noceret hæreticus, & non continuo venenum suum longe lateque diffunderet; sed verissime scriptum ab Apostolo esse, hæreticorum verba, ut cancrum serpere, testis est locupletissimus hæc nostra ætas. Quis enim ignorat pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam, mox Germaniam pene totam occupasse: inde ad Aquilonem & Orientem profectam, Daniam, Norvegiam, Suetiam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumpsisse: tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populatam: ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam usque penetrasse.* In Oratione alia Tomo IV. præfixa, qua ostendere laborat, quale animal sit *Lutheranus*, ex Apocal. Johannis, asseritq; *Lutherum* per stellam de cœlo cadentem, *Lutheranam doctrinam* per fumum de tartaro ascendentem; ipsos autem *Lutheranos* per exercitum innumerabilium atque horribilium

2.

per translationem in varias linguas.

Bellarmini confessio.

locustarum, intelligi, inter alia quòque sic dixit: *Porro volantes currus miram indicant velocitatem, qua nova ista secta instar pestifera tabis sese per varias regiones effudit. Nam non contenta occiduis & aquilonaribus regnis, ad Orientem quoque & Meridiem, ad Gracos, ad Indos, ad ipsum novum orbem navigare ausa est.*

Tom. V. Alt. pag. 526. a. 528. a, b. Colloq. Conv. p. 469. b. edit. nov.

§. CGXXIV.

*Confutatio
d. 3. Augu-
sti lecta, eius
copiam à Pro-
testantibus
perita, sed
denegata
fuit.*

Satis diu lambebant adversarii suam Confutationem, & in ista sua Helena ornanda sex fere hebdomadas consumserunt. Die igitur Augusti III. Cæsar convocavit Status Imperii in palatium suum, & Protestantibus V. Principibus per *Fridericum Palatinum* indicavit, suo jussu *confutationem confessionis Saxonica* à viris doctissimis & peritissimis variarum nationum esse confectam, *quam ipse approbet*, eamque publice nunc esse recitandam. Petere igitur se, ut *Protestantes* idem faciant, & cum *Papa ac cæteris Imperii Statibus catholicis Christianam concordiam ineant*; ne, si secus fiat, cogatur facere, quod Defensoris Ecclesie munus postulet. Aspera hæc Cæsaris sententia lectioni Confutationis per *Alex. Svevissimum* factæ, præmittebatur, ad terrendos Protestantes, finitaque recitatione asperiora etiam verba addebantur, in hunc maxime modum. Cum prælectam confutationem S. Cæs. Maj. probe expendit, ac Christianam sicque solide compositam esse deprehenderit, ut refelli nequeat, postulare se denuo clementer & severe, ut Elector Saxonie, cum sociis & Doctoribus suis, ei concorditer assentiantur; se ea, quæ emendationem requirunt, curaturum, ut sanentur, & ut Ecclesie status corrigatur, omnem operam daturum. Ad hæc *Protestantes* regerunt, se ex festinata lectione Confutationis percepisse, quædam capita confessionis adversarios admisisse, quædam vero per dicta Scripturæ, Patrum, Conciliorum & traditionum refellere conatos esse. Ut ergo omnia in causa hæc

hæc salutis gravissima rite considerare & decernere possint, petere se, ut confutationis exemplum sibi detur, quo conferre suos articulos cum rationibus oppositis possint. Planum quippe & juris esse notorii, ut *copia producti cum competenti termino deliberandi decernatur*, in rebus etiam minoris momenti. Cæsarem etiam in literis, quibus Comitiam indixerit, diserte voluisse, ut *partium opiniones & sententia inter sese, in charitate, & mansuetudine mutua, coram audiantur, & expendantur, qua ex utraque parte minus recte explicata sint*. Hinc autem inferri & sequi, ut unius partis rationes & opiniones alteri communicentur, & sicut Confessio sua tradita sit Pontificiis, sic similiter se petere Confutationis exemplum. Cæsar tum quidem, quia vespera ingruerat, responsum non dabat, sed rem se expendere, eaque expensa, quid decreverit, renuntiare velle affirmabat, ac post biduum per Palatinum significabat, se prout promiserit in literis suis, daturum Protestantibus petitum exemplum, verum ea lege, ne quid ejus evulgent, aut typis exscribant: nolle etiam ampliolem ullam disceptationem admittere, quum causa utrinque satis jam tractata sit; ideoque se petere, ut in sinum Ecclesiæ redeant. Haud inanis est conjectura, adversam partem hanc artem excogitasse, ut cum verbo denegare ausi non fuerint confutationis copiam, eam conditionem adjecerint, quam Protestantes nullo modo accepturos judicabant, sicque facto denegarint. Suberat quoque hæc ratio, quod Pontificii confutationem suam *puerilem & ineptam*, ut Melanchthon eam vocat, in lucem prodire & in manus hominum venire noluerint. Hinc Lutherus ex vero dixit: *nostra Confessio & Apologia in summa gloria est edita. At illorum Confutatio in tenebris sordescit. O quam optarim, ut in lucem prodiret!* Wie wolten wir uns an den alten zerrissenen Pelz machen / und ihn also zu schütteln / daß die Fleck hin und her stieben solten? Sed ipsi oderunt lucem. Sie wollen nicht herfür. Illas fraudes

Zz 2

cum

cum nostri subolferent, non posse se ista lege confutationem recipere, demonstrant. De hac re litigatum est diu ad horam usque vespertinam octavam; quam litem tandem dirimunt *Archiepiscopus Moguntinus, & Frater ejus, Elector Brandenburgicus, & Dux Brunsvicensis*, pollicenturque, se de æquis rationibus & mediis deliberaturos, quibus componi amice negotium queat, atque ut hoc sibi permitteret Cæsar, eum rogarunt.

Tom. V. Alt. pag. 526. b. 528. a. b. Chytr. p. 190. b. — 223. Sleid. p. 188. Seckendorf p. 171. b. 172. a. Müller. p. 702. seqq.

§. CCXXV.

*Delecti d. 6.
Augusti
conveniunt,
deliberaturi
de ratione
concordiæ
inveniendæ*

Deligebantur igitur XVI. à Catholicis, qui VI. d. Augusti convenerunt, cum cæteris deliberaturi de ratione concordiæ inveniendæ; sed inter eos ipsos discordia mox oborta est, dum *Episcopus Augustanus, Christophorus de Stadian*, è confessu sub initium surrexit, & gravi severaque oratione Ecclesiasticos ac seculares Principes cohortatus est, ut in præfenti negotio id inprimis caveant, ne quid contra verbum Dei, jus & æquitatem decernatur; cum certum exploratumque sit, Lutheranæ doctrinæ addictos ne unicum quidem fidei articulum convellere. *Omnium igitur & singulorum, qui pietatem amant, officium esse, ut vias modosque ineant, quibus pristina tranquillitas & Ecclesiæ unitas restituatur.* Hac admonitione offendit Episcopus zelotas cæcos & imperitos. Hinc *Episcopus Salzburgerensis, Matthæus Langius*, Cardinalis, exprobrantis in modum ei respondit, *mirari se ipsius novam religionem & sanctimoniam, qui antea longe alius fuerit, & aliter prorsus de religione nova Lutheranorum non ita diu senserit: velle quidem & se Missam reformari, & libertatem in cibis & aliis traditionibus permitti, sed non ferendum esse, ut Monachus fiat reformator, & pacem turbet.* Augustanus Episcopus rursum, scio, inquit, *me si memoria recolo spatium antea & meæ vitæ, multipliciter deliquisse, &*
doleo,

doleo, ac tempus esse video desistendi à peccatis nostris enormibus, quorum tu quoque tibi probe conscius es, oro autem Deum, ut custodiat me, ne peccata peccatis, præsertim condemnatione innocentium, augeam, & ne veritati cælesti, sive à Monacho, sive ab aliis demonstrata, me opponam. Ad hoc Joachimus Elector Brandenburgicus exclamat: Non verum dici, quod Lutherani contra nullum articulum fidei quidquam doceant, siquidem negent hunc articulum, credo Ecclesiam Catholicam, sanctorum invocationem. Augustanus Episcopus sanctorum communionem, non invocationem in Symbolo contineri ostendit, & Lutheranos de Ecclesia recte sentire ac docere, & tantummodo abusus & errores Romana Ecclesia taxare, quorum non pauci, sed nimis multi & crassi sint. Displicuit hæc disputatio Alberto Moguntino, utpote loco & tempori parum conveniens, & utrosque serio monuit, ut non tantum ab omni ulteriori disceptatione abstineant, sed etiam ut eo omni studio incumbant, quomodo plurimi abusus tollantur, & pax in Imperio Romano stabiliatur. Sic horæ antemeridianæ altercationibus insunt, ut de religionis negotio pacifico nihil agi potuerit. Nec pomeridianum tempus collocabatur melius; immo boni Principes convitiis se invicem proscindebant, & mendaciis: parumque abfuit, quin à verbis ad verbera ventum esset.

Cælestin. Tom. III. fol. 25. seqq. & ex eo Müller. Cap. XXVI. Conf. Gerh. confess. Cathol. P. I. L. I. Cap. 8. pag. 65. b. 66. a.

§. CCXXVI

Hassia Landgravius, posteaquam ex hucusque gestis satis Hassie perspexisset, diffidia Religionis in Comitibus amice componi non posse, à Cæsare veniam petiit domum redeundi: cumque eam non impetrasset, ac interea nuncium de adversa conjugis valetudine accepisset, clam Augusta discessit, relictis ibi Consiliariis suis, veritus, ut quidam suspicabantur, insidias. Quod tamen parum verisimile videtur, quia in literis, quas Electori reliquit, hortatus eum est, ut nullo modo à verbo Dei se abstra-

Zz 3

hi aut

hi aut terreri se patiat, vanas enim adversæ partis esse minas; se autem pro Electore & verbo Dei corpore & vitibus omnibus decertaturum esse. Quo vero occultius ageret, non solum dissimulavit propositum, & ad ludos equestres in honorem Cæsaris, *Ferdinandum* fratrem de feudis Imperii investituri, instituendos, publice sese accinxit; sed & porta urbis secretiori, quæ per machinas quasdam, multa cum cautela, & noctu saltem aperitur, elapsus est. Molestè hoc tulit *Cæsar*, & præcipiti consilio non solum Senatui mandat, ne quem per portam illam emittant, sed & excubias stationesque ad urbis portas disposuit, contra morem Comitiorum: & altera die, à meridie *Saxonem* sociosque ad se vocavit, & offensione minime dissimulata, causam discessus improvisi *Landgravii* ex iis quæsit, ac petiit, ut reliqui ad exitum permanerent, promisitque, se nihil, quod ad concordiam in religionis negotio faciat, prætermitturum. Illi respondent, *Landgravium* se insciis abiisse, ejusque abitum exculant, & inconsulto Cæsare se non discessuros spondent; mirari tamen gravatque se dicunt, insolitis excubiis ad portas dispositis. Cæsar stationes istas propter eadem, & Germanorum *Hispanorumque* dissidia ordinatas fuisse dicit, ac deinceps nihil ejusmodi facturum se affirmat, nisi cum Imperii Mareschallo deliberasset, eodemque die excubias removit. Utcunque vero se de excubiis purgaverit Cæsar, constat tamen haud vanis indiciis, eas propter Protestantes dispositas esse, inscio Cæsare, per eos, qui maxime infesti Lutheranis erant.

Sleidan. p. 189. Seckendorf. p. 172. b. Müller, Cap. 27.

§. CCXXVII.

d. 7. Augusti
delecti
ad religionis
causam tra-
bandam.

Die VII. Augusti delecti fuerunt ex utraque parte, qui de controversiis conferentes, concordia rationes inirent: conveneruntque in Capitulo, ut vocant, templi cathedralis. Ibi *Joachimus, Elect. Brandenburg.* orationem ad Protestantes habuit, & omnia perperam exaggeravit, ad deterrendos illos à pu-
riore

riore doctrina, quando inter alia dicere haud est veritus, Lutheranos considerare debere, quomodo opinio nuper ab iis accepta aperte cum Evangelio & symbolo Apostolico pugnet: & quantæ calamitates perditionesque animarum, etiam cædes, aliaque Germanicæ nationi noxia, inde secutura sint, si Cæsaris postulatibus obstreperent, facerentque, ne, quæ ad salutem Christianitatis & pacem in Imperio obtinendam servandamque spectant, decerni queant. Inprimis vero Saxonie Electorem persuadere nitebantur, ut ad Ecclesiam Romanam rediret; cumque molibus verbis nihil efficere potuissent, quidam Princeps Pontificia factionis, hanc atrocem & vehementem vocem protulisse dicitur: nisi Saxonie Elector novam, quam amplexus esset, Lutheri doctrinam desereret & damnaret, fore, ut Imperator ipsum non solum armata manu adoriatur, omnibus dignitatibus & possessionibus exuat, imo vita privet; verum etiam omnes ejus subditos cum uxoribus & liberis in fidem suam adigat & subigat. Hæc dura vox metum Electori incussit, cum & gravis annis & debili corpore esset, eum tamen recollecto animo excussit, & ipse cum sociis deliberandi spatium petiit, atque biduo post (d. IX. Augusti) responsum in hanc sententiam delectis obtulit: *terribile esse, quod nuper admodum Cæsaris nomine intentari sibi intellexissent, nisi in ea, quæ proposita fuerint, consenturi essent.* Hoc enim 1. pugnare cum litteris Imperatoriis, quibus Comitiam indixerit, promiseritque, ut partis utriusque sententiæ audiantur, & quæ utrinque minus recte explicata aut acta essent, aboleantur. Se eo nomine suam Confessionem consignasse, S. Scripturæ rationibus firmatam, ac petiisse, ut porro secundum Comitiam indictionem procedatur, paratosque declarasse ad omnia illa accipienda, quæ cum verbo Dei congruerent; 2. obtinere tamen nondum potuisse confutationem adversariorum: nec 3. discedere à sua sententia sibi per conscientiam integram esse, donec irrefragabilibus argumentis illa falsitatis

mina in Electorem Sax-

d. 9. Aug. respondens Nostri.

fitatis

sitatis convincatur, & abusus corrigantur, de quibus *Cæsar* conferti in concordia & charitate voluerit. 4. Illud etiam non posse se præterire, quod *nihil de Concilio* jam statuatur, cujus tamen convocatio sæpe promissa, & certum etiam tempus in *Comitiis Spirensibus* A. 1529. definitum ad eam rem fuerit. Hanc ob rem *Cæsarem*, utpote juris justitiæque amantissimum, haud ægre laturum, si cedere nequeant, sed omnibus licitis mediis ad tuendam causam suam utantur. Horrendum enim fore, si eo modo procedatur, ut nuper audiverint. Obtestari itaque se, ut, *omissis minis, alia amica compositionis media proponant*; se ad omnia, quæ salva pietate & conscientia admittere possent, paratos & promptos esse. Hæc & lecta & scripto exhibita fuerunt, eorundem Principum, qui Confessionem subscripserunt, nomine. Accessere etiam duabus civitatibus *Norimbergensi & Reutlingensi*, aliæ quatuor, nempe *Campidunum, Winsheimum, Heilbrunna, & Weissenburgum*, mediocrium omnes virium, tanto tamen majori laude, quanto periculosius erat, accedere Confessoribus paucis, & Pontificiorum omnium invidiam contrahere; sed vis agnitæ veritatis & fidei Christianæ hoc expressit, secundum illud: *credidi, ideo locutus sum*, Psal. CXVI. 10. 2. Cor. IV. 13.

d. 11. Aug.
adversa
pars excipit.

Sequenti die (XI. Aug.) respondent Pontificii ad hanc Evangelicorum declaratam sententiam, oratore *Brandenb. Electore*, qui quatuor illa capita, de quibus conquerebantur Protestantes, vel emollire, vel mentem *Cæsaris* aliter interpretari nitebatur. Negabat igitur i. jure obverti posse, quod *Protestantes non essent sufficienter auditi*, cum *Cæsar* auditurum se obtulerit, si alterutra pars aliquid adhuc proponere velit; nihil autem amplius eos protulisse. 2. Nec sine gravi causa negatam *Confutationis* communicationem, quia legibus *Cæsareis* disertis verbis, sub pœna capitis, prohibitum sit, de articulis fidei disputare, eosve scrutari. Veritum quoque esse *Cæsarem*, ne sicut edictum prius

prius (Wormatiense) contempsissent, exagitassent, & derisissent Protestantes; ita etiam Confutationem ignominiose tractarent, & variæ disputationes ac altercationes, (quæ tamen interdixta sint,) inde orirentur. Offerre autem denuo communicationem Confutationis, ea, qua pridem, conditione, aut, si hæc non placeat, ut toties, quoties vellent, prælegatur. 3. Conscientiæ scrupulos, quos allegaverint, affectatos & vanos esse. Peccasse potius Lutheranos contra eam, cum *concionatoribus suis* indulerint, contra verbum Dei & Ecclesiam Christianam, impias leges ordinationesque introducere, plebem simplicem in errores præcipitare, & omnia corrumpere. Manifesta esse inter eos tot schismata & sectas *Iconomachorum, Sacramentarium, Anabaptistarum* &c. Conscientiam igitur ipsis dictare debere, multo magis Catholicæ Ecclesiæ adhærendum & obtemperandum esse, quam istis concionatoribus seductoribus. 4. Concilium promississe Cæsarem, & adhuc id velle procurare apud Pontificem, licet exiguum fructum apud Protestantes habiturum videatur, cum eorum concionatores dicitent, & vetera concilia errasse, & futura quoque errare posse. Hinc concludit orator, nihil habere nec Protestantes, quod in Cæsare desiderent, nec se, quod suadeant ipsis, nisi ut repetant reditum ad Ecclesiam, & consensum cum cæteris. Pollicentur tamen, si aliud quid suppeteret Nostris, quod cum aliqua specie referri posset Cæsari, id se fideliter relaturos, aut, si tale non esset, cum suæ sententiæ significatione reddituros esse.

Autor Apologia MS. ostendit, Protestantibus vehementer displicuisse hanc *Brandenb.* orationem, utpote *calumniosam & iniquam*, idque illos haud obscure prodidisse, eoque deliberandi spatium postulasse ad apologiam reddendam. Non quidem illis defuisse, quæ statim retorquerent, præsertim, cum reliqui, ad quorum consensum provocaverit *Joachimus*, contrarium silentio indicaverint, & id facere constituisse, (*ihnen die gebührlichen*

Nostris, post consultos Theologos,

Aaa

Legen-

Legenden wieder heraufzustoßen) certis tamen rationibus inductos tacere voluisse, qua modestia abusus *Brandenburgicus* tantoque atrocius in eos debachatus sit postea. Protestantes *consilium Theologorum* exquirunt, qui capita proponunt, in quibus plane cedi non possit, nempe doctrinam *de fide, de bonis operibus, de Christiana libertate, communionem sub utraque, de abroganda Missa, & permittendo conjugio Sacerdotum*; his autem concessis, cætera facile componi posse. In quibusdam tamen nimis liberales fuere, & nonnulla ex pacis studio & timiditate, (ut Melanchthon) concesserunt, quæ pugnare invicem videbantur, & *Luthero* parum probabantur. Quare non improvide Principes omnia admiserunt, sed cum judicio expenderunt, & d. XIII. Augusti grave responsum delectis exhibuerunt, quo primo repetunt prolixè, quæ ex *Brandenburgico* intellexerunt, dicuntque ea sibi inexpectata fuisse, ac ab arbitrariis aptiora media concordiam expectasse, quæ sine offensione Dei & læsione conscientiarum accipere potuissent. Deinde directe ad objecta respondent: 1. Cæsari imputari nequaquam debere, quod literarum, quibus Comitia indixerit, non memor observansque fuerit; sed tractationis modum, qualem arbitri instituerint, cum illis non convenire, dum non in mutua charitate & lenitate partium opiniones audiant & ponderent, sed id tantum agant urgeantque, ut Protestantes à sua sententia, tanquam hæretica, depellantur, cum tamen hi nil statuant, quam, quæ vera & catholica credant; neque confutata à Pontificiis sint. 2. Nec de denegata Confutatione accusare se Cæsarem, licet metus ab adversa parte allegatus frustra sit, cum Protestantes nunquam ludibrio habuerint Cæsaris edictum, nec suspitioni isti ansam præbuerint. Debuisset autem arbitros in id laborare apud Cæsarem, ut Confutationis exemplum obtinerent, & sibi non tribuere, si quid forte in causa edicti imprudenter à nonnullis factum esset. Neque etiam à Jurisperitis indicari sibi

leges

ad objecta
respondent
d. 13. Aug.

leges illas Cæsareas potuisse, quæ prorsus verent omnes de religione disputationes, aut communicationem Confutationis cum dura & difficili conditione probent. Probe etiam se scire, quid & quantum in capitibus fidei disputare liceat: nec ullum articulum se in dubium vocare, aut ullo jure prohiberi confessionem Christianæ fidei, & abusus introductos amice indicare inque suis ditionibus abrogare. Conditionem de non vulganda Confutatione se merito rejecisse, cum sæpe evenerit, ut res inter paucos acta, prodita & typis exscripta sit. 2. Si igitur ea conditione *Confutationem*, ne evulgetur, accipiant, & se insciis invitisque nihilominus ea publicetur, facile intelligi posse, quam grave hoc ipsis futurum, quantamque in se suspicionem derivaturi sint. Aperte etiam iniquum esse, quod secum tam præcipitanter agatur, & prælectio saltem confutationis oblata sit, cum Confessio sua aliquot hebdomadibus in confutatorum manibus fuerit. Non posse igitur se, in re tam gravi & animarum salutem concernente, obstringere ad integram & fundamentalem refutationem, si scriptum, ad quod respondendum sit, denegetur. 3. *Conscientiam erroneam se habere in doctrina & moribus*, ac imponi sibi à pastoribus, negant, licet fateantur, se homines & peccatores esse; profitentur tamen, nolle se in rebus ad Dei gloriam & sanctam Christianam fidem pertinentibus, scientes, contra Dei verbum facere, & conscientiam onerare, & meliorem habere, quam eos, qui hanc doctrinam persecuti sint, concionatores ejecerint, & veritati locum dare noluerint. Nihil à suis concionatoribus doceri, quam, quod verbo Dei conveniat, indeque factum esse, ut & adversarii ipsi in multis capitibus doctrinæ huic se conformarent, & rectius, quam unquam antea, docuerint. *Sectas* sibi imputari non posse, nec eas tanta incommoda in suis, quam in aliorum provinciis, ubi vi actum sit, dedisse. Etiam Apostolorum tempore, absque illorum culpa, *sectas* exortas esse. Qui vero abusus sub Episcopis,

neglectis, quæ haberi oportuerit, conciliis & visitationibus, in-
 vedi sint, non esse obscurum, & tamen solos *Protestantes* nunc
 accusari. Nuper, anno 1522. *Hadrianum Pontificem* publicè pro-
 poni curasse: *omnium harum difficultatum & arumnarum fon-*
tem esse aulam Romanam & Prælatos Ecclesiasticos. Justas itaque
 causas sibi fuisse, *teterrima scandala & molestissima gravamina,*
quæ in Romana Ecclesia per multos annos extiterint, commemoran-
di; id tamen se, pacis & concordie causa, intermisisse. Asseve-
 rant postea, *se nullum pastorem ferre in suis ditionibus, qui disso-*
lutis sit moribus; turpitudinem vero & levitatem summam, item-
que Simoniam, in clero Pontificio, notoriam esse. Habuisse itaque
 rationes indicandi in Confessione sua plures abusus & scandala,
 quæ diu satis in Ecclesia Romana fuerint, & adhuc sint; pacis
 tamen & concordie citius obtinendæ causa, ea præterisse. Quod
 porro *Concilium* flagitent, ideo fieri, quia hanc viam commodissi-
 mam & unicam in controversiis fidei dijudicandis existiment.
 Quid alii de Conciliis scripserint, illis relinqui. Se sperare, si
 Christianum & liberum Concilium, quale expetitur & pro-
 missum sit, ubi multi docti graves viri causam ex dignitate ex-
 pendant, instituat, id, Deo benedicente, non frustra fore. Si
 vero aliæ meliores & possibiles viæ ad componendas lites pro-
 poni possent, se eas libenter arrepturos. Sibi interim visum fuis-
 se, idque aliorum iudicio se exponere, an non hoc medium, li-
 teris Cæsareæ indictionis conforme esset, si ab utraque parte, æ-
 quali & exiguo numero, viri periti ac pacis amantes deligantur,
 qui de articulis controversis placide inter se tractent.

Delecti 7. ex
 utriusque
 parti.

Placuit hoc consilium utriusque partis proceribus, & Cæ-
 sari ipsi, qui d. XIV. Augusti decrevit, ut eum in modum colla-
 tio fieret. Delecti ergo sunt utrinque septeni, ex *Pontificiis* duo
 Principes, *Christophorus à Stadion*, Episcopus Augustanus, &
Henricus, Dux Brunsvicensis, eoque postea ad Landgravium
 misso, *Georgius* Dux Sax. duo *JOTI*, *Bernhardus Hagen*, Colo-
 nien-

nienſis, & Hieron. Vehus, Badenſis Cancellarius: tres Theologi, *Eccius, Wimpina & Cochlaus*; ex Proteſtantibus autem, *Jo. Fridericus Dux Sax. & Georgius Brandenb. Principes, D. Pontanus & D. Hellerus Brandenb. Cancellar. JCrī: Melanchthon, Schnepſius & Brentius, Theologi. Spalatinus additus Notarii vices ſuſtinuit.*

Chytr. pag. 224 -- 237. Seckendorf. p. 175 -- 177. b. Müller. Cap. 28.

§. CCXXVIII.

D. XVI. Auguſti *Colloquium* inchoatum eſt, his *conditionibus* quinque præmiſſis & utrinque inſtituunt certis conditionibus, & A. C. articulos ordine percurrunt.

1. ut amica ſit colloquium & tractatio, abſque diſputatione & altercatione: 2. ut nihil decernatur, ſed omnia prius ad Ordines Imperii, ac deinceps per hos ad Cæſarem referantur: 3. ut nihil contra Chriſtianam Catholicam fidem, vel pacem communem, ſuſcipiatur: 4. ut pars adverſa reſponſum Cæſaris, Scripturæ S. & Eccleſiæ conforme, ſequatur. 5. ut acta nemini communicentur quam eis, ad quos ſpectant. Poſt unam alteramque propoſitionem à Cancellario Badenſi factam, & exceptionem D. Pontani, placuit, ſepoſita *Confutatione* ſolam Confessionem Noſtratium per ſingulos articulos expendere, & tentare conciliationem. Eam in rem Pontificii *Eccio* mandarunt, ut de omnibus articulis Aug. Confessi. ſigillatim conſilium & judicium ferret, quomodo ii, qui controverſi ſint, breviter & ſimpliciter (*eigenlich*) componi & conciliari queant. Is cenſura ſua pleroſque articulos approbavit, & *ſex tantum discordantes ſive difficulter conciliabiles & non acceptabiles per Eccleſiam, exceptit*, nempe de *cultu Sanctorum, de communione ſub utraque ſpecie, de conjugio Sacerdotum, de votis Monasticis, de Sacrificio Miſſæ, de conſtitutionibus humanis*, unde Pontificis & Episcoporum poteſtas dependebat. Cum ergo dicto die, & pluribus ſequentibus, uſque ad XXI. Auguſti, partes conveniſſent, omnes Auguſtanæ Confessionis Articulos ordine examinarunt & contulerunt, ſed non ſemper exacte; fe-

rebat enim *Melanchthon* cum suis calliditatem Pontificiorum, quia sperabat, hac modestia aliquid in quibusdam capitibus controversis impetrari posse. Vicissim *Eccius* & socii consensum interpretabantur, quicquid eo trahi in aliquibus articulis poterat, dummodo eos servarent, in quibus maximum suarum partium commodum versabatur, & hac qualicunque indulgentia id obtineri posse putabant: nec optima fide acta semper postea retulerunt. Unde Nostri *admonitionem* & *Relationem correctam* conceperunt, & *Melanchthon* quoque catalogum articulorum XIV. non conciliatorum fecit, quem Nostrates approbarunt, & iis simul comprehendi voluerunt omnes articulos, qui per bonam consequentiam ex iis deducuntur, aut alias controversi & in Aug. Conf. expressi non sunt. Nimis prolixum foret, omnia per istos dies disceptata recensere, & ex *Apologia* nostrorum, paulo post conscripta, cuncta luculentius patent.

Tom. V. Alt. pag. 527. a. Chytr. p. 237 -- 264. Seckendorf. pag. 178. Müller. Cap. 29.

§. CCXXIX.

*Tres pro 7.
collocutores
electi.*

Hæc his diebus ultro citroque acta, cum & Cæsari & Ordinibus relata essent, consultum videbatur collocutorum numerum coarctare ad tres ex utraque parte eligendos, ut concordia sperata facilius citiusque obtineretur. Quod Electori Saxonix abutum paranti nunciatum & ab eo etiam approbatum fuit, & diutius etiam hanc ipsam ob causam mansit. Ex Pontificiis erant *Vehus*, *Hagen* & *Eccius*, ex Protestantibus *Pontanus*, *Hellerus* & *Melanchthon*, qui colloqui cœperunt d. XXIV. Aug. de articulis nempe maxime controversis, *communione sub utraque*, *Missa*, *Conjugio Sacerdotum*, & *de jurisdictione Episcoporum*; circa hanc tamen *Melanchthoni* injunctum est, ne plus concederet. Sed & hæc collatio inanis fuit, quia Pontificii semper antiqua repetebant, & quæ nova media concordix præferre videbantur, ea re ipsa (in substantia) cum prioribus eadem erant. Vana igitur

igitur spe Lutheranos tantum lætabant emendationis abusu
 & Concilii, neutrum autem serio volebant. Cum ergo eorum
 relatio iterum suspecta Protestantibus esset, delecti ex horum
 parte, jussu principum, adversariis scriptum exhibuerunt, quod
Cælestinus recenset & *Chytraus*. In eo, relato ordine negotio-
 rum, & quomodo sua ex parte omnia ad obtinendam concor-
 diam, sed frustra, contulerint, à Cæsare & Ordinibus deside-
 rant, ut, si oblata sua accipere nolint, Concilium tamen, secun-
 dum decretum Spirense, promoveant: paratos etiam Principes
 esse, ostendunt, ad tractatum de pace interim constituenda.
 Hinc patet, *Lutherum* fuisse verum vatem, quando sæpius dixit
 scripsitque, frustra laborari & sperari concordiam doctrinæ, fa-
 tisque esse, si pax politica obrineatur. *Fraudes*
 detegit autor *Apologia MS.* apud *Muller.* p. 817. ff. ac memorat, ex *Pontif. de-*
 toto negotio, diu satis tractato, elucere 1. quod *Pontificii* con- *testa.*
 siliis suis nil aliud intenderint, quam fucos facere *Lutheranis*
 quadam tolerantia, ut interea zizania inter triticum sparsa suc-
 crescant, & fervor contra abusus inolitos, desideriumque
 Concilii decrescat. 2. Quod omnibus sermonibus, indiciis &
 actionibus minacibus adversarii prodiderint animum *παροργα-*
σάδους, errorum & abusu, tenacissimum. 3. Quod, cum nostri
 minis terreri non potuerint, delecti Pontificii plures & paucio-
 res causati sint, nullam convocandi Concilii spem fore, nisi an-
 te unitas fidei sit. Hoc tamen inauditum & perversum esse, &
 oppositionem in adjecto; cum Concilio nihil opus sit re ante
 transacta, & Concilium ideo institui soleat, ut controversiæ
 fidei examinentur & dijudicentur. 4. Uno verbo, eo directa
 omnia esse, ut sua defenderent, *das Ihre sollte recht seyn und blei-*
ben) ex nostra vero parte fucata tolerantia objiciebatur, donec
 triticum à zizaniis suffocaretur. Illud quoque fucatum & frau-
 dulentum erat, quod post hæc Pontificii Nostri proposuerunt,
 cum conciliatio obtineri nequeat, Cæsarem in Concilium in-
 clina-

clinare, ea tamen lege & conditione, ut omnes novitates in doctrina & ceremoniis apud Protestantés sive introductæ, sive toleratæ, aboleantur, & restitutio in integrum pristinumque statum fiat. Quod ita Evangelici diluerunt: scire se, quod concordia & pacis servandæ causa non liceat ceremonias & ordinationes Ecclesiasticas, absque consensu Ecclesiæ, abrogare. At, cum Prælatorum socordia & negligentia falsæ & seductrices doctrinæ in Ecclesiam irreperint, quemadmodum in Confessione perspicue sit ostensum, teneri se in conscientia eas abolere, nec *Restitutionem* in causis Religionem concernentibus locum habere, ut in mundanis & temporalibus rebus: inauditum prorsus esse, *Possessorium* in capitibus fidei seu religionis statuere. Hæc omnia vero Protestantium delecti ad Ordines suos detulerunt, qui eandem in sententiam responderunt, quam ipsorum delecti protulerunt de Concilio, compositione controversiarum ante Concilium, & Restitutione &c. De cætero pollicentur, se interea dum omnia componuntur, daturos operam, ut tales se erga Deum & Cæsar. Maj. præstent, quo utrique reddere fidenter actorum rationem queant.

Tom. V. Alt. pag. 237. seq. Chytr. pag. 273. ff. Seckendorf. pag. 179. b. Müller. Cap. XXX.

§. CCXXX.

*Calumnia
refut. quod
nostri plura
Pontificiis
concesserint,
que postea
revocaverint.*

Hæc contra adversariorum calumnias notanda sunt, qui Melanchthonem eique assentientes dicunt plura Pontificiis concessisse, quæ deinceps revocaverint. *Melanchthon* & ipse *Elector. Saxon.* diligenter cum *Luthero* consultarunt, ejusque mentem de capitibus controversis explorarunt; quibus ille è vestigio respondit satis & solide & prolixè, & in Epistola ad *Lincum* d. XX. Sept. scripta facilitatem *Philippi* in cedendo excusavit, & ad consilium suum antea datum de conditionibus & articulis Pontificiorum provocavit, & ipsis Theologis nostratibus Augustæ commorantibus satis perspectum esse, putavit, quam

quam turpes, probrosæ & sacrilegæ sint illæ conditiones, quibus adversarii nostram parvitatem & infirmitatem securi & luperci plane aperte ludificentur. De *Melanchthone* autem sic scripsit: *Philippus etsi forte tractavit aliquas conditiones, in nullas tamen consensum est hætenus, nec ipsius quidem consensu, sed spero ista larva Christum esse usum, ut luderet nostros illusores, scilicet falsa spe & ficto gaudio eos irritaret, ut nos cessuros, sese vero victuros somniarent. Post autem nihil minus sentiret, & seipsum irrisos inveniret, sic ego interpretor, securus quod absque meo consensu illorum consensus irritus est. At si etiam ego (quod Deus avertat) consentirem istis sacrilegis, homicidis & perfidis monstris, tamen Ecclesia tota Evangelique doctrina dissentiret. Inconstantiam Protestantium autor Apologiæ MS. prolixè diluit, apud Müllerum.*

Tom. V. Alt. p. 238. b. 239. ff. Chytr. p. 268. ff. Supplem. Epist. p. 209. Müller. pag. 826. ff.

§. CCXXXI.

Satis sane constantes se Nostri præbuerunt in omnibus doctrinæ capitibus, quando infectis potius rebus discedere è Comitibus maluerunt, quam quidquam remittere adversariis, quod cum verbo Dei & conscientia ipsorum pugnabat. Unde caute semper adjecerunt verba, se concessuros, *quæ salva doctrina & fide* concedere possent, & extrema quæque libentius se passuros, cordate asseverarunt, quam ut cum damno veritatis & scandalo aliquid remitterent. Est hoc etiam irrefragabile documentum singularis constantiæ Protestantium, quod post publicos illos congressus & colloquia, privatim etiam sæpius tentati, & partim minis territi, partim pollicitationibus invitati, immoti steterint in agnita veritate. Non ausus fuit, nec potuit hæc negare *P. Suavis*, cujus verba digna esse judico, quæ transcribantur. *Cæsar tandem*, quia suasoriis nihil impetrare apud Protestantes poterat, *ad eas artes conversus, quibus Cardinalis*

*Constantia
Protestan-
tium docu-
menta.*

*Suavis te-
stimonium.*

Bbb

nalis

nalis Campegius utendum esse ei persuaserat, seorsim cum singulis per internuncios agendum censet. Hi, cuique Principum propositis primum emolumentis, quæ & ipsi vehementer expetivissent, & quibus res suas domesticas multo ampliores & augustiores essent facturi; deinde damnis ac detrimentis, in quæ adverso & rebus suis refragante Casare, necessario videbantur precipites ruituri, ut ad Ecclesia communionem reverti vellent, ab iis sedulo contende-
 debant. At Principes, siue crederent rebus suis satis consultum, etiamsi in cæpta religione perseverassent; siue conscientia sua ac religionis libertatem putarent rebus omnibus rationibusque humanis longo intervallo anteponendam, nullis officiorum quamlibet amplis representationibus ab instituto dimoveri se patiebantur. Imo ne id quidem Casari concedere voluerunt, ut Romana Religionis exercitium intra ditionis sue fines permitteretur, usque ad Concilium intra semestre tempus denuntiandum. Id enim habebant persuasum, esse Legati Pontificii commentum, qui, cum quod animo instituerat, assequi non posset, se rem factam habiturum iudicabat, si per omnem Germaniam restituto Romanae religionis usu, populum ab eo cultu aversum turbis implicasset, atque ita variis mutationibus, quarum occasione nuper nata doctrina posset extirpari, aditum patefecisset. Nam de Concilio, quod intra semestre spatium promittebatur indicendum, satis intelligebat, plurima quotidie intervenire posse impedimenta, quæ illud vel protollerent, vel omnem illius expectationem eluderent.

His verbis haud dubie respicit *Suavis* ad omnes illas artes & machinationes, quas adversarii nostratibus, inprimis vero Saxoniae Electori struxerunt, inde ab eo tempore, quo sublato congressus publici inter delectos sunt, usque dum decretum Cæsar edidit per integrum fere mensem Septembrem. Bene enim autor *Apologia MS.* observat, eo fine tam varie & diu agitata & protracta ab iis fuisse concordiae molimina, ut interea Protestantes sumtuum pertæsi cederent, aut nova quædam
 tela

tela ad illos oppugnandos fabricarentur, vel denique, ut aliquid obtinuisse Pontificii viderentur, quo Cleri existimationi, per totum orbem, & cum primis ex Adriani VI. confessione publica, labefactatæ, consulere, ante omnia vero Missarum proventus servare, ne culina Cleri frigeret, si sublato, ut Evangelici urgebant, Canone, sacrificii titulus Missis adimeretur. Elector Saxoniae discedendi veniam sæpius à Cæsare petiit, impetrare tamen diu satis non potuit, & pravorum quorundam conatus notat laudatus scriptor, quibus eum à discessu impedirent, vel procurarent, ut vi cum eo ageretur. Sed de his ac similibus plura commemorare per brevitatem non licet.

Pet. Suav. p. 49. f. Seckendorf. p. 194. f. & 204. f. Müllcr. p. 877. ff.

§. CCXXXII.

Cum omnibus tentatis nil se apud Protestantes proficere videret Cæsar, Principibus & Prælatibus octo mandavit, ut formulam decreti conciperent, quod Saxoni & sociis ejus, domum suam evocatis d. XXII. Septembr. in pleno Principum Senatu, quod ad religionem spectat, recitatum fuit, cujus hæc summa erat: Cæsarem singulari quadam gratia Evangelicis, quorum Confessio S. Scripturæ testimoniis solide refutata sit, indulgere deliberandi spatium, usque ad d. XV. Aprilis, ut interea secum reputent atque statuunt, num in reliquis fidei catholicæ capitibus idem, quod Papa, Cæsar, Imperii Ordines, aliaque Christianitatis membra præcipua sentiunt, profiteri velint, nec ne? ac mandare, ut omnes pacem in Imperio colant; vetare autem, ne intra hoc tempus indultum quidquam innovent, aut typis edi permittant, neve catholicos in suis ditionibus ulla ratione turbent aut impediant, & ne Anabaptistas aliosque Sectarios tolerant. Ad hoc Protestantes, re deliberata, per Pontanum respondent regeantque cordate, non se agnoscere, aut fateri, quod sua Confessio ab adversariis auctoritate sacrarum literarum confutata sit; imo certos se esse, eam niti

Formula
decreti d. 22.
Septembr.
prælegitur.

Ad eam
Protestant.
respondent
cordate, &
Apolo-

Bbb 2

verbo

A.C. offerunt.

*verbo Dei, nec quicquam quod impium sit, in ea reperiri: idque se liquido demonstraturos fuisse, si Confutationis lecta exemplum impetrassent: interim, quantum inter legendum memoria com-
plecti potuerint, responsum aliquod se inter multas occupatio-
nes parasse, ex quo Cæsarem cogniturum esse sperent, quam
firma adhuc stet adversus Confutationem illam sua Confessio. Hu-
cusque locutus Pontanus, Apologiam Cæsari exhibuit, quam
Fridericus Palatinus jam acceperat, sed cum Ferdinandus Rex
ei aliquid in aurem susurraret, Pontano reddidit, qui dein per-
rexit, & quoad innovationes & evulgationem scriptorum, provo-
cat ad conventum Spira A. 1529. habitum, ubi in protestatione
sua Evangelici reservarunt, quod nihil sibi interdicti sint passuri,
quod pro conscientia circa religionem in diuisionibus suis constituen-
dum esse existimarent. Ad doctrinam suam, licet recta sit, ne-
minem se adegisse, neque deinceps cogere velle: cum sectis fa-
naticis sibi nihil commune esse, nec se permisisse, ut radices
apud se agerent, sed contrarias se semper conciones illis oppo-
suisse. Denique rogant vehementer, decreti exemplum recitari
& dari sibi, quo in causa tam gravi deliberare & statuere omnes
socii possint, quid ad præstitutum tempus respondendum sit.
Hæc ad vesperam acta sunt. Postridie rursus adesse iussi Prote-
stantes, audiunt ab Electore Brandenburgico sat gravem increpa-
tionem, quod tam audacter affirmaverint, suam doctrinam esse
piam & sinceram, cum tamen non solum confutata sit autori-
tate Scripturæ S. sed etiam superioribus Conciliis omnibus con-
demnata: quodque sibi & reliquis Principibus errorem & fal-
sam religionem tribuerint, & majores suos ita pro hæreticis ha-
buerint. Nihilominus Cæsarem, ex speciali clementia & studio
pacis, iussisse decretum in hunc modum conscribi, & postulare,
ut sicut reliqui Principes, ita ipsi quoque illud recipiant & ex-
pendant, nisi id faciant, quantis malis occasionem præbituri
sint. Objecit etiam spolia adversus monachos commissa, & ju-
bet.*

*Brandenb.
excipit ad
singula &
minatur.*

bet, ut ea restituant, ac decretum ratum habeant; Cæsarem alio-
 qui officium suum facturum, ac (quod de se velut addebat) re-
 liquos ordines omnes vires pro Cæsare conjuncturos: jam enim
 data fide promississe, fortunas omnes ei se communicaturos, &
 sanguinem ipsum atque vitam, ut negotio finem Cæsar impo-
 nat: illum invicem omne robur atque potentiam huc esse col-
 laturum, ac recepisse, non prius iturum extra fines Imperii, quam
 ad exitum res deducta sit; & hæc quidem ita se ipsis denuntiare
 Principum atque Ordinum omnium mandatu. Apologiam de-
 nique *confutationi oppositam* ideo non recipi posse, quod Cæsar
 nullam ampliorem disputationem religionis velit permittere.

Ad hæc Protestantes, post brevem deliberationem, rege-
 runt, confessionem suam cum verbo Dei convenire, & ne *Protestantes*
 portas quidem inferorum prævalere ei posse, idque se in Apo-
 logia oblata & nuper & nunc denuo pluribus ostendisse. *Decre-*
tum autem (den Abschied) Cæsaris accipere per conscientiam,
 sibi haud esse integrum, ac nil obstinate sed promte cuncta fa-
 cturos, quæ facere verbum Dei permittat: petere itaque, ut
 decreti prælecti & totius actionis exemplum sibi detur, quo
 omnia rite expendere, & ad constitutum diem XV. Aprilis li-
 quido respondere queant: in cæteris etiam omnibus se non
 minus paratos esse, ac cæteros Principes, ad omnia pro Cæ-
 sare impendenda, ac mirari se, quod hunc in modum Cæsari
 sese devinxerint illi, cum nihil sit, quod non & ipsi fecerint,
 & majorum exemplo pro Imperatore facerè velint. Ad *spo-*
liorum objectionem dicunt, se hic culpa vacare; quod enim ad
 monachorum domicilia attineat, non semel esse professos, ita
 se rem gesturos, usque dum Concilium coeat, ut appareat, ni-
 hil hic privati commodi causa abs se factum esse, quemadmo-
 dum coram & scriptis non semel demonstratum sit.

Cæsar, post longam deliberationem, rursus per *Branden-*
burgicum renunciat, se nequaquam dare, quod Protestantes *de spirat &*

stris objicit. sua Confessione in Evangelio solide fundata jactitent: se quoque de sua salute & conscientia sollicitum, & à S. Ecclesia veterique religione multo minus discessurum. In decreto autem jam facto nihil se mutaturum, & si quidem illud admittant, recte, sin minus, causam sibi præberi, ut cum Papa & Imperii Ordinibus reliquis rationem ineat, quemadmodum novus iste error & secta funditus extirpetur, & Germanica ratio ad Christianam concordiam reducatur. Ad illud, quod dicant, se nemini causam turbatum fuisse, sed fecisse omnia pro Imperii salute & pace, objiciebatur *seditio rusticorum*, ad quam ipsorum Ecclesiæ ministri magnum momentum attulerint, & quod alia acciderint, quæ in Pontificis, Cæsaris & Principum Ecclesiasticorum ac Politicorum contumeliam redundant. Item, quod decretum *Wormatiense*, approbatum licet, non sint executi. Velle autem & imperare Cæsarem serio, ut Abbates, *monachi*, aliique à Protestantibus ejecti, in integrum *restituantur*.

Quæ Nostri diluunt.

Ad quæ Nostri, cum silere non possent, ne magis suspectos se redderent, missa ulteriori interpellatione de exemplo decreti sibi dando, cujus petendi causas satis indicaverint & molesti amplius esse nolint, dicunt, se haud abs re ægre ferre, quod vel seditionis rusticanae, vel fidei non integræ in reliquos status Imperii, culpa sibi tribuatur, & ad Deum, conscientiam & experientiam testem provocant, quod ab omnibus istis criminibus puri sint: & si qui sint omnium, qui de his aliisque causis jure secum atque legibus velint experiri, judicium se minime recusare. Itaque petere, ne pars in religione adversa graviolem ullam in se offensionem concipiat, aut ad odium accendi sese patiatur; denuo enim se spondere, quod non minus quam reliqui Ordines, omnibus in rebus, ad se spectantibus, Cæsari fidem & obsequia præstituri sint.

Quos Casar dimittit.

Cum Cæsar paucis renunciari jussisset, Decretum consensu Ordinum factum se non mutaturum, Protestantibus,

bus,

bus, porrecta manu, ut moris est, discedendi potestatem fecit.

Tom. V. Alt. pag. 527. b. pag. 535. Chytr. p. 296 -- 305. Sleid. p. 194. ff. Seckendorf. p. 200. seq. Müller. Cap. XXXIX.

§. CCXXXIII.

Tanti laboris erat impetrare abeundi veniam, & ire per
 angusta ad augusta, quemadmodum Saxonix Elector Augustæ
 expertus erat. Omnes molestias, quas sustinuit Optimus Prin-
 ceptor cum sociis, Evangelii causa subiit infracto animo, & omnes
 adversariorum artes, minas & pollicitationes, Deo dante, su-
 peravit. Cæsar in ipso habitu, cum manum ei porrigeret, his ver-
 bis, *Dhm / Dhm / das hätte ich mich zu E. L. nit versehen /* forte
 terrorem incurere voluit. Retorquere in Cæsarem talia Ele-
 ctor optime potuisset; sed silens abiit: nec Cæsar tam iniquus
 in eum fuisset, nisi adversarii intensissimi eum incitassent. Quod
 indigne tractatus & perperam accusatus sit, cognoverunt qui-
 dam inter Pontificios ipsos, & cum Elector Brandenburg. gra-
 vius nonnihil in vectus in eum esset, quidam gestibus significa-
 runt, Oratorem plura dicere, quam ipsi mandassent & appro-
 bassent. Antequam etiam abiret Elector, misit ad eum Alber-
 tus Moguntinus, Brandenburgici frater, *D. Rühelium*, eique signi-
 ficavit, se non probare ea, quæ frater suus de subministrandis
 auxiliis & communicandis fortunis ad propugnationem reli-
 gionis, aliaque dura locutus esset, & simulac ea audiverit, una
 cum Trevirensis & Palatini Electoris Legatis, *Cæsarem* & Regem
Ferdinandum, adiisse, & contestatos esse, se non ad stipulari di-
 ctis illis, ac cognitum satis perspectumque habere, Saxonem
 & socios ab aliis, & maxime à culpa seditionis rusticæ, plane
 immunes esse, nec occasionem doctrina sua præbuisse; adeo-
 que petere, ut Cæsar illos excusatos habeat. Parato jam ad
 discessum Electore Saxon. supervenit Nobilis ab *Henrico Brunf-
 wicensi* missus, qui *Pontano* dixit, licet Elector gravem diffi-
 cilem.

*Indigne tra-
 ctatus Sax.
 Electorem
 ab Elect.
 Brandenburg.
 fassi quidam
 Principes
 sunt. Et se ei
 purgarunt.*

lem.

Itemque discessum à Cæsare impetraverit, Herum tamen suum omnem operam daturum, ut in melius negotium vertatur. Idem apud Legatos, quos Saxo reliquerat, alii Principes testati sunt, inprimis Legati Electoris Palatini, qui ex Friderico, Heri fratre, intellexisse se dicebant, quod Cæsar ipse à Brandenbur-gico dicta, ut iniqua & nimia, improbasset, dicens: *es war un-recht/und/ es ist zu viel gewesen.* Brandenburgicus quoque acerbitatem sermonis leniturus, non ad Principes, sed ad civitates, Norimbergensem inprimis, respexisse se dicebat, cui imputabat, quod bello rustico exitium Principibus & Nobilitati meditati essent. Irritatum quoque se fuisse à Cancellario Luneburgensi, Forstero, qui jactasset, se plusquam centum concionatores in alias regiones misisse. Pontanum denique vituperabat, quod Romano-Catholicos pro hæreticis habuisset.

*Lutherus
Electorem
redemptem
erigit.*

Quæ cum ita sint, merito Lutherus, Electorem Sax. Augu-
sta ad suos reducem factum, lætabatur, eique gratulabatur, quod
ex inferno Augustano liberatus sit, & eum erigere his verbis stu-
duit: *Licet enim hominum atque diaboli savitia & rabies magna
sit adversum nos, tamen bona spe tenemur, Dei gratiam jam in-
choatam, impostero majorem & fortiolem apud nos futuram esse.
Non minus enim quam nos, potentia Dei hostes nostri subjecti sunt,
quo invito & nolente, eos nihil effecturos, nec nobis, vel aliis tan-
tillum nocituros, certo scio, nisi Deus potenti sua manu cooperetur.
Rem totam Domino & Deo meo commendavi. Illum, qui dedit
velle, daturum etiam ut perficiamus, non dubito. Certe hominis
non est, ejusmodi doctrinam vel excogitare, vel tradere. Cum
igitur Dei opus sit, omniaque non in nostra manu aut arte, sed in
Dei potentia posita esse videam, age, experiar, quinam sint futu-
ri illi, qui Deo bellum movere & vim inferre audeant. Qui vo-
lunt, non prohibeantur: scriptum enim est: viri sanguinum do-
loſi, non dimidiabunt dies suos. Inchoare quidem rem & nobis gra-
vissima*

vissima minari possunt, sed id, quod volunt, perficere & pertexere nunquam valebunt.

Tom. V. Alt. p. 528. b. 529. a. Chytr. p. 305. Sleid. p. 197. Seckendorf. p. 201. b. 205. b. Müller. p. 919. ff. Supplem. Epist. Luth. p. 213.

§. CCXXXIV.

Biduo post Electoris sociorumque discessum, die XXV. ^{Civitatum} Septembris, Cæsar omnes Ordines, Augustæ adhuc agentes, ^{legatis de-} convocat, & primo civitatum Legatis per ^{cretum præ-} Truchsessum mandat, ^{legitur, sed} ne ante Comitiorum finem discedant; deinde, quid cum Ele- ^{exemplum} ctore Saxon. & fidei sociis actum sit, exponit, & promittit qua- ^{negatur,} tuor civitatibus, Argentorato, Constantiæ, Memmingæ & Lindavia, quæ Zvinglianæ doctrinæ addictæ erant, suamque peculiarem Confessionem Fidei obtulerant, idem eventurum quamprimum (*soltten mie ebenmäßiger Resolution versehen werden.*) De industria vero trahebatur decretum illis promissum, ^{adversario-} quia Cæsar existimabat se interea cum aliis civitatibus, quæ ne- ^{rum fraus,} que Lutheranorum neque Zvinglianorum partes sectabantur, coire & decernere posse. Hunc in finem XXVIII. die Septembris omnes Imperii Ordines convocabantur, & secedere jussis Lutheranis ac Zvinglianis, cæteris civitatibus idem recessus (*Abschied*) publicabatur, qui Augustanæ Confessioni addictis antea publicatus fuit, hoc annexo petito, mollibus verbis per ^{Palatinum} significato, quia Cæsarea Maj. nihil aliud quærat, quam quod ad conservationem pacis & concordiæ spectet, ut eo etiam omnibus viribus contendant, sicut hucusque obsequiose officium suum fecerint. His auditis, civitates edicti publicati copiam & tempus deliberandi postulant; sed prius ipsis negatum, posteriori autem ægre concessum fuit. Cum autem audivissent, Electori & sociis ejus sub discessum acerba quædam proposita fuisse, à Norimbergensibus sciscitati sunt, quomodo illa se haberent, qui aperte omnia significarunt, ac ea præsertim verba, quæ *Brandenburgicus* effutierit, quomodo omnem opera-

ram Cæsari addixerint Pontificii, ut res in pristinum statum & fidem, quam majores sociorum Augustanæ Confess. propagaverint ipsi, reducatur. Hæc Legati Saxonici Electori nunciaverunt, judicaveruntque, forte haud præter rem, adversarios tentare urbes ab Evangelicis abstrahere & factionem contra se inire, cum tam mollibus verbis eas delinire studeant. Sequenti die, qui fuit XXIX. Sept. civitates prædictæ, quindecim, inter quas primariae erant *Colonia, Ratisbana, Augusta, Eslinga*, decreto Cæsaris prælecto se submiserunt, ac id solum rogarunt, ut in posterum Cæsar quoque earum gravamina audire dignetur, pro more in prioribus Comitibus recepto; *Francofurtenses, Ulmenses & Hallenses in Suevia*, consensum in decretum suspendebant & spatium petebant conferendi cum superioribus suis in re tam ardua, cujus arbitrium penes se haud esset. Dare vero renuit Cæsar, quia insolitum sit, ut civitatum Legati ad superiores provocarent eorumque sententiam exspectarent, & quod plurimi Ordinum approbant, civitates quoque approbare debere; unum ergo duntaxat diem eis indulget ad responsum simplex reddendum, *zur Categorischen Erklärung.*

Chytr. p. 305 -- 307. Sleid. p. 197. Müller. Cap. XLII.

§. CCXXXV.

*Ernestus Baden-
sensis nova
compositio-
nis media
proponit, à
nostris re-
probata.*

Non est hic prætermittendum, quod post Electoris Saxoni discessum Pontificii novas vias & media conquiverint, quibus componi partes dissidentes possent. *Marchio Badensis* præcipue, *Ernestus*, eo in negotio laboravit, & hoc imprimis urfit, *ne quid posthac in causa religionis typis excuderetur.* Consulti de novis istis mediis sive propositionibus *Lutherus* & reliqui *Wittenbergenses* Theologi, responderunt, quod neque ratione styli, neque rerum acceptari possint; hoc enim eo tendere, ut verbum Dei alligetur. Recte quidem ab Electore concessum esse, ut nihil novi posthac prodiret, quod scilicet nova contineret dogmata, idque à *Georgio Truchsessio, Cæsaris & Ferdinandi* nomine acceptum fuisse.

fuisse, tanquam sufficiens; nunc vero à *Badensi* indistincte postulati, ut plane nihil edatur. Nec Concilii scopum ab eo recte proponi, quasi tantum de reformatione in capite & membris agendum sit, exclusa doctrina. Elector igitur Legatis suis scripsit, eos porro illis, qui tales in medium proferant componendarum controversiarum rationes, respondere debere, ut recte fecerint, quod mandatum non habeant de iis agendi, ac contenti essent, si in recessu publicando Electoris & sociorum nomina (ut factum sit) omittantur.

Diu multumque deinceps ab Ordinibus Imperii de auxiliis contra *Turcam* actum, ac tandem *formula pacis* concinnata & recitata in Curia fuit, in qua tamen hi solum erant comprehensi, qui decretum factum approbassent. De quo cum orta disputatio esset, & Legati illud non ad se pertinere, vel si pertineat, clarioribus verbis utendum esse dicerent, ne qua post incidat ambiguitas, illi se relatores ad Cæsarem pollicebantur. Sed nulla ratione aut oratione impetrare legati potuerunt, ut claris & perspicuis verbis pax & quies constitueretur, qua sibi religionem, quam veram esse credant, profiteri liceret: & Cæsar d. XI. Novembr. iis in palatium suum vocatis petita negabat, & speciatim denunciabat, se *Fiscalis* actiones contra eos institutas aut posthac instituendas, inhibere nec posse, nec velle; hoc enim proprie ad suum pertinere munus, ut jus omnibus administraretur. Cum aliud obtinere non possent legati, scribunt ad omnes Ordines epistolam, qua acta repetunt, & profitentur postero die (XII. Novembr.) quia liquidam & certam pacis servandæ promissionem, post tot preces & monita, impetrare non potuerint, se rem omnem Heris suis esse relatores, interim eorum nomine, *Recessui illi (dem Abschied) contra dicere*, & à *Moguntino Archiepiscopo*, Imperii supremo Cancellario, petere, ne suos Principes in numero eorum, qui in Decretum consenserint, recenseret. Ad bellum etiam *Turcicum* nihil contribui

Ccc 2

posse

posse à Dominis suis, monuerunt, nisi pax universalis & constans ad Concilium usque constituatur; quapropter eorum nomine nihil promittere, sed ipsis integrum relinquere debere, quid facere aut præstare velint. Protestantur denique de *Assessoribus Camera Imperialis*, quos non nisi ex veteri religione Cæsar deligi volebat, Principes enim suos non posse alios, quam suæ religioni addictos denominare, & ni hoc fiat, se nil sumptuum conferre posse, quos Camera requirit.

*Deputati
civitatum
immitius
tractati.*

Cum *deputatis Civitatum* immitius quoque interea actum est; non enim tantum *Argentinesibus* & lociis in Ordinum consensu rigida & contumeliola Confessionis ipsorum confutatio, ab *Eccio* & *Fabro* fabricata, prælecta & denegatum ejus exemplum spatiumque deliberandi & respondendi fuit; sed reliquis etiam, qui Confessionis Saxonice quidem non subscripserunt, consensum tamen in decretum suspendebant, duræ comminationes intentatæ fuerunt, & tandem XIX. *Novembris* ad solennem Decreti sive Recessus Comitialis publicationem processum est, quod edictum, satis prolixum, integrum exhibent *Chytrius* & alii, compendium autem *Sleidanus*, & ex eo *Cælestinus* & *Suavis*, ut videtur. Nos summam ex postremo referemus, quæ hæc erat: *ne qua in Missa fiat mutatio, aut in Sacramentis confirmationis & extrema unctionis: ne imagines loco dimoveantur, sed ablata reponantur: fas non sit negare liberum arbitrium, aut credere, nos sola fide justificari: Ecclesia Sacramenta, ceremonia, ritus & exequia mortuorum eadem forma retineantur, qua prius: sacerdotia idoneis conferantur: Sacerdotes, qui uxores duxerunt, eas vel relinquunt, vel edicto sint obnoxii: irrita sint omnes bonorum Ecclesie venditiones, & in profanos usus applicationes: in docendo & concionando omnes hanc formulam sequantur: hortentur populum ad Missam audiendam, virginem Mariam, ceterosque Divos implorandos, dies festos celebrandos, jejunia peragenda: domicilia Monachorum, & alia adis-*

*Recessus Co-
mitialis d.
19. Novemb.
publicatus.*

edificia sacra, quæ diruta, reedificentur. De Concilio Pontifex interpelletur, ut illud intra sextum mensem loco idoneo indicat, intraque anni spatium habeat initium. Hac omnia firma rataque sint, neque ulla appellatio, vel exceptio his opposita habeat locum. Atque ut decretum hoc valeat, quisque non modo vires & facultates, sed vitam etiam & sanguinem impendat, si quis obnitatur, contra eum Camera procedat.

Ex his patet, vera esse, quæ Seckendorffius scripsit, in Decreto illo omnia asserta esse, cum summo rigore, ex Romanæ Ecclesiæ placito; condemnata vero & rejecta itidem omnia, quæ ab illis discrepantia Protestantes in Confessione sua professi erant, eorum dogmata & acta invidiosissime recenseri, & cum Anabaptistarum aliorumque erroribus confundi.

Chytr. p. 307. seqq. -- 331. Sleid. p. 200. seq. Suav. p. 50. Seckendorff. p. 208. b. 209. Müller. Cap. 46. & 48.

§. CCXXXVI.

Hic finis fuit celebrium Comitiorum Augustanorum, ubi *Providentia* doctrina Evangelii à Deo per ministerium D. Lutheri producta *Dei docu-* in lucem, & ut Psalmus ait, coram Regibus & Principibus publi- *menta circa* ce atque intrepide à Nostris Confessoribus proposita & defen- *Aug. Conf.* sa fuit, & stat hucusque immota, contra portas mundi, diaboli & inferni. Vere igitur Lutherus admirandam! divinam provi- *à Luthero* dentiam, cujus documenta aliquot supra indicavimus, agnovit, *observata,* celebravit & collaudavit, cum alibi, tum in primis luculenter in Enarrat. Psal. CXXIV. *Nisi Dominus fuisset nobiscum &c.* Cum enim dixisset, non nostri consilii, aut virtutum nostrarum esse, quod nos & nostra salva sint, sed virtutis omnipotentis Dei, qui faciat nos durare in medio inundationis aquarum superbarum, ad exemplum proximum experientiæ in Comitibus Augustanis provocat, & rem ita probat: commoverat Pontifex Rom. Clemens maria omnia, quasi absorpturus esset uno spiritu omnes Ecclesias. Diabolus quoque extrema conatus est, & multa millia

diabolorum misit Augustam, qui instigarent Principes ad nos opprimendos. Sic erant ibi inundationes, sed Dominus Pontificis & Satanæ impias cogitationes voluit esse irritas, & prohibuit ne fierent. Ita manifesto miraculo, quod communem modum excedit, servati nos sumus, adversarii autem nostri, quod Psalmus septimus dicit, pepererunt vanitatem. Hec est nostra experientia, quam proximo anno vidimus. Quod igitur post illas machinationes & practicas impiorum, nos rebus nostris in pace fruimur, quod adhuc hodie docemus Evangelium, & diabolus cogitur tacere, ac mundus quiescere, hoc totum fit beneficio Domini, non nostra sapientia & virtute. Quare cum Davide merito canimus: Nisi Dominus fuisset nobiscum, cum exurgerent homines Augusta contra nos, certe vivos deglutissent nos. Non enim obscurum est, quam cruenta consilia agitaverint viri sanguinum, & dolosi Episcopi. Hec igitur communia sunt miracula, qua nemo videt, nisi David, & ii, qui habent cognitionem I. precepti, in quo Deus dicit, se velle esse Deum & defensores nostrum, qui velit facere misericordiam in millia, his, qui diligunt eum. Mox ad comma sequens 7. ubi aucupium Satanicum, quod hostes crudeles & callidi perpetuo exerceant, manifestis exemplis declarari scribit, allegavit Augustana Comitia. Ibi, inquit, Satanæ aucupes, Pontifex & Episcopi, tanquam in aucupio, Carolum, generosum illud & pacis amantissimum pectus, tanquam noctuam, suo aucupio aptam, Augustam accersiverunt, non concordia studio, quam simulabant, sed ut nostri advolantes opprimerentur. Sicut etiam nostros dimiserunt, cum hac ultima responsione: se conjuncturos non solum vires, & opes, sed sanguinem etiam, ad doctrinam nostram opprimendam. Ibi tandem patuerunt doli & crudelitas istorum aucupum Satanæ, quibus tamen clementia & bonitas Cæsaris occurrit, Deo sic rumpente laqueos & nos liberante. Conveniunt itaque hæc, experientia nostra, & Spiritus Sancti aptissima pictura, quibus pingit adversarios, quod juxta crudeles & callidi

lidi

lidi sint, nec possit esse contra eos aliud presidium, quam quod Dominus rumpit laqueum, & pios liberat, secundum sententiam, nisi Dominus esset nobiscum.

Alia quoque magna providentiæ divinæ signa, ex Comitiis August. eorumque eventu agnoscenda, notavit *Seckendorf-* ^{et Secken-} ^{dorffo.} *ffius*, nempe, quod Deus Protestantibus, paucis & inermibus, summoque odio & invidia gravatis, inter medios hostes & amulos, quibus decuplo majores vires erant, tutelam præstiterit, & titubantes quandoque adversus blanditias & minas erexerit, ac spiritu veritatis firmaverit: quodque *Lutherum*, Coburgi in arce duodecim tantum militibus custodita, tam acerbis & vehementibus scriptis sese prodentem, conservaverit: quod denique illa omnia, quæ longo ordine in *Decreto Augustano*, ut sancta commendantur, & servanda præcipiuntur, aut ut falsa Protestantibus exprobrantur, magni Principes utriusque Ordinis cum multis myriadibus civium suorum, non multo post, aliis plane oculis adspexerint, eandemque Confessionem, quam Augustæ damnaverant, læti ac lubentes, ut sacris literis & primitivæ Ecclesiæ convenientem, acceptaverint. Pro maximo etiam divinæ providentiæ beneficio venerari debere purioris religionis professores ait, quod impudentibus clamoribus & sycophantiis *Fabri & Eccii* plus datum fuerit, quam moderatæ multorum sententiæ. *Novit Deus*, pie sic judicat, qua mente petitiæ indulgentiæque fuerint conciliationes, & quam facile fuisset, restituta Episcopis potestate, Principes & Theologos, elisis varia fraude conditionibus, in veterem lethargum reduci, aliosque blandimentis, alios minis & calumniis subverti. Sic, quod in exitium nascenti puriori Ecclesiæ destinabatur, saluberrimum antidotum fuit, quo *Melanchthonis* & aliorum, qui plus justo cedebant, aut indulgebant, trepidatio corrigebatur. *Hæc est ars vere divina, ex malis bona elicere.*

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 446. b. Seckendorf. p. 210. b. 212. b.

§. CCXXXVII.

*Papa egerit,
rulit, quod
Casar de
religione co-
gnoverit in
decreto suo.*

Utcunque vero Casar pro Pontifice omnia egerit, quæcunque potuit, exiguam tamen gratiam ab eo retulit. Nam simulac *Clemens* de Comitiorum August. eventu per Legatum certior factus est, maximum, ut *Venetus* scribit, animo interiore cepit dolorem, cum intellexit, *Carolus* juxta consilium, quod ei dederat, Lutheranis quidem pro suo in eos Imperio vim armaque intentasse; sed de cætero cum iis non egerit, ut decebat *Ecclesia Romanae patronum*, *cujus non erat de ipsorum causa cognoscere*; sed potius decretum Pontificium mandare executioni: cum ille è contrario, tum confessiones eorum admisit, recitarique publice fecerit, tum colloquium controversiis conciliandis instituerit. Dolebat ei vehementer, quod de nonnullis fidei capitibus inter eos convenisset, sed multo magis, quod ceremoniis quibusdam abolendis assensum suum commodasset; auctoritatem Pontificiam hoc ipso violatam existimans, quando tanti res momenti se inconsulto agebatur; cui si Legati sui autoritas saltem intervenisset, tolerabilis quodammodo ea actio fuisset. Existimabat porro maximum suæ causæ creari præjudicium, quod *Ecclesiæ Antistites* in eam rem consensissent, sed nihil æque mentem ejus excruciat, atque promissio Concilii sibi merito exopt. in quo promittendo quamvis honorifica autoritatis suæ facta sit mentio; tamen ei indicendo semestre tempus præscribere, & rursus eidem incipiendo annum præfigere, non esse aliud, quam manum immittere in id, quod Pontificis sit proprium, & Imperatori primas, Pontifici secundas deferre.

Pallavicinus contradicit hic *Suavi*, & persuadere orbi fatagit, Papam sincere Concilium cupiisse; sed ex hætenus dictis diversum liquet. Nam ejus Legati & Oratores alia omnia potius consilia inierunt, quam ut Concilium urgerent, & *Cæsar*, eorum instinctu, volebat controversias compositas, antequam Concilium convocaretur; quo tamen, ceu Protestantes monue-

monue-

monuerunt, nihil opus postea fuerat. Tametsi enim *Calendis Decembris* publicis literis spem fecerit *Concilii*, quo nullum reperiri efficacius remedium possit, à majoribus etiam in hujusmodi causis usitatum, in aliquo *Italia loco*, quam primum potuerit, indicendi; *fraus* tamen & *fucus* fuit, qui, ut ex vero rursus *Venetus* ait, *paucos sefellit*, cum omnibus fere suboleret, istam Principum ad Concilium invitationem, cui neque *tempus*, neque *locus*, neque *modus* erat *præstitutus*, *anticipationem esse nimis affectatari*.

Suav. p. m. 50. Seckendorf. pag. 212.

§. CCXXXVIII.

Unum adhuc, antequam ad alia abeamus, circa August. *Repositio* Confess. miranda memorandum est, nimirum ejus in *Archivum Aug. Conf. Imperii*, quod vocant, *repositio*, unde, quotiescunq; necesse erat, *in archivis Imperii*, & vel in dubium vocatur eius *γυνοιδτης*, vel adulterationis accusatur, & mutationis, sincera atque inviolata depromi, & os obturari adversariis potuit. Notarunt hoc ipsi *Principes & Status Evangelici in Præfatione ad Formulam Concord.* se ideo, ne turbentur aliqui adversariorum calumniis, ac si nobis non constet, quæ sit vera & genuina illa *Augustana Confessio*, ac ne quid ad accuratissimas rationes diligentia desideraretur, *exempla ejus in Archivis antecessorum suorum reposita, per fide dignos homines, cum eo, quod Imperatori ipsi exhibitum est, & in S. Rom. Imperii Archivo asservatur, conferrari voluisse, & certos esse, nostra Latina & Germanica exempla per omnia sibi conformi sententia invicem respondere.* Quæ immerito ridet mendaciive arguit *Bellarminus*, risu ipse dignus & mendacii reus, quando *in judic. de F. C. mend. r.* nugatur, *Confessionem nostram non solum Augustæ vix dum natam extinctam esse, sed etiam in duobus Archivis (Moguntia & Bruxellis) ita sepultam, ut per 40. annos lucem non viderit, interim tamen singulis prope annis alias atque alias editas, omnes Augustanæ Confess. titulum præferentes, ta-*

Ddd

men

men & verbis & sententiis tum inter se, tum ab illa prima plurimum dissentientes. Dadum exploferunt has sannas, prater Theologos Saxonicos, qui vastum volumen Germ. ediderunt, D. Jo. Schmidius in Disputat. Secular. de A. C. & D. Valentinus Alberti edito, auspiciis Electoris Anno 1684. & A. 1688. recuso iusto tractatu Germanico, contra *Anonymū Viennensem*, qui iussu Comitum *Kollonitschii*, tum Episcopi *Neostad. Augustanam & Anti-Augustanam Confessionem* publici juris fecit A. 1681. Ex illa D. Alberti solida confutatione scripti hujus Pontificii simul historia omnium, de quibus disceptatur, editionum Aug. Conf. luculenter cognosci potest. Quæ nuper admodum inter quosdam Nostrates, circa *synodica* librorum Ecclesiæ nostræ Symbolicorum, exortæ lites sint, notum satis optandumque est, ut sopiantur, ne adversariis calumniarum continuandarum occasio detur. Impense nobis placet *Seckendorffii* epicrisis. *Et si enim,* inquit, *discrepantia quedam, in editionibus Latinis & Germanicis, appareat ratione styli variantis; nulla tamen demonstrari potest, qua caput & substantiam controversia pervertat, qua inter Pontificios & Lutheranos versatur: omnis denique Symbolica hujus Confessionis vis ac norma in sacrarum literarum testimoniis consistit, & ex his, quicquid de stylo & formulis dubitari posset, decidendum est.* Hoc unum addo, quod ad refellendas adversariorum calumnias forte sufficit: Jo. Cochleus de *Aët. & scriptis Lutheri* ad A. 1530. tradit, *Lutheranam Confessionem per typographos divulgatam fuisse, & typis excusam Augustam venisse, antequam solveretur Principum conventus.* Hoc cum ita sit, facile fuisset adversariis observare & objicere varietatem, si qua notabilis intervenisset. Id cum ab iis non sit factum, calumnias esse patet, quas deinceps protulerunt.

Vid. *Haupt-Vertheidigung des Augapfels der Evangelischen Stände.* D. Dorich. *diss. cit. p. 21. seqq.* Seckendorf. p. 171. a.

§. CCXXXIX.

De mutatione Aug. Confess. quam decennio post (A. 1540.) *Mutatio Aug. Conf. 1540. privata ausu Philippi facta huc non pertinet.*
Melanchthon, in religionis negotio iusto mitior, inscio *Luthero*, & invicis Ordinibus Protestantibus, privata autoritate, fecit, hic nihil attinet dicere; neque enim recepta unquam à genuinis & constantibus *Lutheranis*, sed ceu spuria rejecta fuit. Forte infra suo loco & tempore plura de ea proferentur. Egerunt quoque de ea, & quæ Calviniani ac Pontificii objicere vulgo solent, fuisse solideque refutarunt Theologi Saxonici in citato tractatu *Haupt-Vertheidigung des Augapfels* Cap. XX -- XXIII. Perperam igitur nostros accusavit confessores *Goldastus*, quod ab antiqua illa confessione abierint, quando Tom. II. Constitut. Imper. p. 397. fidei historicæ & veritatis oblitus, partiumque studio abreptus, hunc in modum scripsit: *Si quod Imperatorum veterum & Principum Christianorum fuit in conservanda Nicæna Confessione, Constantino M. Nicææ in Concilio à Cathol. Episcopis oblata, & novis non admittendis, studium, eadem nostrorum Principum fuisset in Augustana retinenda & propaganda diligentia, & ipsi antiquam illam servare maluissent, quam novas subinde comprobare, æquabilius atque constantius se res Christiane haberent. Nunc postquam ab antiqua illa abiri cœptum est, & alia atque alia identidem à maleferiatis Theologis excogitata, non poterat non res Christiana turbari, unitas Ecclesie scindi, & detestabilia inter nos schismata oboriri.*

§. CCXL.

Id observatu hic dignum, nec prætermittendum esse cen- *Mutatio animorum post lectam & publicatam A.C.*
 seo, quod August. Comitibus solutis, nonnullorum Protestantibus antea parum æquorum animi mutati sint, ac mitiorem præ se tulerint de causa Evangelica sententiam: inter quos etiam Bavarix Duces fuisse, Legati Saxonici, qui ab Hero suo Augustæ relictæ erant, ei retulerunt. Testati enim sunt, sibi minime placere, quæ Elector Brandenb. rigida & dura prolocutus esset in

ultima sua oratione. *Carolus Caraffa*, Episcopus Averfanus, de Confessione Augusti. scribit, cum primum legeretur, *non aver-
sos ab ea fuisse Catholicos*, sed judicasse eam nonnullis in locis
eam explicatione egere. Imo *H. Grotius* in voto pro pace Eccles.
refert, *Carolum* Imperatorem ipsum *Roma* intercessisse, ne inter
libros interdictos Confessio illa poneretur. Ad admiranda igitur
providentiæ divinæ circa Aug. Confess. haud abs re refert *Lut-
therus* in Admonitione ad Germanos suos, quod *Carolus* damna-
re noluerit doctrinam nostram, licet ab Ecclesiasticis & Politicis
Principibus vehementer & indefinenter eo incitatus esset, etiam
antequam ex Hispania in Germaniam iret. Dixisse etiam fer-
tur, *non posse adeo malam esse doctrinam, cum tam multi magni,
docti & probi viri eam amplectantur*. Item, wenn die Pfaffen
fromm wären/so dürfften sie keines Luthers. Quod Episcopus Salz-
burgensis quoque ingenue confessus est, ad *Melanchthonem*: Ach
was wolt ihr doch an uns Pfaffen reformiren/ wir Pfaffen sind
nie gut gewest. Plura hujus generis ingenuas confessiones de re-
formatione & Confessione Evangelica supra subinde indicata,
& ab aliis magno numero annotata sunt.

*Tom. V. Alt. pag. 536. b. 537. a. D. Dorisch, in diff. cit. p. 27. Seckend.
Lib. III. pag. 4. a.*

§. CCXLI.

*Conventus
Smalcaldia
constitutus
à Protestan-
tibus.* Post soluta Comitata Augustana *Imperator* cum *Ferdinan-
do* Rege fratre, multisque Imperii Proceribus, *Coloniam Agrip-
pinam* se contulit, eoque per *Archiepiscopum Moguntinum*, sub
finem hujus anni ad XXIX. Decembris diem, cæteros Electo-
res convocat, ut Regem Romanorum eligerent. *Protestantes*
autem haud abs re veriti, ne secundum Cæsaris edictum postre-
mum, conventus iste ad se opprimendos spectaret, sibi quoque
& religioni prospicere studuerunt, eamque in rem etiam con-
ventum *Smalcaldia* primò d. XXVIII. Novembr. deinde, cum
impedimenta quædam objicerentur, XXII. Decembr. vocante
& oran-

& orante Electore Saxon. instituerunt, ibique formulam fœderis conceperunt; non quidem offendendi quenquam, sed sui defendendi causa, & conventum est in hæc capita: 1. *Cæsarem requirendum esse*, ut juberet *procuratorem Imperialis fisci*, qui jam vexare Protestantes ceperat, *desistere*, aut, si quid iniqui sub prætextu religionis præciperetur, vel exigeretur, ut reliqui omnes consilia & auxilia sua conferrent. 2. *Deligendos doctos Theologos & JCtos*, qui rituum Ecclesiasticorum & disciplinæ uniformem rationem conscriberent, ne adversarii pergerent calumniari, ac si pro lubitu pastorum ubique religio constitueretur. 3. *Ut & exceptio contra procuratorem fisci & appellatio à decreto Augustano componeretur, adjuncta apologia*, quæ totum Religionis negotium ac fœderatorum acta proponeret, utque ejus exempla Latine, Germanice & Gallice divulgarentur, Regibus Galliæ & Angliæ, aliisque Principibus, qui tum *Cameraci* per Legatos convenerunt insinuarentur. 4. *Ut Cæsar de Concilio interpellaretur, doctisque interim viris demandaretur*, ut quæ ad Conciliorum indictionem, modumque tractandi pertinent, investigarent. In id etiam incumbabant omnes, ut plures sibi socios adjungerent. *Landgravius* recepit se acturum cum Rege Daniæ, & cum Hamburgensibus, perque hos cum aliis civitatibus maritimis & Hanseaticis. Confœderati d. XXIV. Decembr. dant literas ad Cæsarem, & deinde Saxo solus ad Principes Collegas, quibus contradicunt electioni Regis Romanorum, ac ostendunt, omnino contra legem Carolinam, libertatem & morem Imperii fieri, ut Cæsare superstite Rex Rom. eligatur, & quidem Imperatoris frater germanus. Hoc contra *Lutheri* consilium fiebat, qui Electori suadebat, ut *Ferdinandi R.* electioni non resisteret, sed, si maxime invito illo fieret, Deo confideret, qui efficere possit, ne *Ferdinandus* plus noceat, quam hucusque *Carolus* nocuisset. *Melanchthon* quoque prolatis ex historia Romana & Germ. exemplis, jus eligen-

di socium Imperii confirmavit. Non tamen solus Elector Sax. cum sociis electionem Regis Rom. improbavit, & hoc nomine Filium suum, *Jo. Fridericum*, cleriter Coloniam misit, ut ei se opponeret, & citationem à Moguntino non rite factam demonstraret; sed idem quoque fecerunt quidam Romano-Catholici, maxime Bavariæ Duces, & clam quoque ei aversebatur *Henricus Brunsvicensis*.

Tom. V. Alt. pag. 407 -- 412. & 528. b. Sleid. pag. 203 ff. Seckendorf. L. III. pag. 2. 3. 4.

§. CCXLII.

*Lutheri
scripta.*

*Ex enarrat.
in Psal. 118.
nonnulla
que ad sta-
tum Eccles.
Pontif. spe-
ctant, addu-
cuntur.*

De scriptis *Lutheri* hoc anno, cum ad propagandam puriorum doctrinam, tum ad repellendas varias adversariorum calumnias, editis, subinde diximus, occasione historiarum Comitialis. Super sunt quidem alia adhuc, sed, quia *Seckendorf* ea prolixè recensuit & excerptit, otia nobis hic fecit. Pauca tamen ex Commentariis *B. Viri* in Psalmos aliquot *Coburgi* elaboratis referam, propterea, quia viva & invicta veritatis vis inde elucet, quæ non potuit non adversariorum oculos animosque perstringere, & vel in admirationem & venerationem, vel in invidiam perducere. Ad Psalmi CXVIII. quem proprium suum hymnum vocat, v. 2. cum dixisset, magnum Dei donum esse regimen Ecclesiasticum in spiritu & coram Deo, quod non ex humana sapientia & viribus proveniat, Pontificia Ecclesia statum ei prorsus repugnare, observat, ubi *Papa* cum in seclis suis contentur primum sua prudentia, externis legibus & constitutionibus ac traditionibus atque excommunicationibus, sine verbo Dei, sine orationibus, & sine doctrina colligere, constituere & conservare, postea potentia mundana, & exurendo, tyrannidem exercendo, necando & prosequendo tueri & defendere. Nec, inquit, opus habent quicquam Dei bonitate, auxilio & presentia, sed nunc canunt hunc versum hoc modo: Gratias agite excommunicationibus nostris & gladiis, quoniam potentia eorum du-

rat

rat in æternum. *Vera Ecclesia docet Dei verbum: neminem ad
 id cogit: qui credere ei non vult, eum missum facit, & se sejungit
 ab eo, velut Christus docet Matth. X. & XVIII. & ut Paulus in
 Actis ubique facit, Deique iudicio esse permittos eos sinit; sed no-
 stri carnifices & cruentissimi isti tyranni verbum Dei non docent,
 sed suos proprios articulos condunt & pro libidine agunt, quicquid
 volunt, & eos, qui credere articulis, & parere mandatis recusant,
 igni adjudicant. Mox suam fiduciam & vanam adversariorum
 spem indicat, cum hi fore putaverint, ut *Friderico* vita functo,
 una quoque doctrina Evangelica cum ipso expiret, quasi vero
 Evangelici Regibus & Principibus niterentur, ut Pontificii, quo-
 rum omnes gloriations, clamores, ferocia, jactantia, spes ac
 fiducia fuerint Cæsar, & Principes, alique potentes. - Postea
 de notis Ecclesiæ veræ & falsæ agit, cum & Protestantes & Pon-
 tificii videri velint, quod Dei nomen colant, & ejus gloriam
 quærant. Responder autem ad quæstionem, *utra pars rectius
 sentiat, & vere de Deo gloriatur?* 1. unumquemque hic consulere
 & introspicere debere suam conscientiam, quæ Deum non fallat.
 2. Ne homines decipiantur, fructus observandos; facile enim co-
 gnosci inde posse, qualis sit arbor, bona an mala. Hinc de no-
 stris ait Confessoribus: *Nos nullam consolationem humanam aut
 ex hominibus habemus, nec eam habere possumus. Non possumus
 nisi fiducia humani auxilii & humanis viribus; sumus enim pauci
 admodum, sumus tenues, sumus imbecilles, sumus omnis generis
 periculis expositi, proinde non possumus non metuere, angere, pa-
 vere & solliciti esse. Ubiunque versamur, cogimur summa cum
 humilitate supplices esse Deo & hominibus, nec quenquam ipso-
 rum propter doctrinam tollimus e medio, nec cuiquam auferimus
 sua per vim, non cogimus quenquam violentia, ut credat idem,
 quod nos, non tyrannidem aliquam contra quenquam hoc nomine
 exercemus, non infestamus propter doctrinam quenquam. Magi-
 stratum non abrogamus, nec in ejus officium invadimus, sed ju-
 vemus**

vemus

hemus docemusque, ut seditiones, bella, dissidia, tumultus ac lites rixasque impediatur, ut autores earum puniat: nec unquam induximus in animum nostrum, cuiquam inferre injuriam; sed impedimus hæc omnia, & cavemus ea diligenter, ubicunque & quibuscunque modis possumus. Docemus & servamus pacem summo studio. Nobis infertur vis, tyrannide premimur, è medio tollimur, sanguis noster effunditur, facultates & fortuna nostra nobis eripiuntur, omnis generis persecutionibus expositi, tractamur indignis & crudelissimis modis. Hæc sane signa sunt veri spiritus, congruentia cum hoc Psalmo & tota Scriptura. Sed apud Pontificios omnia contraria esse ostendit.

Ad *ψ. XX.* hæc est porta, per quam intrant justi, docuit veræ Ecclesiæ membra esse tantum fideles, justos & sanctos, secundum articulum, *credo Ecclesiam sanctam*, & non fideles, non sanctos non pertinere ad Ecclesiam sanctam Christianam, licet vel Pastor, vel Episcopus sit, juxta illud *1. Joh. III. 6. 8.* Quem articulum in *Concilio Constantiensi* damnatum dicit una cum hoc versu & tota Scriptura S. cum *Johannes Huf* confessus esset, *Papam, nisi pius & sanctus sit, non posse esse membrum, multo minus caput Ecclesiæ sanctæ*, propter quam confessionem tanquam hæreticus damnatus & combustus fuit. Observat quoque *hypocritas in Papatu* cum ficta sua humilitate *nolle esse sanctos, & tamen venditare pro rebus sanctis suos ordines, status, regulas, vitam, opera.* Appellationem *sancti* non proficisci ex arrogantia aliqua, nec esse superbæ vocem, sed necessariam confessionem & fidei nostræ articulum.

Psal. 117.

Concinnavit quoque & revidit expositionem in *Psal. CXVII.* brevissimum quoad verba, sed prolixissimum quoad sensum & mysteria, ut specimen daret, nunquam satis exhaustum posse Scripturam S. & *acediam*, id est, pigritiam & fastidium verbi cultusque divini castigaret. Quatuor autem è *Psalmo* proponit & explicat *1. vaticinium de Evangelio & regno Christi*
inter

inter omnes gentes quoque propagando, & abolendo cultu idolatrico. Quod observari vult contra *Antichristum ejusque sectas*, putantes, nullos esse Christianos, nisi eos, qui eorum tyrannidi subint. Is vero colligit ex universali Davidis oraculo, *eum non esse hæreticum, qui non est sub Papa. Si enim*, inquit, *articulus fidei necessarius esset, omnes gentes sub Papa esse oportere, Deus mendax foret, quia iste articulus nondum impletus est, nec unquam implebitur. Neque enim Petro, in quo maxime fieri, juxta Pontificios, debebat, id contigit, multo minus ergo ullus Papa sperare potest. 2. Revelationem mysterii magni, Apostolorum etiam tempore paucis cogniti, & nunc quoque sub Papatu profus fere oblitterati, nimirum, quod Christi regnum non temporale, terrenum & periturum regnum sit, ubi leges & jura regnent; sed spirituale, cæleste & æternum, quod ultra & supra omnes leges, jura & externas ordinationes (weisen) regi debeat. Bene igitur factum, quod Deus regnum Judaicum & Hierosolymam destruxerit, & Moſen sustulerit, quia gentium Deum accipere noluerunt. Idem eventurum quoque monasteriis, cum Dominum gentium blasphemant, quem laudare debebant, eumque ferre nolint, sed propria opera & merita extollant, ut per ea non tantum Christiani & salvi fieri, sed etiam meliores Christiani esse, quam vulgares, aliisque de suis tribuere velint. De ista revelatione nihil inveniri in Jure Canonico, in legibus Pontificum, sive Decretales, sive Clementinæ, sive Extravagantes appellantur, nihil in omnibus Summistis, scriptoribus Sententiarum, Regulis & concionibus Monachorum, nihil in statutis Conciliorum, nihil in Hieronymo, Gregorio, nihil in quaestionibus omnium Theologorum, lectionibus Academiæ &c. 3. Doctrinam de fide, quæ gratia & veritate nititur. Ea autem evertitur meritum operum. Unde Pontificii hunc Psalmum & hæc verba, ore quidem deblaterant, sed corde sic legunt, & intelligunt: totus mundus nos laudet, & omnis populus nos deprædi-*

cet; quia opera nostra confirmata sunt super illos, & nostra doctrina manebit in æternum. Quod probant omnes eorum fundationes, literæ fraternitatum, quibus promittunt & vendunt suas vigiliâs, missas, omnia bona opera &c. 4. *Adhortationem ad gratiarum actionem & laudem*, ut primo corde agnoscamus & credamus, quod omnia à Deo habeamus, deinde id ore libere confiteamur & palam prædicemus. Hic enim unicus verus cultus, verum officium sacerdotale & sacrificium acceptum in N. T. est 1. Pet. II. 9. Quid ergo & quorsum apud Christianos sacrificia Missatica, vota monastica, peregrinationes, cultus sanctorum & similia, quæ deteriora sunt, quam Judæorum sacrificia, à Deo damnata, sub opinione cultus, ac si Deo aliquid detur, Psal. L. 8. ff. Es. I. 8.

Tom. V. Alt. pag. 168 -- 196. pag. 252 -- 267.

§. CCXLIII.

In Psal. 82.
de Magi-
stratu Polit. Edidit quoque *Enarrationem Psalmi LXXXII. Deus stetit in Synagoga Deorum*, in cujus præloquio observat, à Monachis Principes & Magistratus contemptos olim, per Evangelium autem dignitati restitutos, hac libertate & autoritate abutifere ad opprimendum Evangelium, idque sub specie defensionis, ac reprehendi amplius nolle, obvertentes, id seditiones in populo concitare. Hunc igitur Psalmum Ecclesiasticis & Politicis Magistratibus sedulo expendendum sistit, illis quidem & populo, ut honorifice de Magistratu civili sentiant, eique obsequium debitum præstent: his vero, ut sui memores officii sint, & recta docentes reverenter & placide audiant. Verum de his plura suis Locis dicemus.

de Purga-
torio.

Porro peculiari tractatu directe oppugnavit *Pontificios*, qui inolescere videbantur, quod diu nihil contra eos edidisset, occupatus aliquamdiu in refutandis sectariis. Noster itaque posteris daturus indicem & promptuarium ad historiam, ex qua cerni queat, quam ob causam *Lutherus* à Papa condemnatus, &

quæ

quæ Papæ doctrinæ diabolicæ sint, à Purgatorio incipit, & hoc dogma totum vehementissime impugnat, respondetque ad omnia dicta Scripturæ S. quibus adversarii purgatorium adstruere laborant. Ostendit etiam fontes & causas figmenti hujus, nempe, quod *Mammon eos docuerit effingere hunc ignem, & tota Scriptura abuti*: & addit, *si suus esset ille Deus, se intra mensis spatium & purgatorium, & totum Papatum aboliturum esse: hancque divinitatem si haberet, suam doctrinam non fore hæresin, sed puram veritatem; at nunc paupertatem suam hæresin esse.* De Purgatorio infra suo loco uberius, ubi illud destruemus.

Tom. V. Alt. pag. 278 -- 291. pag. 291 -- 302.

§. CCXLIV.

Sermonem habuit egregium de Scholis instituendis & juvenute eo mittenda, & publicatum *Lazaro Spenglero*, Syndico Norimbergensi inscripsit, ejusque urbis Magistratum impense laudavit, quod magno sumtu scholam instituerit, ac viros doctissimos vocaverit. Alloquitur dein Pastores, & de vulgi ignorantia ac ingratitude, post restitutam Evangelii doctrinam, & prostratum Monachismum, studia literarum aversantis, acerbè queritur: & futurum prædicit, si ita stolide perrexerint, ut mox denuo asinos, quales habuerint, *Locatos & Bacchantes*, denuo recipere cogantur, qui ingentibus sumtibus nil doceant, & iterum in Laicorum bona involent, & pudicitiam uxorum & filiarum suarum tentent. Quare propositis utrinque, & utilitate ex Scholastica institutione redundante, & damnis ex ejus neglectu oriundis, hortatur omnes severe, ut populum ab hoc errore vulgari revocent, & Magistratus vel invito parentes adigant, ut liberos suos ad scholas mittant.

Tom. V. Alt. pag. 302 -- 318.

§. CCXLV.

Sequitur *Admonitio ad usum Sacramenti Eucharistici*, in cuius exordio querelas de verbi & Sacramentorū contemptu effan-

Ecc 2

dit,

rari, ubi ostenditur quatenus Sacrificium dici possit.

dit, *Pædobaptismum* omnino retinendum affirmat, & adultos ad Eucharistiam non quidem cogendos legibus & certis temporibus adstringendos esse, pro Pontificiorum more, sed admonendos sedulo ad salutarem Sacramenti usum, quem in finem *causas* indicat, quibus invitari queant, *ex parte Christi*, pro Christianis S. Cœnam *instituentis*, & *ex parte Christianorum*, qui ingentes utilitates inde capiant. Ubi, cum prolixius de *commemoratione* nobis injuncta egisset, quod consistat non tam in consideratione passionis, quam inculcatione efficacix & fructus ejus, refellit *Pontificios*, qui pro ea *sacrificium* substituerunt; concedit tamen *Sacrificii* nomen tribui posse debitæ commemorationi beneficii à Christo in passione sua præstiti, cujus recordatio cum laude & gratiarum actione in S. Cœna celebretur, quod uno verbo dicitur *Sacrificium laudis & orationis*. Non ergo alia ratione utendum hoc Sacramento esse, quam *opinione laudis & precis*. Cum vero modestiores quidam aut occultiores ex Pontificiis, hoc ipso tempore, fucum facere, & *Missam veterem* retinere, aut denuo introducere niterentur, dictitantes, *se sacrificium mysteriale & memoriale* | ein *Deutopffer und Denckopffer* | intelligere, adversus illam palliationem haud pauca adducit, & nihilominus contra institutionem Christi peccari ab iis ostendit, quia ex Sacramento, etsi propitiationem jam illi non adscriberent, *opus tamen faciant meritorium & sacerdotale*, atque ita *duplex Sacramentum* comminiscantur, unum, quod sit *sacrificium*, & à solis sacerdotibus præstetur; alterum, quod sit *communicatorium*, Laicis distribuendum, cum tamen nonnisi unum Christus instituerit, omnibus Christianis, sine discrimine personarum. Mox, ne adversarii objicere queant, *Lutherum* *λογομαχέων*, certas condiciones addit, quibus admissis dici queat *Missam esse sacrificium*, non quidem ratione Sacramenti ipsius, sed ratione usus Sacramenti: (1.) ut intelligatur *sacrificium laudis*, ein *Danckopffer* | non operis, niche ein *Deutopffer* | oder *Werckopffer* | ut.

ut, qui Sacramentum accipit, in signum gratitudinis pro passione Christi & gratia accepta, pro se ipso, in corde suo faciat. (2.) *Ut sacerdos non dicatur sacrificare in altari, sed sacrificium illud laudis & gratiarum actionis commune sit, & ipsi sacerdoti, qui administrat & sumit Sacramentum, & illis, quibus id distribuit.* (3.) *Ne Sacramentum posthac vendant, aut pro aliis, vivis aut mortuis, offerant, sed ut sacerdos, ut alius quis ex populo Christiano, sacrificium istud sua saltem præstet actione, ita, ut per hanc suo & fidelium communicantium & adstantium nomine, Deo gratias agat, pro beneficio salutis, omnibus in passione Christi exhibito.* Addit tamen (4.) his stantibus sequi, quod, cessante illa, quæ hucusque jactabatur, propitiatio pro aliis, simul concidere & annihilari debeant omnes fundationes, Missarum propitiatarum causa factæ. Hoc facile judicat, explosum ab illis iri, sed sic etiam manifestum fieri, meram sycophantiam esse, quæ de sacrificii commemoratione nunc rethoricentur.

Tom. V. Alt. pag. 318. -- 334.

§. CCXLVI.

Post hæc admonitionem Evangelicis daturus, ut pro doctrina verbi & Sacramentorum puriore gratias debitas agerent, enarravit Psalm. CXI. in cujus enarrationis fronte *Koeckerizio*, Nobili Misnico pio, inscripæ, vehementer deplorat ingratitude Germaniæ, quod adversarii nostri, excæcati & indurati, non cessent calumniari & blasphemare Dominum & Salvatorem nostrum dilectissimum, cum tamen in Comitibus Augustanis ipsi se confessi sint, nostram doctrinam contra nullum articulum fidei, aut Scripturam S. impingere: & inter Protestantes tam nobiles quam rustici ita insolentes facti sint, ut nil curent Evangelium, nec foveant illud, aut promoveant, sed auferant quoque ea, ac negent, quæ dare deberent. Has ob causas clades Germaniæ prædicit. Psalmum autem ipsum sic tractat, ut, post explicationem literalem, eum applicet ad laudes:

Ecc 3

& gra-

& gratias agendas in Missa, sive celebratione S. Eucharistiæ, & abusus subinde refellit.

Tom. V. Alt. pag. 334--350.

§. CCXLVII.

De clavibus

Hanc Enarrationem excipit libellus de *Clavibus*, quarum abusus maximos perstringit, & r. examinat Christi dicta Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. *quodcunque ligaveris &c.* quod Pontificii idem declarare dixerunt ac præcipere & prohibere, vel mandata & interdicta dare Christianitati, indeque *Papa* potestatem tribuerunt conscientias Christianorum obligandi per leges, bullas, & alia vincula, sub salutis jactura. Quam potentiam Pontificis extenderunt impudenter super omnes Imperatores, Reges & Principes orbis, imo super mortuos in purgatorio & angelos in cœlo, & Deum in terra, sive mixtum Deum & hominem ex *Papa* fecerunt, qui etiam Dei præcepta & legem Dei solvere & tollere possit. Notat etiam, quod *Papa* tantum una utatur clave, nempe ligante, & leges ferente, nunquam autem solvente, nisi prævia satisfactione pecuniaria, licet duas in insignibus habeat, æqualis mensuræ. 2. Hac occasione totam indulgentiarum Pontificiarum vim & efficaciam impugnat, & dispensationes de communionem sub utraque & de conjugio Sacerdotum, quorum *Campegius* in Comitibus spem fecerat, exagitat, imprimis *clavem errantem* *Papæ*, eique opponit dictum *Gregorii*: *sententia nostra, etiam injuste, metuenda sunt*, ac hinc infert, *clavem errare non posse, si injusta etiam sententia metuenda sit*, & quærit, an nundinationes juris divini, sive indulgentiæ, in Germania & alibi venditæ, pertineant ad *clavem errantem*, vel non? *Istis der Fehlschlüssel / oder Treffschlüssel gewesen?* Explodit igitur *clavem errantem* ex Christianismo, probatque dictum sapientis viri: *clavis non errat, sed Papa errat*, quod invertant Pontificii sic: *clavis errat, Papa non errat*. 3. Commentum Canonistarum de *clave potestatis & scientia* memorat, & sub

sub censuram vocat. Illam significare dicunt *jura simul cælestis & terrestri imperii*, nec dubium esse, si Imperium Cæsare careat, quin Papa verus sit Cæsar; utpote qui supra Cæsarem emineat, quantum Sol supra Lunam. Unde etiam multos Cæsares & Reges pro arbitrio deposuerunt & constituerunt. *Clavem scientiæ* interpretantur de jure & potentia Papæ interpretandi & solvendi omnia jura, decreta, doctrinas Dei & hominum, quæstiones & errores. Hinc impie asserunt, *verbum Dei & Scripturam robur accipere à Papâ*, & nec Deum, nec hominem animum capere debere, ut dicat Papæ: *quid agis?* aut, *cur hoc facis?* Tandem, post rejectas illas claves, *legislatorias, errantes, potestatis & scientiæ*, jam *ordinarium clavium usum* in ligandis & solvendis peccatis considerat, & his quoque *Pontifices & Clerum* pessime uti contendit: tum, quod censuras in manifesta crimina prope nullas exerceant, cum tamen multos Papas, Episcopos, Principes, Monachos, nobiles & rusticos excommunicare & ligare debuerint; tum, quod remissiones & indulgentias ad *peccata commentitia*, ubi contra leges Ecclesiæ & sanctum denarium aliquid commissum aut omissum est, applicent; negligent autem peccata capitalia, cædes, adulteria, sodomias, blasphemias &c. ac contra pios homines persequantur, cum doctrina Evangelicâ; deinde verum & rectum usum clavium à Christo præceptum, & Ecclesiæ concessum, egregie proponit & commendat, subinde tamen admixtos Pontificiorum errores refutat denuo.

Tom. V. Alt. pag. 350 -- 371.

§. CCXLVIII.

Coburgi cum haberet *Lutherus*, viginti quinque priores *Expositio*
 Psalmos *M. Vito Dieterico*, quem commensalem & famulum ad *Psalmorum*
 sciverat, prælegit & exposuit, quando à gravibus cutis & labo- *25. priorum*
 ribus aliquid otii ei dabatur, non tantum ut discipulum erudi- *Coburgi*
 ret, sed & suam fidem, spem & orationem hymnis Davidicis *tradita*
 firmaret. Has extemporaneas explicationes *M. Dietericus* di-
 ligen-

ligen-

ligenter excepit, & *Melanchthon* dignas eas censuit, quas præfatione sua ornaret, & denuo ederet, cum multas præclaras & utiles doctrinas continerent, ut in II. Psal. de regno Christi, in XVI. de merito passionis Christi, contra operarios (*die Werckheiligen*) in XIX. de Evangelio, in XX. de Magistratu, in XXII. de Passione, Morte & Resurrectione Christi, item de Justificatione &c. Reperiuntur etiam inspersa quædam ad historiam temporis illius pertinentia, & ad adversariorum sævitiam ac insidias, quæ & ipsi & Saxonix Electori metuendæ erant, quas cum Davidicis persecutionibus comparat. Malo autem ista *Seckendorffii* verbis, quam meis indicare, brevitatis causa. Nominat haud semel *Georgium* Saxonix Ducem, dein *Fabrum*, *Eccium*, *Cochleum*, vide fol. 453. ad Psal. XV. 4. fol. 459. ad Psal. XVII. 6. ubi dicit: *Dux Saxonie, Johannes* (Elector) *plane desertus est; omnes inde nostram sperant ruinam: iuva itaque nos, Domine.* Fol. 465. 466. observat summam, quam adversarii in Cæsaris potentia ponebant, & palam jactabant, fiduciam. Fol. 467. ad Psal. XVIII. 32. *Mammon*, ait, *est Deus Papa; Georgius Saxo Episcoporum; Casar illorum omnium.* Et fol. 492. ad Psal. XX. 3. *Uringius* (Erfurtensis) dicit: *nos Casarem totum pro nobis habemus, & longe plures sumus Lutheranis.* Sed & magno animo minas illas spernit, & de Dei auxilio certus est. Fol. 462. ad Psal. XVIII. 3. *Irruunt in nos Papa, Episcopi & fanatici, sed adversus illos consistemus in Christo, qui est petra; huic innitimur, in hoc efferimur.* Fol. 474. ad Psal. XX. 3. *Deo liberrime causam committo; non nitor Landgravio, non Principe meo, (Electore) sed neque adversarios metuo.* Fol. 474. Psal. XXI. 13. *Georgio* Duci omnia infeliciter successura denunciatur, quia à Deo se averterit. Fol. 497. ad Pl. XXV. 19. justam causam se contra *Georgium* habere dicit, qui in tribunali sedeat, non *Georgius*.

in alios
Psalm.

Idem *M. Dietericus* excepit & collegit sequentibus annis aliorum Psalmorum explicationes, prioribus statim subjunctas, licet

licet temporis ratione habita alium locum postulent, ut Psal. XXIX. XLII. XLV. LI. LVI. LXXXI. CXXVIII. CXXXIII. CXXXVII. CXLVII. CXLVIII. Quibus subjunguntur, quas ipse Lutherus sua manu alio tempore conscripsit in Psalmos XXIII. XXIV. & XXV. Excerpta quædam ex his etiam dedit Seckendorffius, & Præfationes insuper ac Epistolas indicavit, quæ, quia non omnes magnopere faciunt ad historiam reformationis, præteriri possunt. In brevi tamen præfatione in libel-^{Prefat. ad} lum, hoc insignitum titulo: *brevia excerpta ex jure Pontificio, excerpta ex Decreto & Decretalibus, in Articulis illis, qui conformes sunt jure Pontif. verbo Dei & Evangelio, vel ei saltem non adversantur*, scribit, se dadum sibi proposuisse, ejusmodi librum concinnare ex jure Pontificio, eumque Ecclesiasticis & Politicis Principibus, nostram doctrinam persequentibus, dedicare, ut ex eo cerne-^{rent} suam cæcitatem, utpote qui propriam suam doctrinam non tantum non servarent, sed etiam damnarent, tanquam hæresin. Unde intelligi facile possit, quantus ipsorum zelus sit, quem præ se ferant in extirpandis hæresibus, dum tantum studii non adhibeant, ut discant sciantque, quæ propria illorum sit doctrina, aut quantum à nostra distet; sed simpliciter pronuncient: hæc doctrina non arridet nobis, ideo hæresin esse oportet, quamvis nostra esset, & in nostris libris reperitur. Meminit ibi *Archiepiscopi* cujusdam, qui *Cypriani* libros amaverit & legerit contra *Lutheranos*, ex quibus eos confundi posse putaverat; sed cum ei renunciatum esset in ejusdem Patris libris legi, *Ecclesiam sanctam catholicam non tantum Romæ sed in omnibus mundi finibus esse*, protinus illos abjecerit, & hæreticum legere amplius noluerit.

In prolixiore præfatione ad tractatum aliquem *de religio- ad lib. de* ne *Turcarum*, à *Iusto Jona* in Germanicam linguam conversum, ^{religione,} observavit, *Turcarum* religionem, ceremonias & cultum longe ^{Turcarum.} majorem speciem habere, quam totam Monachorum Pontifi-

ciorum, cujuscunque ordinis, catervam, ac certo persuasum sibi esse, nullum vel Monachum, vel Sacerdotem Pontificium, si per tres duntaxat dies inter Turcas viveret, eorumque religionem penitus introspiceret, suam servaturum religionem. Et hanc ob causam se hunc libellum publici juris fecisse, ut *hostes Evangelii* perspicue videant, & manibus pene palpent, Christianam religionem & cultum verum, longe sublimiorem rem esse, quam externos ritus, Monachatum, & quidquid Romana Ecclesia, quam late pateat, sanctitatis jactitet.

Tom. V. Alt. pag. 393. ff. 412 -- 524. Seckendorf. pag. 218.

§. CCXLIX.

*Incrementa
reformatio-
nis.*

Hisce scriptis B. Viri non tantum multi confirmati in confessione Evangelii, sed alii quoque ad eam amplectendam incitati impulsique sunt. *Senatus Lubecensis*, qui hucusque civibus doctrinam puriorem a vide petentibus restiterat, Evangelii præcones, *Andream Guilielmi*, & *Johannem Walhof*, quos antea ejece- rat, hoc anno revocavit, & concionatores constituit, *Canonicis* ibidem acriter quidem sed frustra reluctantibus, instigante *Henrico Brunsvicensi*, qui Collegii à majoribus suis fundati defensionem susceperat; cum enim oblatam ab Evangelicis disputationem recusarent, admittere cogebantur, ut in omnibus templis Evangelium prædicaretur. Vocatus deinde *Witteberga* fuit *Eugenbagius*, qui ministerium ordinavit, & Scholam egregiam instituit. Severa Cæsaris edicta, quæ secuta sunt, parum curabantur, & in aliis urbibus, invitis licet Principibus & Dominis, Evangelium receptum fuit, *Görringa*, *Luneburgi*, *Rostochii*, *Lemgovia*, *Brema*, & in *Livonia*. *Ulmenses* singularem constantiam prodiderunt; Senatus enim, licet à Cæsare serio admoneretur, ut decretum Augustanum reciperet & exequeretur, habita cum civibus deliberatione, perstitit in religionis reformatione, ac ea de causa publicas preces quotidie faciendas indixit. In *Anglia* etiam hoc anno Versio Bibliorum *Guilielmi*

lielmi Tyndalli opera, Antverpiæ procurata, & decepto *Cuthero Tonstallo*, Episcopo Londinensi, in regnum invec̄ta, magnum dogmatibus Papisticis damnum intulit; edictum insuper à Rege contra jurisdictionem Pontificis publicatum fuit.

Seckendorff. pag. 219.

§. CCL.

Nec Martyribus caruit hic annus, inter quos primus fuit *Martyres Patritius Hameltonus*, natione *Scotus*, genere nobilissimus, ex *hujus anni* regia quippe familia natus, egregiis naturæ atque literarum ornamentis instructus Juvenis, annum ætatis vix tertium supra vigesimum ingressus; quum in *Academia Marpurgensi*, recens per id tempus ab Hassorum Principe, PHILIPPO, extracta, jam tum publicam sustinisset professionem, indeque patriam, ut ejus doctrinæ, quam foris perceperat, aliquam lucem, uti frugi probusque negotiator, impartiret ipsi, repetisset, & gratuitam fidei justificationem agnovisset, & purgatorium negasset, à Cardinale S. Andreæ, *Davide Betono*, ejusque Sympresbyteris Anno M. D. XXX. ad rogum in Metropoli *S. Andreæ* condemnatus & protractus fuit. *Thomam Hyttenum*, Anglum, *Madslouensem*, *Episcopus Cantuariensis Guilielmus Waranus*, & *Roffensis Fischerus*, postquam in umbra atque claustrò carceris inedia cruciatibusque variis aliquandiu afflixissent, nec à sententia tamen pie concepta dimovere quaquā potuissent, ob constans & apertum Jesu Christi ac salutiferæ ejus gratiæ testimonium, ultimo ignis supplicio dederunt *Madsloniæ*.

Martyrolog. Hanov. edit. pag. 228. seq.

§. CCLI.

Quæ Anno MDXXXI. acta in causa religionis & reformationis sint, nunc attingere ordo postulat. *Lutherus* igitur, cum intellexisset, quale decretum in Comitibus August. publicatum esset, & qua ratione Cæsar Pontificiæque partis Principes sese conjunxissent, sub finem superioris anni *Commonitionem*

An. 1531.
prodiit *Commonitio Lutheri ad Germanos.*

*queritur, quod nil ef-
fecerit pre-
cibus & mo-
nitis apud
Pontif. Au-
gustæ.*

*bellum aut
seditionem
non posse no-
stris impu-
tari.*

ad dilectos suos Germanos scripsit, quæ hoc anno prodiit. In
ca 1. conqueritur, quod, licet Ecclesiasticos in Comitibus con-
gregatos publico scripto cohortatus diligenter & fidehiter fue-
rit, & summopere rogaverit, ne Comitibus illa, quæ totus mundus
anxie desideraverit, & exspectaverit, sine fructu abire sinant;
sed id operam sedulo dent, ut pax fiat, quidam ipsorum abo-
minabiles errores emendentur, & Evangelio locus relinquatur,
nihil tamen admonitionibus & precibus profecerit. Facile au-
tem 2. hinc colligi posse, quod Deus ex justo iudicio eos, utpote
exceccatos & induratos, quos tot innocentium sanguines,
blasphemiarum & impietates premant, non dignos amplius repu-
teret, quibus bonas cogitationes vel suspiria suggerat, ut vel u-
nico verbo salutaris & pacificæ commonitionis credant. Eos
Judæis similes esse, de quibus Deus apud Jerem. VII. 16. XV. 1.
ac proinde se quoque orare pro iis amplius non posse, verante
Apostolo, 1. Joh. V. 16. Tametsi vero 3. frustraneæ sint preces no-
stræ pro pace apud induratos, tamen tanto validius nobis opi-
tulaturas; sicut jam inceperint, & Augustæ quoque sat magna
miracula fecerint, & D. G. ad finem usque penetraturæ sint,
Christi effectum impleri, ut pax Apostolorum, si in domo
quadam locum non inveniat, in eos recidat, hostibus autem
pro precibus execrationes & pro pace bellum adferat. Nemi-
nem igitur metuere debere ipsorum minas & vires, quibus su-
perbiant, cum Deum non invocent, nec invocare possint, malam
habentes conscientiam & causam. Nos autem securos esse pos-
se, quia eorum pessime destinata in Dei manu sint, nec tam ci-
to ii habeant, quæ cupiant. Quod si proposito malo omni vi infi-
stant, ex duobus malis unum vel utraque simul futura, bellum
aut seditionem. Neutrum Lutheranis imputari posse, qui inde-
sinenter pacem docuerint, servaverint & petierint, summæque
humilitatis & patientiæ exemplum, quale in historiis vix reperia-
tur, in Comitibus ediderint. Nequaquam igitur, si qua seditio aut

bcl.

bellum oriat, dici posse, *hunc esse fructum Lutheranae doctrinae*, sed potius id dicendum de *Pontificiis*. Hinc Lutheranos bona conscientia fretos conservationem à Deo sperare posse, qualem in nupera seditione experti sint, & ipse deprehenderit, sæpe ex vitæ periculo ereptus. Si tamen moriendum sibi sit, sensurum esse Papam, quis sit *Lutherus*, & se mortuum mortem illi futuram esse, qui vivus pestis fuerit. Multos ex Episcopis, Sacerdotibus ac monachis in exitium simul tractum iri, certe in æternum; cum ipse & pii in cælum ituri sint, pura conscientia gaudentes, & hæresis labe minime infecti. Fateri cogi adversarios, ringentes licet & invitos, *nullum Confessionis articulum S. Scripturæ & fidei*, sed solum ceremoniis & decretis Pontificum, *adversari*, ac proinde nos non posse hæreticos vocare aut damnare. Illos ergo homicidii & tyrannidis reos esse, qui tot innocentum (ac nominatim *Leonhardi Keyseri*) sanguinem profundant. Bellum autem si nunc moliantur, nullo jure id facturos, sed læsam trepidamque habituros conscientiam, nec meliorem successum, quam, qui olim, contra Bohemos, ex decreto Pontificio bellantibus, contigerat: Deum excitaturum esse *Judam Maccabæum* quendam, qui *Antiochum* cum exercitu suo trucidaturus sit. Incepto autem bello ab adversariis & defensionem parantibus aliis, nihil se scripturum, nec dehortando nec admonendo, sed fatum commune subiturum esse, examinatione justitiæ ad Jureconsultos rejecta. Nolle se tamen con-

Defendere

demnare illos, aut seditiosos appellare, qui se adversus rapinas *se nostros* & cædes defendant; aliud enim esse invasionem moliri, quod *posse probat* fecerit *Münzerus*, aliud defensionem. (*aliud est in vasor, aliud transgressor*) Manifestum autem esse, quod invasio, quæ à Pontificiis expectanda sit, scelere non careat, cum nullo nitantur jure, nec divino, nec humano, sed ipsi fateantur, veram esse doctrinam nostram, quam tamen extirpare cupiant. Sic enim *Episcopum* aliquem Augustæ ingenue dixisse, se toleraturum, si

ubique doceatur, ut Wittebergæ; id vero non esse tolerandum, ut ex obscuro illo angulo mundi ejusmodi doctrina prodeat: & *Campegium* haud obscure pronunciaſſe, religionem illam permittere ſe poſſe, ſed exemplum metuere; alias enim nationes & regna poſtulatura, ut idem ſibi concedatur. In aprico etiam eſſe, quod adverſarii contra jus Cæſareum & Naturæ agant, cum ægre Proteſtantes audiverint, & deinceps Confutationis ſuæ, licet vaniſſimæ, exemplum denegaverint, veſpertilionibus lucifugis ſimiles, quos ita alloquitur: *o infelices vos omnes, qui Auguſta fuiſtis!* Omnes poſteros veſtros veſtrum pudebit in æternum, nec unquam vos nominati audient hilariter, quod tam infelices majores habuerint. O pudenda Comitia! qualia nunquam celebrata vel audita ſunt, nec celebrabuntur vel audientur. Hoc jam ſatis ſenſiſſe quosdam, qui *Confutationem* pendulis capitibus & defixis in terram oculis prælegi audiverint, quam jactitaverint alij, eam in ſacris literis eſſe fundatam; id enim ſi verum fuiſſet, communicari illam Confelloribus audeat potuiſſe, ut à noſtris factum ſit. Sic impletum Chriſti effatum Joh. III. 20. ſeq. De privatis congressibus & colloquiis *concordiæ cauſa inſtitutis*, non melius judicandum, cum adverſarii nihil aliud, quam calumniæ prætextum, quaſiverint, ut haberent, quod Evangelicis imputarent, quaſi ex ſacris literis refutati & nihilominus pertinaces eſſent. Quam bene affecti erga delectos noſtros fuerint, ex hoc colligi poſſe, quod inter alia de *communione ſub utraque* concedenda paciſci ita voluerint, ſi agnoſcerent noſtri, legitimam quoque illam eſſe, qua ſub una fieret, cum antehac igne ferroque omnes eos perſecuti ſint, qui utraque uterentur. Hoc vero nihil aliud eſſe, quam ex eodem ore calidum & frigidum efflare. Et ſi noſtri id approbaſſent, eos paſſim in compitis & triviis glorioſe proclamaturus fuiſſe, *Lutheranos* doctrinam ſuam revocare.

Poſthæc, cum ſciret *Lutherus*, ſe Germaniæ Prophetam dici,

dici, nomen illud assumit, ut haberent, quod exagitarent Papi-
stæ, Germanos suos monet, quid agere debeant, si Cæsar, insti-
gantibus suis diabolis, Papistis, arma expediret in Principes &
Status Augustanæ Confessioni addictos; quanquam meliora de
Cæsare speret, utpote qui insignem modestiam & clementiam
in Comitibus & in Hispania ostenderit, & non male de A. C.
fenserit (vid. supr. p. 396.) & Electoris Brandenburgici dura in
fine Comitiorum dicta improbaverit. Post repetitam protesta-
tionem, se ad pacem & concordiam tendere, neminemque ad
arma incitare, consilium Germanis hoc suggerit, Cæsari bellum
molienti non esse obtemperandum, sequentibus ex rationibus
inductus: 1. quia Cæsar veritatem Evangelicam, Augustæ satis
probatam, oppugnatum iret, si bellum moveret. 2. Quod omnium
abusuum Pontificiorum se reos faciant, qui Cæsari adversus illam
veritatem militarent: quas horrendas abominationes adversa-
rii emendare nolint, licet apertæ illæ sint; ut scortationes, ad-
ulteria & impuritates Monachorum, Pontificum & Cardina-
lium voluptates, rapacitates, veneficia, proditiones, Sodomix,
cædes, nundinationes divini humanique juris &c. Hæc omnia
in capita & conscientias recidere militantium contra Evangeli-
cos asserit, & licet vita adversariorum forte prætermittatur,
doctrinam tamen dæmoniorum & damnabilem nullo modo
ferendam probandamque esse. Nam per indulgentias ebucci-
natas, per fraudes purgatorii, Missarum cauponationes, supersti-
tiosas dedicationes templorum sanctis factas, eorumque invo-
cationem idololatricam, carnificinam conscientiarum in Confessio-
ne, peregrinationes ad statuas divorum, vel loca certa, & in-
numera talia, Salvatorem nostrum ejusque meritum & sacrificium
unicum obscuratum, neglectum & oblivioni traditum esse. 3.
Quod non tantum istarum abominationum defensionem susci-
pian, sed etiam omnia bona per Evangelii prædicationem jam
procurata evertere & extirpare debeant. Hanc causam multa
com-

*Cui Cæsari
bellum mo-
venti non sit
mos geren-
dus?*

com-

complecti demonstrat, quia Evangelium multa commoda attulerit, dum ignorantiam summam, qua nemo antea sciverit, quid Evangelium, Christus, Baptismus, Eucharistia, Confessio, Spiritus, caro, fides, opera, peccata, Magistratus &c. sint, dissipaverit, ut senes & pueri vel ex Catechismo jam sciant, quid sint, & credant, & agere debeant. Ista omnia vero, ac speciatim summum illud stantis & cadentis Ecclesiae caput de *Justificatione* per solam fidem, revocanda & damnanda esse. Repetit ad extremum dehorationem à seditione, vi & armis, & de propensione sua ad pacem obtestatur. *Quod si vero, inquit, diaboli nostri, Papista, pacem colere nolunt, sed contra Spiritum S. peccare & perseverare in abominationibus suis, bellumque movere cupiunt, publice hic testatum volo, me nequaquam ejus causam fuisse; sed ipsi volunt, ut sanguis in eorum capita recidat.* Satis, ut

Defenditur Luther. contra calumnias, quod belli causa fuerit.

opinor, dilucide mentem suam exposuit *Lutherus* praesenti libello, & praecipuè calumnias adversariorum, qui seditionum bellorumque causam ipsum esse, impudenter dicunt. Inter eos fuit anonymus quidam *Dresdensis*, Laicus, si fides *Cochlæo* adhibenda est, contra quem *Lutherus* apologiam edidit, hoc insignitam titulo: *contra sicarium vel sycophantam Dresdensem, wider den Meuchler zu Dresden* de qua suo loco. *Cochleus* etiam multa in historiam suam hujus anni ex admonitione *Megalandri* congeffit, nil tamen praeter convitia iis regessit. *Maimburgius* denique hos aliisque tales libellos perperam seditiosos vocat, quibus *Megalander* Germanos exhortatus sit, ut arma etiam adversus Imperatorem ipsum, pro defensione Evangelii sumerent, damnatum iri omnes obtestatus, qui Cæsari contra doctrinæ Evangelicæ professores bellaturo assisterent. Nihil vero opus esse video, quidquam pro innocentia *Lutheri* proferre, cum ipse se satis purgaverit. Nec sibi ipsi repugnat *Lutherus*, ut *ex-Jesuita* putat, quando alibi scripsit, Magistratibus non esse resistendum, multo minus arma adversus Principem

pem fumere licere, sub quocunque prætextu id fiat. Per advocatos Nostro, lepido invento, suggestum nugatur *Maimburgius*, reperiri in Jure leges, per quas in quibusdam casibus permiffum fit, defensione contra quemcunque uti. Talem autem casum jam instare, ubi de re omnium maxima, nempe conservanda religione, agatur.

Tom. V. Alt. p. 529 -- 545. Seckendorf. Lib. III. p. 5. ff.

§. CCLII.

Hac admonitione ad Germanos non contentus *Lutherus*, *Examinat* scripto quodam etiam refutavit *edictum* Cæsareum, *post comi-* *refutatque*
tia Augustana publicatum A. 1531. sub titulo: *Glossa auf das ver-* *Edictum*
meynete Käyserl. Edict &c. In cujus initio solenniter protestatur, *Cesar. A.*
 quod quæcunque scripturus dicturusve esset in hocce libello, *131. post co-*
 minime intelligi scriptum velit adversus Cæsarem Optimum, *mitia publi-*
 & bonos Magistratus, sive Ecclesiastici, sive Politici status; sed *catum.*
 tantum contra malos & nequam, sive Principes sint, sive Episcopi, qui sub Cæsaris nomine petulantiam suam exercere & perficere studeant, maxime vero hominem illum perditionis, Antichristum, sive *Clementem* Papam, & *Cardinalem Campe-*
gium, & similes. His præmissis, priusquam ipsum edictum per partes examinet, indicat *spiritum* illum, qui talem sapientiam istis maleficis inspiraverit, ut è Magistro cognoscatur, qualem foveant doctrinam. Jactitabant enim primo adversarii, se Aug. Confess. è sanctis Evangeliiis refutasse. Deinde tamen asserabant, Ecclesiam Christianam ex dictamine Spiritus S. & optimis rationibus statuisse, S. Coenam sub una tantum specie administrandam esse, quia sub una tantum sit, quantum sub utraque. Hæc sibi invicem repugnare, hincque constare ostendit, quid boni in toto edicto sit, quod Papæ spiritum, mendaciorum omnium patrem, habeat autorem. Hinc mendacia Edicti enarrat & perstringit ordine. I. Mendacium esse ait, quod con- I. Mendatendat, *Confessionem* Nostram per *sancta Evangelia confutatam* cium de

Ggg

esse.

*Confess. no-
stra confu-
rata.*

*II. de dicta-
mine Spiri-
tus Ecclesia.*

esse. Quibus verbis eam totam damnent, etiam summos fidei articulos, quos ipsi Augustæ confessi fuerint, dicentes, nil contra fidem in Confessione nostra deprehendi, nec posse eam Scripturis sanctis refelli. 2. Mendacium, quod dicant, *Ecclesiam ex suggestione Spiritus S. communionem sub una decrevisse*. Hoc enim (α) blasphemum esse in Spiritum S. & Ecclesiam, quorum neutrum tolerari debeat. Christum enim dicere, *Spiritum S. venturum & ipsum clarificaturum*, non obscuraturum, Johan. XVI. 14. Item, *Spiritum S. in memoriam revocaturum discipulis omnia, quæcunque dixisset eis*, non sublaturum, aut mutaturum. Jam, cum clarum sit, quod Christus utramque speciem in Evangelio docuerit, Spiritum illum, qui hanc doctrinam non glorificat, aut in memoriam revocat, non esse Spiritum S. sed diabolum ex orco. (β) injuriosum in S. matrem Ecclesiam, quæ non mutet sponsi sui verba, cui subdita sit. Eph. V. 24. 32. Maledictum itaque pronuntiandum esse Edictum, ejusque autorem, & calumniis istis opponi fulmina Christi: *hoc facite in mei commemorationem*. Quæ verba ad Ecclesiam suam dixerit, & facere jusserit, non mutare, vel abrogare.

*Resp. ad obj.
quod Eccle-
sia non possit
errare.*

Ad objectionem, *quod Ecclesia non possit errare*, & male facere Lutheranos, quod totam Ecclesiam damnent, quæ unam speciem retineat, responderet, si alterutrum dicendum esset, quod vel Ecclesia erraret, vel Christus mentiatur, malle se prius concedere, quam posterius; tamen enim Ecclesia erraret, eam tamen non propterea damnatam esse, cum habeat articulum egregium de remissione peccatorum; imo, nisi erraret, non indigeret remissione. At ubi Christus mendax constituitur, omnia perdit, nullamque salutem & spem reliquam esse. Negat tamen Ecclesiam sustulisse utramque speciem, aut mutasse, sed mutationem passam esse ait, à vi tyrannorum Ecclesiasticorum, qui pro arbitrio sub nomine Ecclesiæ rapuerint veluti fures & latrones, & nunc, ubi Ecclesia clamat, & rapinam reddi

reddi

reddi sibi postulat, tyrannidem suam contra Deum & Christi verbum defendere velint. Præterea declarat, hunc errorem de communione sub una non fuisse universalem, sed cæteras Ecclesias, præter Romanam, institutionem Christi retinuisse.

Porro vehementer exaggerat malitiam adversariorum, *I. subdole* quod facti sint Augustæ, communionem sub utraque recte se ha- *concedebant* bere, ac se eam admittere velle, si modo vicissim nostri agno- *Pontificii* scant, distributionem unius speciei etiam legitimam esse. Re- *communio.* cte sentitis, inquirunt, sed hæc veritas (*solch Rechte soll unrechte / solche Wahrheit soll Lügen seyn*) mendacium, hoc præceptum in- *sub una.* terdictum, hæc observantia peccatum erit, nisi vicissim nos re- cte sentire dixeritis de una specie. Quid hoc aliud est, quam, Deus sit diabolus, cælum infernus, vita mors, nisi vos quoque probetis nostra. Quorsum hæc? fateri, esse revera verbum Dei, & tamen illud ipsum condemnare, vituperare, prohibere, alios occidere & punire, qui dicere nolunt, eos quoque rectos esse. Cur non sinunt nobis illud jus, quod ipsi fatentur, & vadunt cum una sua specie, quo volunt: cur nos onerant opinione sua & persequuntur? Prætermittit illud, quod in Edicto damnaverint illos, qui nil nisi panem & vinum ex Sacramento faciunt; sed queritur, quod nullam distinctionem fecerint, cum tamen constet pateatque inter omnes, quod nos illud dogma acriter impugnaverimus. Ad rationem, quam urgent adversarii pro una specie, *quod tantum sit in una, quantum in altera*, responderet, de eo non esse quæstionem, & hanc exceptionem indicare, quod Pontificii lucem & veritatem fugiant; sed illud quæri, & eo rem tendere: utrum verbum Dei tenendum sit, nec ne? Deum vero in verbo suo constituisse utramque speciem, non unam tantum. Contra hoc verbum Dei disertum & clarum, nil posse proferre quenquam, in quo conscientia acquiescat. Frustra etiam præcipere *Edictum* monet, *innovationem esse vitandam*. Hoc telum in ipsos adversarios retorqueri posse, cum illi

ipsi sint, qui novi quid contra antiquissimum, verissimum & æternum Dei verbum, & contra totius Christianitatis hucusque receptum ulum, fixerint. Hoc igitur edictum neminem servare, nisi filios diaboli.

II. de Missa. *Secundo*, ad præceptum de restituenda & tenenda utraque Missa, communi & privata (*Sondermesse* / ita modeste *höflich* de Missa, quæ *Winkelmesse* nobis dicitur, loqui volunt, quasi Ecclesia duplicem Missam vel Sacramentum haberet) cum omnibus ceremoniis, juxta canonem majorem & minorem, ac nulla innovatione admittenda, responder, hoc statui quoque à Pontificiis procul dubio è dictamine Spiritus S. quod ex S. *Campegii* verbis colligatur, qui ad Cæsarem dixerit: *se malle dilaniari, quam missam facere aut mutare Missam*. Hisce nugis opponit verba institutionis, in quibus Missa legitima (i. e. S. Coena) fundata sit, nihil vero legatur de emtione & venditione Missarum pro nummis, animabus in purgatorio, nautis in mari, mercatori in terra, ægroto in domo &c. Fructus Christus unice indicat *remissionem peccatorum*, ipsiusque corpus & sanguis nobis datur, & nos accipimus, nihil ei damus. Non poscit, ut Deo sacrificium offeramus, nec ut Sanctis honorem per Sacramentum exhibeamus, aut alii aliis per Missam opitulemur. Rejicit inde, quæ de *confirmatione & extrema unctione* in Edicto præcipiuntur, ut commentitia & fundamento Scripturarum destituta.

III. de libero arbitrio. *Tertio* reprehendit, quod errorem de libero arbitrio *indistincte*, & non exprimentes qualem intelligant, pro blasphemo condemnent; cum nec ipsi certi aliquid de eo statuant; sed plurimum inter se de hac quæstione rixentur. Suam vero & suorum sententiam, quod liberum arbitrium in rebus divinis, & animæ salutem spectantibus, mortuum & nihili sit (de rebus enim humanis nullam notat esse quæstionem, & agnoscit dominium & arbitrium in illas homini datum esse) diserte doceri in sacris literis.

Quarto

Quarto Articulum de Justificatione ex sola fide rejiciunt, IV. de Justificatione quia planum sit è Scriptura S. quod nuda fides sola (Der bloße fideat. per si-
 Glaube allein) sine fide & bonis operibus non justificet, & Deus dem solam.
 in multis locis S. Scriptura opera requirat; ideoque hunc articulum, quod sola fides justificet, & opera bona rejiciantur, non esse docendum. Hanc calumniam nostris impactam, quasi bona opera repudiarent, refellit ita, ut dicat, adversarios contra scientiam & conscientiam agere, ac nos magis urgere bona opera, quam totus Papatus unquam fecerit, qui nunquam intellexerit, quid bonum opus sit. Deinde articulum de Justific. ex sola fide immotum stare confidenter asserit his verbis: Hunc articulum non subvertent Imperatores, non Romanus, non Turcicus, non Tartaricus: non subvertent eum Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, monachi, monacha: non Reges, Principes, Dynasta: non totus mundus cum omnibus diabolis: & ignem infernalem premium contradictionis sue accipient. Ita ego Doctor Lutherus, inspirante Spiritu Sancto, statuo, & hoc est verum Evangelium. Addit probationem simplicissimam ex Symbolo Apostolico: Credo in Jesum Christum, crucifixum, mortuum; ita pergens: Si igitur nullus alius mortuus est pro peccato, si nemo alius peccata tollit, quam solus Jesus Christus, Filius Dei, ut tota Scriptura S. ringentibus licet omnibus diabolis & mundo, testatur, excludendi sunt ex concursu, in remissione peccatorum, & justificatione, omnes homines, cum omnibus operibus suis, nec Jesus, unicus & solus liberator à peccatis, aliter, quam fide, apprehendi potest, & operibus id fieri nequit. Quia autem sola fides, antequam sequantur opera, Christum apprehendit, verum esse oportet, solam fidem ante opera, & sine operibus talem redemptionem sibi applicare, id quod est justificari. Post hanc fidem autem, ut fructus, sequuntur bona opera. Hac est doctrina nostra, ita docet Spiritus S. & tota Ecclesia Christiana. In hoc per Dei gratiam persistimus, Amen.

Edicti ad-
ditamenta
examinan-
tur de præ-
bendis, ju-
risd. Eccle-
&c.

interpret.
Scriptura
juxta Do-
ctores.

de restitu-
endis bonis
Ecclef.

Ad additamenta Edicti, de præbendis, de Conjugio Sacerdotum, de penitentiis & satisfactione, de censura Ecclesiastica, de concubinis, de examine ordinandorum &c. hæc habet: Nostri Augustæ obtulerunt, & ego in Admonitione mea obtuli, libenter agnituros nos esse jurisdictionem illorum Ecclesiasticam, si Evangelium liberum relinquunt, & abusus reformant, quos ipsi sciunt enormes esse, & obligantur, ut prædicent Evangelium, imo in eo vivant, & pro eo moriantur. His præstitis, de præbendis & constituendis pastoribus tractari, & omnibus rebus remedium quari potuisset. Sed non solum hæc recusarunt, verum vi jurisdictionis illius sua Evangelium opprimere, & pios Christianos ejus causa trucidare, & in exilium ejicere volunt. Hæc est illorum jurisdictio Ecclesiastica, & nituntur humana potentia. Vehementer inde adversus prohibitum Clero conjugium invehitur, & turpes Sacerdotum & Prælatorum mores rigorose in censuram vocat. Post alia, ad illam clausulam Edicti, qua Evangelium doceri mandatur, secundum interpretationem receptorum ab universalis Ecclesia doctorum, interrogat, quosnam per hos intelligant? quinam sint Doctores recepti ab omnibus? An Eccius, Faber, Cochlaus? an Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Hilarius? At hos à Græcis non esse receptos, neque consultum fore Pontifici, si ex eorum sententia conciones instituantur. Dicit igitur, servaturum se esse cum suis articulum illum, & docere velle, sicut Doctores, quatenus hi secundum analogiam fidei docuerunt; qui vero id non fecerint, eos se non esse secuturum, qualescunque illi fuerint. Addit quædam adversus rigorem, quo festa, jejunia, & ejusmodi alia, sub pœna gravissima servari mandantur. Denique ad annexum præceptum de restituendis monasteriis, Alberto Cardinali Moguntino dicam scribit, qui Halis Saxonice duo monasteria spoliaverit, duo templa parochialia destruxerit, & pro lubitu cum Clero veluti histroniam exerceat. Ferdinandum Regem & Duces Bavarix,
Geor-

Georgium, aliosque nominat, qui Clerum immensis tributis gravent. Imo ipsum *Pontificem cum Cardinalibus* notat Romæ eva-
suasse multa monasteria, ut ubi quondam CL. vixerint, jam
duo solum vagabundi, vel unus saltem nebulo, sex ducatorum
annua pensione, nunc reperiantur, cæteri autem reditus à Car-
dinalibus percipiantur. *Principes* quoque *Pontificios*, qui Cleri
defensores esse volunt, quadruplo plus ex Ecclesiæ bonis lucrifacere,
quam Lutheranos, ipsis non ignotum esse ait, ac se sæpe
suavisse, ut ejusmodi bona ad Pastorum, Scholarum, pauperum
& orphanorum sustentationem & educationem impendantur,
sed illa bona pleraque male parva vix digna videri, quæ ad lau-
dabilem usum perveniant. Sperat tamen apud Evangelicos ex
bonis illis tantum recte collocatum iri, quantum conveniat aut
mereatur bene impendi.

In Epilogo miratur, cur in Edicto omitti sint alii plures ii-
que graves articuli, v. g. *de confraternitatibus* innumeris, *indul-* *Miratur in*
gentiis, jubilais, peregrinationibus, purgatorio, & summus ille de *edicto omif-*
potestate Pontificis articulus, ad præscriptum *c. pastoralis*, item *fos alios art.*
de aqua consecratione ad abigendum diabolum: hæc enim non
minus quam reliqua à Lutheranis rejecta, & mirum esse, quod
per edictum cum reliquis non restabulantur. Neque tamen co-
gitandum esse, illos ista, quorum eos pudeat, mutaturos aut o-
missuros esse, comprehendi enim omnia in *dictamine illo Spiritus*
S. & autoritate Ecclesia: interim summe deplorandum, quod cum
tot dogmata Lutherana condemnarent, tamen ne unum qui-
dem ex suis, quæ tamen ipsi pro erroneis agnoscant, correxe-
rint, imo potius, dum innovationes omnes interdunt, con-
firmaverint.

Quod si vero nonnulli exciperent, per *innovationes inter-* *Exc. de in-*
dictas non intelligi errores, sed tantum ceremonias & doctrinas *novationi-*
tolerabiles, respondet Edictum repugnare, quod Lutherani *bus prohi-*
tantum articuli, & ne unicus quidem Pontificius, condemnen- *bitis.*

rur.

tur. Quo ipso omnibus suis Sacerdotibus liberum faciant retinendi omnes errores & mendacia, secundum illud: *qui tacet, consentire videtur*, ne unum mutari sinant.

de reforma-
tione.

Ad extremum perstringit Principum & Episcoporum stultitiam & superbiam, qui fatebantur ingenue, multos errores in Papatu esse; sed non convenire hanc reformandi potestatem Lutheri, dictitabant. Quo prodere ipsos animadvertit, quod non quærant gloriam & honorem Dei; hoc enim si facerent, parum eos curaturos, ex quo angulo, vel à quo homine emendatio proveniat, sed dicturos potius: fiat justitia & pereat mundus. Dei vocationem ad magna opera requiri; se verò, cum Doctoris titulum invitus & coactus assumeret, ad Scripturam S. pure docendam juramento obligatum fuisse: quo suo officio cum satisfacere cuperet, Papatum impedimenta objecisse; hinc litem cum Pontificiis secutam, & pejora metuenda illis esse, se nequaquam passurum se abstrahi ab opere cepto, sed ambulaturum super aspidem & basiliscum, *und das soll bey seinen Leben anfangen/ und nach seinem Tode ausgerichtet seyn.*

Monet tandem omnes, ne hoc edictum metuant, licet sub optimi Cæsaris nomine promulgatum sit: hoc enim non esse mirum, cum Clerus ultra sexcentos annos omnia dogmata nefanda, vitam, & quicquid ad dignitatem potestatemque suam pertinere existimaverit, sub nomine ipsius Dei & sanctæ Ecclesiæ venditaverint.

Tom. V. Alt. pag. 545. b -- 559.

§. CCLIII.

Contra ano-
nymum
Dresdensem
Diluit i.
Lutherus
calumniam
de negata

Utriusque hujus scripti recensiti apologiam edere coactus est *Lutherus*, posteaquam anonymus aliquis *Dresdensis* stylum in ipsum strinxit, ac occasionem suppeditavit, confirmandi uberius ea, quæ prioribus scriptis de Papistis dixerat. *Anonymus* attem ille in fronte statim libri sui, in nundinis Lipsiensibus venalis, calumniatus est *Lutherum*, ac si docuisset, *Cæsari non esse obtem-*

obtemperandum. Quam calumniam ipsa experientia refutat, *Cæsari ob-*
cum nulli non constet, neminem excellentius de Cæsare & ob- *dientia.*
sequio ei præstando scripisse, quam se, Pontificiosque ex se hau-
sisse, quicquid de eo habeant, & ante se nihil profus scivisse.

Deinde diluit objectum ab adversario *seditionis crimen*,
quasi id intendisset, ut Germanos ad defectionem à Cæsare &
Magistratu quocunque sollicitasset, vel induxisset scriptis suis.

Aliud testari libros suos ait, ad quos confidenter provocat, &
in quibus hoc dicat, *neminem ad obsequium Cæsari, aut alii ma-*
gistratui præstandum, obligari, si jubeatur arma capere adversus
veram religionem & justitiam, præsertim si hoc sciat; neque esse,
cur hujus sententiæ se pœniteat: neque si in hac erraverit, S.

Mauritium cum decem martyrum millibus sanctitatis laude di-
gnos fore, qui, cum milites essent, mortem oppetere, quam
Imperatori injusta exigenti parere maluerint. 3. Affirmaverat

anonymus, *Lutheranos fœdera inire, & arma instruere, negave-*
ratque, Cæsarem utpote mitissimum, aut Principes ei conjun-
ctos, adversus *Lutheranos* bellum moliri, & *Lutherum* id suspi-
cantem mendacii arguerat. Ad hæc Noster, se de *Carolo Cæsa-*

re optime sperare, quippe qui longe benignior atque clemen-
tior fuerit, quam sanguinarii, quos vocat, tyranni, ex Clero,
Augustæ nuper optaverint: ira quippe & indignatione pene
infanivisse, quod Cæsar ad suggestiones suas sævire in Prote-

stantes noluerit. *An Lutherani Principes*, quod adversarius re-
gesserat, *arma parent, se*, scribit, *nescire*, nec sua referre; liben-
ter tamen intelligere, quod in hanc suspicionem apud adver-

sam partem venerint, ac, si posset, cupidissime se istam opinio-
nem iis aucturum, donec ad mortem usque metuant, juxta il-
lud: *fugit impius nemine persequente*. Fatum enim Caini, post
effusum jam sanguinem innocentem, illos meteri, qui cæso fra-

tre semper timidus trepidusque fuerit. Addit, *si verum* esset,
quod *Principes Lutherani ad bellum sese instruerent, se tamen*

illos

Hhh

illos

2.
seditionis
*crimen.*3.
quod Lu-
therani ar-
ma parent.

illos pro seditiosis ac rebellibus habiturum non esse, quia ad defensionem aduersus injustos aggressores progredi haud esset illicitum. Quod autem 4. vim meditetur Pontifex cum suis, contra Lutheranos, non esse mendacium, ut anonymus nugatur, sed probatum esse putat ex actis Bononiae inter Papam & Caesarem, & exemplis saevitiae, quae jam in privatos saepe ediderint; qualia si aduersus Principes patrare velint, utique bello opus esse, neque enim carnificis Lipsiensis aut Moguntini gladium Electorem Saxonem aut Landgravium metuere posse: ad hos opprimendos exercitum requiri. Allegat, quae Augusta Eccius, Cardinalis Salisburgensis & alii aperte dixerint, gladio & vi agendum esse aduersus Lutheranos. Idem consilium tribuit Electori Brandenburgico, & Georgio, Duci Saxoniae, qui equitum quinque millia Caesari obtulisse dicebantur: idem Clero, immensam vim pecuniae promittenti. Refert voces & minas, adventante Caesare Augustae decantatas: *Salvator venit, Salvator venit!* item sponsiones factas, ante festum Michaelis actum fore de omnibus Lutheranis, cum Gallus à Caesaris stet partibus, & Principes vitam fortunasque in Protestantium perniciem convertere velint: & Elector Brandenb. ac Dux Saxon. Georgius equitum quinque millia Caesari promiserint, conatique plures sint factionem à Paccio revelatam & interruptam Augustae, sub Caesaris nomine redintegrare. Hoc certum esse, quod post Comitia Pontificii summopere studuerint clam arma equosque parare, licet forte destinata non perfecerint, aut perficere nequiverint. Quae cum ita sint, se nullo modo suadere posse nostris, ut trucidari se à juratis hostibus patiantur. Se quidem, tanquam verbi ministrum pati debere, & velle, ut qui gratiam à Deo habeat, idem patiatur; sed non posse certum reddere ficarium suum, hoc omnes alios passuros. Quod si suaderet nostris, aduersarios sanguinolentos animum capturos, & in proposito malo perseveraturos; at hoc se facere, eosque hac sollicitudine liberare nolle,

4.
Papam cum
suis vim
meditari
contra Lu-
theranos
probat.

nolle, quod nemo ipsorum bellis & caedibus restitutus sit. Wollen sie Ritter werden an der unsern Blut/ so sollen sie mit Fahr und Sorgen werden/ wie sichs reblichen Rittern gebühret. Wollen sie morden/ so sollen sie warten/ was ihnen begegnet. Tandem licium sic alloquitur: si omnia superius dicta vana & commentitia essent, & tui sanguinarii omnes sancti essent, quid dices ad hoc? *Edictum prodiit, quo nostra doctrina damnata est (non propter seditionem, ut tu turpissime mentiris) & mina addita sunt expressis verbis, ni Protestantes deseruerint asserta dogmata, eos iacturam corporum, vitarum, fortunarum & honorum facturos. Hoc tu pessime homo tegisti, & tamen te non pudet nos seditiosos proclamare. - Dic, ubi Lutherani literis promulgarunt, quod resistere illata vi, nedum seditionem concitare velint, quemadmodum tui sanguinem sitientes, sub nomine Imperatoris pii edictum publicarunt, quo nostram doctrinam condemnarunt, & ultima quaque interminati sunt. - Nemo aliter hoc intelligere aut interpretari potest, quam totius Imperii enses excitatos, & jam strictos, omnes bombardas directas, omnes viros equosque armatos, paratos & exacerbatos esse, ad trucidandum Electorem Saxon. cum sociis, ad cuncta diripienda, incendenda, devastanda. Hoc edictum sigillo munitum pra se fert; & adsunt voluntas, verba, destinationes, adeoque totus conatus propositum exequendi. Quid iura de his iudicent, iuris relinquo: mea Theologia ejusmodi sanctulos vocat Cainum, Saulem, Judam. Adhuc, non subsistunt intra minacia verba, sed factis comprobant. Nam in urbe Hallensi Albertus Cardinalis benigne scilicet agit cum subditis suis, & idem cum Electore Brandenburg. Magdeburgi tentarunt, passimque hominum oribus fertur, dictum Electorem, Georgium Saxonem, & Henricum Brunsvicensem, Caesarei edicti executores esse. Haec atque alia sic comparata esse haud abs re Lutherus dicit, ut nisi gratia Dei ingens Lutheranis adesset, fieri non*

posset, quin tantæ calamitates & cædes exorirentur, ut Papistæ funditus extirparentur.

ad except.

*Lutheranos
debere omnia pati,
& non resistere,
regerit, id verum esse,
sed Pontificios,
cum meliores Christiani
esse velint, & Lutheranos
damnant, multo minus
sanguinem sitire & cædes
moliri debere contra Deum
& jura. Et, si Pontificii
sancti Christiani manere
queant, licet arma virosque
canant, cædes, incendia
spirent, & pios innocentesque
persequantur; multo magis
Lutheranos manere posse
Christianos, licet paululum
resistant tyrannis; eos tamen
hucusque nil tale fecisse.
Nam, nisi pacem magis
amarent, Electorem Saxonie
cum sociis, Hallensibus, ob
religionem afflictis, opitulari
debuisset, ex eadem ratione,
qua adversarii Augustæ
fœdus inierint, eum, qui
unum aggrediatur, omnium
sociorum hostem futurum,
seque junctis viribus in
eum insurrecturos. Hinc
concludit, Lutheranos non
esse seditiosos, si vi illatæ
resistere contentur, & si
quid contra adversarios
acturi sint, se nec laudare,
nec improbare velle; seditio-
nem tamen à sicario non
debere vocari, sed tantum
defensionem, cum apertum
sit, ipseque Pontificii &
verbis & factis fateantur,
se nostros hostes & contra
nos esse. Se igitur aliter
judicare non posse, quam
eos dies noctesque nil aliud
moliri & agere, quam quomodo
nos deleant & perdant, licet
aliud simulent, ex metu,
cum nondum viribus instructi
satis sint, ad destinata
perficienda.*

*acerbitatem
verborum
defendit,*

Sub finem *acerbitatem verborum*, contra *ficarium*, defendit, & absumptam jam patientiam humilitatemque suam dicit, qua per decem annos usus sit, & hostes insolentiores audacioresque reddiderit. In posterum autem deere visse, induratis nulla bona verba dare, sed fulmina & tonitrua in eos jacere, dum vixerit, aut illi intereant. Neque enim orare se posse, quin simul maledicat persecutoribus. Ut si oret, *sanctificetur nomen tuum,*

tuum, addere se oportere: maledicatur & damnetur nomen Papistarum, & omnium, qui tuum nomen blasphemant, & ita in reliquis petitionibus; nihilominus tamen se retinere benignum & pacificum animum erga omnes, & hoc intendere se præfente libello, & commotione, non ut ad seditionem nostram scriptis extimularet, sed ut Pontificios & alios quoscunque deterreret, ne sanguinolento edicto obtemperarent: neque se Protestantibus stimulum addere ad defensionem, sed id agere voluisse, ut utramque partem ad moderationem & pacem commoveret. Quod si obtinere nequeat, saltem latronibus impedimentum objicere conatum, & parti innocenti sententiam suam dicere voluisse, ne Pontificii gloriari possent, ac si seditiosos jure punirent, & defensionem nostram vel inobedientiam, vel seditionem interpretarentur.

Tom. V. Alt. pag. 559--567.

§. CCLIV.

Nullum dubium est, quin adversarii parrhesiam scribendi Lutheri, qua usus est in duobus libellis recensitis, graviter molesteque tulerint. In primis Dux Georgius literis blandis ad Electorem Saxon. scriptis vehementer conquestus est de illis, & de duabus schedis famosis, de quibus tamen dubitat, an pro suis Lutherus agnoscat. Pontanus jussu Electoris hæc de re cum Luthero egit, qui proluxa epistola imputatam styli vehementiam excusavit, quam dignam judicat Seckendorffius, ut Tomis ejus inferatur. Ea enim, ut ex illustri viri additionibus adere hoc liceat, ad historię seriem tenendam, 1. removel, quod ab adversariis & in literis Georgii exprobrabatur, ac si ad seditionem excitasset Germanos: provocat ad ipsum libellum, in quo nihil tale scripserit, sed tantum conscientias instruxerit, & ab usum Cæsarei nominis, dolose obtenti, detexerit, decenter etiam laudato Cæsare. 2. Satis tamen patere dicit, quam minime Christiano & honesto more cum Electore & consortibus in E-

Georgius
Dux acer-
bitatem sty-
li Lutheri
accusari.

Lutherus
se excusat
epistola apud
Elect.

dicto comitali actum sit, ideoque etiam magna ex causa protestatos illos esse, & contradixisse publice. At nihil hoc, neque tot preces eorum, pro pace profuisse, sed *crudele & sanguinarium Edictum* protrusum esse, quo gladius in *Electorem* & socios manifeste stringatur, totaque Germania ad arma commoveatur. 3. *Electorem* cum suis jam ultra sex menses tacuisse, & nimiam forte ostendisse patientiam, adversam vero partem insolentiorum & petulantiorum factam esse. 4. Ac licet *Electores* cæterique taceant, istaque omnia tolerari velint, sibi tamen diutius tacendum haud fuisse, cum se causa omnium maxime tangat, nam si siluisset, videri potuisset eam deserere, aut negare: sed priusquam illud faciat, omnes dæmones totumque mundum, nedum *Consiliarios Cæsaris*, se ad iram contra se provocaturum. 5. *Acerbitatem scriptorum* se fateri, sed dolere, quod non sint acriora, & qui acerbitatem alterius partis & edicti *Cæsarei* observent, se non accusaturos singularis vehementiæ. 6. *Nec Cæsarem, nec Ferdinandum Regem, nec Ducem Georgium, nec Bavariæ Duces*, amarissima & criminationibus refertissima scripta *Fabri, Eccii, Emseri* aliorumque, contra se, *Electores Sax. & socios*, prohibuisse. Petit proinde & precatur, ne *Electores* falsis delationibus adversus se irritetur, sed reputet, se cogi adscribendum, & duro nodo durum deberi cuneum &c. Has literas *Pontanus Electori* transmisit, eumque rogavit, ut in bonam partem acciperet, cum ipse sciat, quam bona & sincera mente, ac vir vere fidus esset *Lutherus*.

Seckendorf. L. III. pag. 9. b. 10. a.

§. CCLV.

Conventus
 Et fœdus
 Protestant.
 Smalcaldia.

Mense *Februario*, *Electores Sax.* socios omnes denuo *Smalcaldiam* vocat, ut ad d. XXIX. Martii adsint, deliberaturi de suscipienda defensione contra vim hostilem, quæ metuenda illis videbatur, qui purum & incorruptum verbum Dei in ditionibus suis prædicari faciunt. Eo cum convenissent, relatum primo

mo fuit, quid actum cum illis sit, quidque responderint, quos superiori Conventu, in hoc ipso loco invitare ad fœderis societatem visum erat. Deinde fœdere inter se inito, decernunt, ut, cum Magistratui incumbat prospicere, ne sibi suisque subditis verbum Dei & agnita veritas per vim eripiat, quisque alteri, qui propter Evangelium infestaretur, auxilium ex Christiana charitate, fide ac conscientia, præstet, iis viribus, quas quisque adhibiturus esset, maximasque posset impendere, si ipse vim pateretur. Obtestabantur autem, quod hoc fœdus nec Cæsari, nec Imperio, nec alii cuicumque opponatur, sed tantummodo ad conservandam veritatem Christianam & pacem publicam, ac defensionem meram, contra vim injustam, naturali, humano & divino jure licitam, tendat.

Huic fœderi *Smalcaldico*, Pontificiis admodum inviso, *ejus occasio-* occasionem ipsi *Pontificii* dederunt in Comitibus Augustanis, quando Cæsar ad edictum illud præceps, quo causam Evangelii, nulla legitima cognitione prævia, penitus jugulabat, & ad constituendam apertam factionem induci se patiebatur.

Tom. V. Alt. pag. 805. a. Sleidan. p. 210. ff. Seckendorf. p. 10. b. seq.

§. CCLVI.

Interea dum *Protestantes Smalcaldicæ* sunt, allatæ sunt eis *Litera Cæ-* litteræ *Cæsaris*, in quibus petebat, ut, cum ex omnibus locis *saris ad* nunciatur, *Turcas* cum ingenti exercitu constituisse invadere *Protestant.* Germaniam, sine mora & exceptione auxilia conferrent. Illi *Smalcaldicæ* majorum exemplo, non recusare se ullum onus aut officium di- *congregatos,* cunt, quod Reipublicæ præstari debeat; sed scire ipsum, in *horumque* quam sententiam *Electo Brandenburgico* verba fecerit *Augustæ,* quod tamen ipse postea mitigavit: quid etiam de fisco tum *responsio.* decretum sit, ac se quidem & tunc vehementer orasse, ut actionem omnem fiscalem, quæ religionis nomine moveri possit, autoritate sua tolleret, cumque nihil impetrassent, nuper idem denuo per literas legatosque flagitasse, nullum autem responsum

sum tulisse, nisi quod *Fridericus Palatinus* ipsorum Legatis dixit, non esse, quod longius progrediantur, aut exspectent, consideraturum enim se, quid suo tempore oporteat responderi: id sibi quidem præter expectationem tunc accidisse, & nihilominus putasse, responsum aliquod tandem secuturum. Cum vero nunc de conferendis in Turcam consiliis sollicitentur, nec tamen pacem adhuc impetrent, facile intelligi, quam non sit ipsis consultum, ut in dubio hoc rerum suarum statu, ubi & proscriptio & vis hostilis metuenda, præsidia sibi detrahant, & nervos quasi incidant ipsi. Quare denuo iterumque se orare, ut tandem aliquid statuatur, & fisco actione omni adversum se interdicit, usque ad Concilii tempus, & pacem securitatemque sibi præstet: se facturos invicem, non solum in Turcico bello, sed etiam in omnibus aliis ad Rempubl. spectantibus rebus, quod sui sit officii.

Sleidan. L. VIII. pag. 211. 212.

§. CCLVII.

*Respondent
Protestan-
tibus hu-
maniter
Rex Gallie*

Ad Nostrorum literas, quas ad declinandas calumnias, quibus adversarii causam Evangelii gravare & passim in summum odium adducere nitebantur, è conventu Smalcaldico miserunt ad Regem Gallie & Anglie, uterque Rex humaniter respondet, ac ille quidem d. XXI. Aprilis, significans, nil se optare vehementius, quam totius Europæ concordiam, sibi que pergratum esse, quod ipsi etiam eo propendeant, quodque concilium cogi cupiant, utile pariter ac necessarium, si liberum sit, & affectibus nil detur. Gratulatur ergo eis de pari affectu, & Spiritus S. auxilium pro successu felici precatur. Calumnias locum apud se habuisse negat, adversus viros, quibuscum vetus necessitudo sibi intercedat, eaque amicitia & fides à majoribus semper servata sit, ut, ingruente licet inter Cæsares & Gallie Reges bello, Gallia tamen semper amicissimum Principum ac civium Germanorum domicilium fuerit. Pollicetur demum, se ipso-

ipforum causa; quodcumque res ita dabit, multo majora facturum, præsertim, si, quod profitentur, pii liberique concilii decreta non repudient.

Hic vero (Angliæ Rex) III. Maji rescripsit, se magna cum *et Anglia.* voluptate legisse, quod eo spectent, ut salva & illibata maneat religio orthodoxa, bonumque pacis publicæ servetur, abusus vero Ecclesiæ corrigantur, & vel nequitia vel ignoratione hominum depravata, pristinae sinceritati restituantur. Gratum quoque sibi esse, quod totam actionem commemoraverint, & famam iniquam, cui equidem fidem non habuerit, cum judicasset, id genus crimina non posse cadere in tantæ nobilitatis prudentiæque viros, purgaverint. De illis igitur omnia se recte sperare, nec esse quicquam, quod eorum causa non velit; intercessurum etiam apud Cæsarem diligenter, ut concordia rationes inveniantur. Modo caveant illicitam rerum mutationem & contentum Magistratus, & emendationi studeant, sicque vulnera curent, ut nihil exasperent. Deum denique precatur, ut Principum animos eo flectat, ut Concilium generale procurent.

Sleidan. pag. 213. seq. Seckendorf. pag. 14.

§. CCLVIII.

Quod de paranda defensione in Conventu Smalcaldicæ *Conventus* proponeretur, civitates ita receperunt, ut in proximo conven- *Frankfurti* tu Francofurtensi plane respondeant, quid velint, ille autem *institutus.* d. IV. Junii indictus est, quo cum ventum esset, Legati civitatum sententiam de Regis Romanorum creatione exponebant, visumque post multam deliberationem fuit, electionem illam in medio relinquere, nec litem non necessariam intempestive movere. Si vero *Ferdinandus* aliquid mandet, verbo Dei contrarium, se non parituros: si vim faciat, tum ex formula fœderis facturos, & ad defensionem omnia sua collaturos esse. Interim Principes ad Cæsarem & Ferdinandum scribunt, esse

contra, morem libertatemque actum Imperii, non se posse illud approbare, nec titulum Regis Romanorum ipsi tribuere. Hoc etiam in literis ad Carolum addebat Saxo, quod si legitime res tractetur, non se dissimilem futurum à suis majoribus.

*Helvetii in
fœdus non
admissi.*

Cæterum cum civitates valde cuperent, ut *Helvetii* in societatem fœderis reciperentur, & Hassorum Princeps summa diligentia per literas ad Electorem Sax. scriptas, toto pene Mense Aprili & Majo, id ageret, Elector Legatis suis mandaverat, ne societatem cum iis ineant, nisi prius confessi essent, verum corpus & sanguinem Christi præsentia esse in S. Coena. Non se quidem latere, quanti sit eorum conjunctio, propter vires atque potentiam, sed eo sibi minime respiciendum esse, ne tristis inde exitus sequatur, quod iis accidisse Scriptura testetur, qui muniendi sui causa præsidiiis quibuscunque usi fuissent. Hoc itaque obstaculo, ut pulchre pieque *Seckendorffius* observavit, etiam tunc impedita fuit illa societas, quod divinæ providentiæ *Melanchthon* & alii tribuerunt, qui verebantur, si fœdus illud coalesceret, fore, ut fiducia virium humanarum, præcipitanter & insolenter in reformanda religione procederetur, nec parum *Landgravii* vehementiam metuebant.

Moguntinus & Palatin. intercedunt pro pace.

Hoc durante conventu, literæ allatæ sunt Electoris Saxon. & Landgravii Hassiæ, ad cæterorum Principum civitatumque legatos, quibus nunciabatur, *Moguntinum Archiepiscopum & Palatinum Principem Ludovicum*, permissu Cæsaris velle intercedere ad pacem à Cæsare obtinendam, & datis ad se literis, petere, ut idem ipsi permittant quoque: tunc enim diem esse dicturos conventui. Re deliberata, legati placere sibi respondent. Cum igitur *Saxo* atque *Landgravius* renunciaissent, actionem sibi non improbari, si modo fiscus interea Cameralis quiescat: illi cum hoc tandem impetrassent à Cæsare, diem constituunt. Pœnituerat enim Cæsarem rigoris, quem extimulatus à Legato Pontificio & aliis fervidioribus Principibus Germaniæ, in
Comi-

Comitiis Augustanis ostenderat contra Protestantes, & Belgarum suorum invidiam contraxerat, quod intempestivo illo zelo tot Principes à se alienasset, & Hungariam Turcarum crudelitati exposuisset. *Discessum* itaque fuit Francofurto d. XI. Junii in hanc sententiam, ut *Spiræ*, uno eodemque modo, omnium Protestantium nomine, actionibus procuratoris fisci Cameralis responderetur. Pecunia quoque ad salaria procuratorum & patronorum causæ collata est: ac literæ legationesque ad Reges Galliæ, Angliæ, aliosque decretæ fuerunt. Circa *ceremonias*, quas Smalcaldiæ uniformiter constituendas judicaverant, nunc consilium mutarunt, sive difficultate rei deterriti, sive, ut allegant, veriti, ne novus veluti Papatus introduceretur, tali constitutione, & cum scandalo infirmorum mutarentur ritus hinc inde jam stabiliti. Rigori quoque A. 1527. Spirensis edicti de *Anabaptistis* capitali supplicio afficiendis, contradictum visumque fuit, non indistincte locum ei dari debere, sed tunc demum, si præter errores dogmaticos, committereat crimina externa.

*Conclusum
conventus
Francof.*

Tom. V. Alt. pag. 805. a. Sleid. pag. 215. Seckendorf. pag. 15. a.

§. CCLIX.

Indictus à Cæsare fuit conventus *Spiræ*, ad Idus Septembris. Interea d. XXII. Augusti *Guilielmus Nassovius & Nuenerius* Comites à Cæsare ad *Saxonem* veniunt, de conciliatione cum eo acturi, eumque persuasuri, ut ad conventum futurum vel ipse veniret, vel filium suum eo mitteret. Elector primo asseveravit, male sibi *Zwinglii & Anabaptistarum* doctrinam imputari, inque Augustana Confessione se ad finem usque D. G. perseveraturum: deinde causas allegavit, cur venire ipse ad Comitiam futura nequeat, ætatem provecam & molestias *Spiræ* ac Augustæ exantlatas, quas iterum subire nolle, cum satis perspiciat ex denegata investitura, & aliis, iratum sibi Cæsarem esse, tamen nullo suo merito.

*Legati Ca-
saris ad Sa-
xon. missi*

Legati Moguntini ac Palatini ad Protestantium Smalcald.

Sub finem Augusti quoque *Legati Moguntini & Palatini* Smalcaldiam veniunt cum Protestantium Legatis acturi de induciis & controversiarum in religione compositione; sed nihil conclusum adeoque negotium totum ad conventum Spirenses dilatum fuit, quem tamen Cæsar in mensem Januarium anni sequentis distulit, & Ratisbonæ haberi voluit, ut Austriæ esset vicinior, ubi bellum Turcicum immineret. Suo & sociorum nomine, initio mensis Octobris, *Saxo & Landgravius ad Moguntinum & Palatinum* scribunt, & ab illis procurari petunt concilium & pacem interea, dum id cogitur, Evangelium profitentibus: pollicentur se de pacis formula agere & admittere velle demonstrationes ex Scripturis contra Confessionis suæ articulos, & Lutherum secum adducere, si de securitate, concionum & ciborum libertate satis caveatur.

Conventus Francof.

Ad XIX. Decembris diem Legati Protestantium denuo Francofurti, de securitate sua in contrarium eventum, (quia non satis fidebant pacis tractatibus,) & proportionem tributorum ad sumtus belli prospecturi. Duces fœderis electi *Jo. Fridericus Sax. Dux, & Philippus, Hassia Landgravius.*

Sleidan, pag. 218. seq. Seckendorff. pag. 15. seq.

§. CCLX.

Concordia tentata cum Helvetiis,

Argentoratis consensum consensu de S. Cæna.

Hoc anno etiam consilia agitata sunt de ineunda concordia inter nostros & Helvetios, qui *Zwinglii* partes sequebantur, cujus doctrina magna invidia laborabat, & Cæsar inducias indulgere Saxoni volebat, nisi prius declarasset, sibi nihil rei cum Helvetiis esse. *Lutherus* etiam, ut ex superius dictis constat, non alia conditione eos aliasque civitates recipi in fœdus Smalcaldicum volebat, nisi de *S. Cæna* nobiscum consentirent. Cum vero *Bucerus*, qui conciliatoris partes sibi sumserat, declarasset, se fateri, Christum non tantum animæ sed etiam signis, pani & vino, vere præsentem esse, cum collegis, *Justo Jona & Melancthone* judicavit, in Epistola, ad *Wenceslaum Lincum*, concordiam

cordiam iniri posse, ac eam in sententiam se nuper ad Argentoratenses scripsisse, an id sincere & aperte profiteantur; hac ratione Sacramento debitum honorem reddi. Deum enim si se signis alliget, ut faciat, iis & cum iis vere adesse. *Bucerum* autem dixisse, se *Luthero* scripsisse, quod cum Collegis suis confessus sit & adhuc confiteatur, Christum pani & ori nostro præsentem esse. Hunc itaque articulum in Concordiæ formula clare exprimi debere. Ad quæstionem vero *quid impii acciperent*, suum iudicium suspendere se, nec aliter habere dicunt, quod respondeant, quam ut *Lutherus* alibi scripsit, non absurdum esse, statuere, corpus Christi, præsens in signis, ore impiorum tangi, cum passus sit Dominus à diabolo se non tangi tantummodo, sed etiam in templum & montem raptari &c. Argentinenses interea, cum reliquis tribus civitatibus, quæ peculiarem in Comitibus Augusti confessionem obtulerant, relicta *Zwvngliana*, & alia quavis, ad nostros accesserunt, indignantibus haud parum *Helvetiis*, inter quos bellum illud, quod ante biennium *Tigurini* *Bellum inter Bernates* erant facturi quinque pagicis, *Lucernensibus & lociis, ter Helvetios.* aliarum interventu civitatum pacatum fuerat, recrudit atque ita exarsit, ut prælio confligerent, in quo *Tigurini & Bernates* tertia vice cæsi fugatique sunt, & *Zwvnglius* ipse, veteri more copias comitans, nec armorum expertus, d. XI. Octobris occubuit, in cuius corpus exanime valde sævitum fuit, & vix etiam morte odii acerbitas exaturari potuit. Decessit etiam Calendis Decembris *Oecolampadius* Basileæ, ex obitu *Zwvnglii*, cui conjunctissimus erat, maximo dolore & morbo contracto. Utriusque mors variis sermonibus ansam dedit, & *Lutherus* de eorum fati haud benigne iudicavit, speciatim de *Zwvnglii* beatitudine dubitavit, si in sententia mortuus sit, quam in *Christiana fidei expositione ad Christianum Regem* paulo ante obitum scripta, expressit.

Tom. V. Alt. pag. 568. a, b. pag. 805. b. Tom. VIII. pag. 345. b. 346. a. Sleidan. pag. 220. ff. Seckendorf. pag. 17. b.

Incrementa reformationis apud Lubecenses, Ex iis, quæ hucusque retulimus, parum spei concipi posse videtur de Reformationis progressu; quia edicti Augustani fulmen imminabat Evangelii confessoribus, & deterrere poterat multos ab ejus amplexu; sed, quæ Dei est singularis gratia, potentia & sapientia, haud spernenda habuit incrementa doctrinæ Evangelicæ semen. *Lubecenses* enim eo in studio veritatis, progressi sunt, quo cœperunt superiore anno, nec edictis Cæsareis, nec Senatorum quorundam ex urbe discessu deterriti & *Bugenhagium*, intercedentibus apud Electorem *Friderico Dania Rege*, & *Hassia Landgravio*, per annum adhuc retinuerunt.

Ulmenses, *Ulmenses* etiam in Reformatione cœpta ulterius processerunt, & ad institutam publice disputationem, pastores & monachos ex urbe agtoque d. V. VI. & VII. Junii citarunt; nemo tamen ex CXXX. nisi duo contradicere ausi sunt, nempe *D. Georg. Ofwaldus*, Geislingensium Pastor, & Prior Dominican. in urbe *Collinus*, sed admodum tamen jejune. Unde Senatus acta typis vulgari, & ad CVII. Principes, proceres, & civitates Imperii mitti curavit. Quæ quidem reformatio, observante *Seckendorffio*, non adeo pertinere videtur ad Lutheranismi historiam, cum ad eam adhibiti quoque sint viri Zvingliani addicti, vel ab iis non valde alieni, *Oecolampadius*, *Bucerus*, *Blaurerus*, *Frechtus*; postea tamen Anno 1536. *Frechtus* Ulmam vocatus, Concordiæ inter *Lutherum* & *Bucerum* aliosque de S. Cœnæ initæ, accessit, eamque constanter servavit & propagavit. *Augusta* porro, liberata post Cæsaris discessum civitate, redierunt, qui metu aufugerant concionatores, *Jo. Frosch*, *Steph. Agricola*, & *Urban. Rhegius*, nec non *Mich. Cellarius*, Zvingliani dogmatis assertor fervidus, cujus partes tuebantur *Musculus*, *Seb. Meier*, *Theobald. Niger*, *Lycosthenes*, & *Ulma* eo venientes, *Bucerus* & *Oecolampadius*, & habito colloquio Zvingliani applausum fuit, & *Regius*, *Agricola*, *Frosch* denuo urbe excedere coacti sunt. *Henricus*, Saxo-

Augusta varia fors.

Saxoniz Dux, ab Evangelio non alienus, ad Electorem venit, qui Lutherum literis evocavit, ut cum eo de religione colloqueretur: nec res successu caruit. *Barnimus*, Dux Pomeraniz, mortuo jam fratre *Georgio*, liberius ad reformationem progressus, societatem nostris in Francofurtensi conventu obtulit. *Georgius*, Marchio Brandenburg. etli Smalcaldico foederi non accederet, pollicitus tamen est, se servaturum unionem, quam vocant, hereditariam, inter suam, & Saxoniam Hassiacamque domum, quam pro mutua defensione sufficere credebat. Apparet etiam ex *Landgravii* literis d. XX. Maji, spem fuisse, ut *Duces Geldria & Clivia* ad nostros accederent, eorumque foedus ambirent, quia de injuriis Cæsaris adversus se querebantur. Frustranea tamen ea spes fuit.

Seckendorff. pag. 15. & 18. a, b.

§. CCLXII.

Ita nec Edicti Cæsarei severitas, nec persecutionis gravitas impedire potuit Evangelii cursum. *Persecutiones Evangeliz* Procedebant enim rigida iudicii Cameralis adversus Evangelicos mandata, ex Edicti formula, nominatim contra *Ernestum* Luneburgicum, sollicitante *Abbate Marienrodensi*, prope Hildesiam, & *Magdeburgenses*, quibus litem intentabant Archiepiscopus & Canonici. Vim quoque publicam hoc anno, ex Romanæ religionis zelo, contra *Legatos Norimbergenses & Ulmenses*, Smalcaldia redeuntes, ubi cum *Moguntino & Palatino* de pace tractabatur, exercere ausi sunt *Paulus Fuchs*, *Sigfridus* & *Christophorus Truchsessii*, equites Franci, eos enim adorti in itinere, haud procul Bambergæ, quosdam ex comitatu confoderunt. In *Belgio, Gallia & Anglia*, non pauca sævitiz exempla in Protestantes edita fuerunt. Tamen enim Regina Hungariz, vidua, *Maria*, quæ antehac doctrinæ Evangel. impense favit, & cui Lutherus aliquot Psalmos consolatorios dedicavit, post obitum *Margaretha*, Caroli Imperatoris, sororis, Belgii regimen accepisset, & spes

spes concipi potuisset, eam nil gravius contra Evangelium consulturam; ea tamen simulac in Belgium venit, veterem religionem reassumfit.

Tom. V. Alt. pag. 805. a. Seckendorf. pag. 18. b.

§. CCLXIII.

*Scripta Lu-
theri præci-
pua.*

De scriptis *Lutheri* hoc anno pauca commemorari possunt, quia non adeo multa edidit, occupatus concionibus habendis pro *Bugenhagio*, Lubecam profecto, ad ordinandum ibi ministerium Evangelicum. Sermones itaque habuit frequentes Joh. VI. VII. VIII. & Matth. V. VI. VII. super sermonem Domini in Monte, in quorum, cum deinceps anno sequenti publicarentur, præfatione queritur de Satanæ astutia & corrupendi studio, quod, cum Christus Cap. V. verum legis sensum tradiderit, & Pharisaicas traditiones refutaverit, plures errores fecerit sparseritque inter Pontificios, qui negaverint Christum præcepta dare & explicare, sed pro iis *XII. Consilia Evangelica* substituerint & finxerint. Invehitur autem cum primis contra Juristas, Sophistas & Canonistas, nec non Anabaptistas. Conciones alias de *passione* seu *cruce ferenda*, de *historia apparitionis Christi Mariae Magdalene facta*, de *Angelis* &c. item præfationes & Epistolas recensere super sedemus, & ad Indicem remittimus.

Tom. V. Alt. pag. 615 -- 804. p. 806 -- 935. &c. Conf. Seckend. p. 17.

§. CCLXIV.

*An. 1532.
Pacificatio
Suinfurti
tentata,*

Quæ religionis facies Anno M. D. XXXII. fuerit, nunc ordine dispiciendum est. Cæsar initio mensis Januarii Ratisbonam petebat, ubi comitia ad d. VI. indicta & Spira eo translata erant. Moguntiaë autem ab Archiepiscopo & Palatino de pace denuo interpellatus, iis negotium dedit, ut cum Electore Sax. & sociis agerent. Missis ergo ultro citroque literis, *Suinfurti* conventus, ineunte Aprili, instituitur, ubi Principes Intercessores, ex præscripto *Cæsaris* hæc mandata proponunt, *ut Protestantes præter A. C. nil deceant, nil innovent, aut evulgent, usque*

que

que ad Concilii tempus, ita tamen, ut cum Zvvinglianis & Anabaptistis nihil habeant commune: ne per occasionem religionis, alterius ditionis homines ad se pertrahant, aut in suam tutelam recipiant: ne quem suorum extra sua ditionis fines docere patiantur: ut ab omni temperetur contumelia: ne jurisdictionem, ritus atque ceremonias Ecclesiasticas interpellent: ut opem adversus Turcam ferant, & decretis obtemperent, quae ad Rem publicam & administrationem Imperii pertinent: ut Caesari ac Romanorum Regi pareant, & si quod foedus contra Caesarem, Regem, aut diversa religionis ordines fecerint, aboleant. Gravissimum impedimentum pacificationi attulit illud postulatum, ut Regi Romanorum Saxo sociique pareant, qui, ut & Bavariae Duces, cum Rege Galliae foedus Germaniae libertatis tuendae causa, ineuntes, hucusque resistebant, gravissimis induci rationibus. Lutherus consultus, pacificationem suavit multo argumentis, & propter Deum rogavit, ut electionem Ferdinandi Regis non amplius impugnent, satisfacisse Electorem suo officio, quod contra Auream Bullam factum ostenderit. Circa religionem praeter alia id difficultatem habuit, quod intercessores urgebant, ut foederati causam a Zvvinglianis & Anabaptistis separarent, ita futurum sperantes, ut multae ex civitatibus foedere exciderent; sed elisa ex parte haec machina erat, quando, ut supra dictum est, Argentineneses aliique Saxonici de S. Coena adstipulati sunt. Evangelici quoque professi sunt, se nec Zvvinglianis nec Anabaptistis patrocinaturos, nisi erroribus suis nuncium mitterent. Haec & alia talia, ad Caesarem Ratisbonae comitia celebrantem, perferuntur, eoque volente conventus alius. Norimbergae indicitur ad III. d. Junii, ibique d. XXIII. Julii pax Norimberga publica sancitur & stabilis inter omnes Status Imperii Germanicae nationis, Ecclesiasticos & seculares, usque ad generale, Christianum & liberum concilium, aut, si nullum fiat, tantisper, donec per Imperii ordines alia inventa fuerit ratio diffidium hoc perfecta.

sanandi. Ita quidem ut intra hoc tempus nemo, propter religionis aut ullam aliam causam, alteri bellum inferat, indicat, ipsumque spoliet, capiat, invadat aut obsideat, neque ad hæc facienda per se vel per alium cuiquam inserviat, arces, urbes, oppida, castella, pagos, villas vel prædia in filiis occupet, vel contra voluntatem alterius violenter eripiat, dolove malo, incendiis vel alia ratione alteri damnum det, neque ullis istiusmodi machinatoribus, consilio, auxilio, vel alio modo opem ferat, neque eos sciens & intelligens hospitio excipiat, victum, potum, aut receptum præbeat aut toleret, sed unusquisque alterum vera amicitia & Christiano amore complectatur. Promittebat in super Cæsar, se omni studio procuraturum, ut *Concilium intra dimidium annum denunciatur, & intra annum inchoetur*. Communicabat etiam cum Principibus catholicis capita legationis Romam missæ de concilii celebratione: hoc addito, per magnas adhuc restare difficultates, de modo & loco, de quibus nondum conveniat; daturum tamen operam, ut Pontifex illud indicat ante diem præstitutam, & sperare, eum haud defuturum. Reipubl. suoque officio; secus autem si eveniat, alium Ordinum conventum investigandis huic rei remediis denunciaturum.

Tom. V. Alt. pag. 1016. -- 1027. Sleid. pag. 222. ff. Suav. pag. 54. Seck. pag. 19. 21.

§. CCLXV.

*Varia hominum
judicia de libertate
Reliq. à Cæsare
Protestantibus
data, è P. Suavi.*

Hæc prima fuit religionis libertas, Confessionis Augustanæ sociis publico Comitiorum decreto concessa: de qua varia tuisse hominum judicia, P. Suavis observat, cujus verbis omnia enarrabo. Roma crimini dabatur Imperatori, quod in alienam messem falcem immisisset; cumque omnes Principes arctissimis contracti teneantur censurarum vinculis, ad extirpandos eos, quos Romani Pontifices jam damnarunt, imo ad vitam & fortunas, in eo officii genere, si res id exigat, collocandas; Imperator vero præ aliis hoc magis, quo in religionis tutelam jusjurandi concipit solemnitus:

Caro-

Carolus tamen Caesar, inaudito exemplo, spreta sacramenti sui religione, caelestem vindictam in caput suum accersere ausus sit. Alii pietatem & prudentiam Imperatoris laudabant, qui alia omnia posthabuisset ei periculo, quod nomini Christiano impendebat ab armis Turcicis, cum fide in Christum ex diametro pugnantis. Quibus ille se imparem sentiens, maluit Protestantes, etiam Christianos, & ceremoniis quibusdam, differentia certe tolerabili tantum discrepantes, pace constituta sibi adungere, quam offensionibus à tergo relictis in hostem ducere. Illud enim axioma Romæ adeo decantatum, tam hæreticos quam infideles prius armis esse persequendos, augendo Pontificis dominio forsitan esse accommodum, sed Christianæ rei amplificandæ haud quaquam esse opportunum. Alii nulla habita Turcarum ratione dicebant, Principatus & regna legibus ac institutis Sacerdotum, præ ceteris mortalibus ambitione & emolumentis occætorum, minime esse administranda: sed ad utilitatis publicæ rationem, quæ suadet defectus quosdam interdum esse tolerandos. Principibus omnibus Christianis ex officio paricula ac studio incumbendum, ut ipsorum subditi veram fidem amplectantur, ac ut Dei præceptis pareant; atque in hoc, non magis quam in illud animum intendant. Atqui in republica, si vitium aliquod sine excidio status publici extirpari non potest, esse quidem divinæ Majestati non ingratum, ut id toleretur: neque majorem puniendis hæreticis, quam scortatoribus impositam obligationem. Quod si quietis publicæ causa hi tolerantur, nihilominus tolerabiles esse eos, qui non easdem nobiscum opiniones tuentur. Et quamquam non est facile adducere in medium exempla Principum, qui ab octingentis circiter annis eam rationem inierint, superiorum tamen temporum annales replicanti facile appariturum, non factum modo, sed laudabiliter, necessitate eo adigente, effectum. Si Carolus, post tentata undecim annorum omnis generis remedia, componendis religionis dissidiis, nullum reportavit operæ navatæ pretium; an vitio ei esset vertendum, si interea, dum expectat

salutarem medendo ei malo concilii opem, Germania pacem dederit, ne fatalem ipsius casum aspiceret? Non esse in proclivi, ut alienum Principatum administret alius ab ipso Principe, qui solus status sui necessitates omnes intelligit. Quisquis enim statum suum gubernaverit, aliorum Principum res rationesque secutus, hunc eundem facile deperditurum, neque sperandum, feliciori ut eventu Germania ad Romanorum nutum administretur, quam si Roma ad voluntatem Germanorum regeretur. - Id enim quaeritur, utrum æquius sit unamquamque regionem Christiani orbis, pro necessitatis utilitatisque suæ ratione administrari, an vero unius se civitatis libidini mancipare, cujus commoditatibus procurandis alias omnes exhauriri, vastarique necesse sit. Ex iis, qua proxime sequuta sunt temporibus, tanquam illustribus documentis, satis fuit, eritque perpetuo testatum, consilium hoc Imperatoris, legibus divinis & humanis fuisse consentaneum. Et quamvis ea res Pontificis cogitationes vehementer conturbavit: ille tamen pro summa sua in rebus civilibus prudentia, facile perspexit, nullam subesse justam de Casare conquerendi causam. Verum, quod fines ipsis longe essent diversi, neque eodem compendia utriusque spectarent, animo à Casare cæpit esse aversiore.

sontra Pallavicinum.

Non placent hæc Pallavicino, unde pro more suo Venetum refutare aggressus est, sed solo hoc fundamento ficulneo nixus, quod necesse sit externum regimen in Ecclesia, & accedere debeat sacri cujusdam Magistratus autoritas, qui varios Christianorum Principatus in eadem religione contineat. Hæc enim ad humanam societatem conservandam faciunt, & necessaria sunt, ad Christi vero regnum, quod spirituale est, non pertinent, & Pontifex, quando potestatem & majestatem ejusmodi affectat, satis prodit desperatam suam causam. Conf. Seckendorffius h. l.

Pet. Suav. pag. 55. seq. Seckendorff. pag. 26.

§. CCLXVI.

Nec nostratibus omnibus placuit illa pacificatio, & à Lu- *Dissensus in-*
thero, eam suadente, omnes fere Legati dissentiebant, ejusque *-er nostra-*
argumenta ante alios impugnabat Cancellarius Hassiacus, Jo- *-tes de paci-*
hannes Feigius à Lichtenau, quemadmodum Jo. Fridericus Dux, *ficatione.*
& Pontanus Electori significarunt. Prolixa igitur & acris dis-
ceptatio de hac quæstione orta & continuata, finitis licet, Co-
mitiis, inter Electorem Filiumque, quæ tamen per arbitros po-
stea utrinque electos, composita fuit. *Seckendorffius* hæc omnia
ex *Archivis* plenius enarravit, & suam tandem episcipin de hac
lite tulit satis judicose & pie, dum observat, certatum fuisse de
gravissima quæstione: *an pax, à Casare oblata, accipi aut recu-*
sari dehuerit, & auxilium denegari ejusdem Reipublicæ Ordini-
bus & civibus ad religionis libertatem & reformationem adspi-
rantibus. Si, inquit, ex eventu judicare licet, potior erat *Land-*
gravii sententia; quod enim ille metuebat, paulo post cogni-
tum est, non bona fide actum esse ab altera parte, idque *Electo-*
ipse fat cito agnovit, ut memorabitur. Nec diu duravit *reftri-*
ctio de non juvandis aliis, sed consensu Electoris plurimi post pa-
cem illam in societatem recepti sunt, qui eandem religionem
profiteri & reformationem moliri cœperant. Cæterum *si ex*
statu istius anni, & ex hypothesi Theologorum rationes exami-
nentur, vix dubitem, *Lutheri & collegarum sententiam reliquis*
preferre. Præsupponit *Lutherus,* ut regulam, ex hypothesi,
quam ex principiis generalibus formaverat, *jus non esse Princi-*
pibus Germania, ut religionem suam & subditorum vi armata
contra Casarem propugnarent; multo igitur minus licere id cre-
debant aliorum causa. Hoc axioma *Hassiaci* aliique ante omnia
in examen vocare, & si possent, rationibus restringere debuif-
sent, ut postea à Jurisconsultis factum est. At illi tantum ex
vinculo & nexu charitatis argumentabantur, *Lutherus* vero non
abs re opponebat, *charitatem exerceri non posse cum læsione of-*

ficii, quod itidem ex charitatis lege deberetur. Hoc autem fieri dicebat, si Principes non solum suffragiis & intercessione, verum vi & armis adversus Cæsarem agerent, ut non sibi solum, sed & aliis religionis libertatem concederet.

Disquirendum igitur hic erat de *jure Cæsaris & Principum*, quæ scilicet & *quanta illius esset majestas*, imprimis circa religionem imperandam aut prohibendam, & Pontificibus ad decreta sua exequenda, manu regia assistendi: deinde *qua summi Imperii parte Principes & Ordines instructi essent*, ut deprehensis *abusibus doctrinæ & morum vitiis in Clero*, pro sua conscientia, sibi & civibus suis, salva de cætero Cæsaris potestate, consulere possent, prout communi consensu in *Comitiis Spirens.* A. 1529. decretum erat, nec injuria dubitabatur, *an Cæsari fas esset illud abolere*. His quæstionibus non satis tunc expensis aut decisis, frustra ex generalioribus argumentis disputatum esse.

Plura alia, notatu haud indigna, brevitatis studio omittere cogor. Hoc ad institutum sufficit, quod *Lutherus* semper in mitiorem partem inclinaverit, nec accusari ab adversariis ulla specie possit, quod vel seditionem vel bellum concitaverit. Tempori inserviendum suavit, ac juris divini humanique principii institit: *quantum in vobis, pacem cum omnibus hominibus habete*, Rom. XII. 18. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Conscientiam, dicebat, *meam nolo precipitare in periculum cadis* aliaque *incommoda*, Christianitati eventura, si ad motus res veniret. *Summum jus, summa injuria*.

Tom. V. Act. pag. 1020. b. seqq. Seckendorf. pag. 21. seq.

§. CCLXVII.

*Providentia
divina ad-
miranda in
pacificat.*

Ante omnia divina providentia hic admiranda est, quæ causam ita rexit, ut Evangelii cursus non impeditetur, licet adversarii omnem lapidem moverint, ut doctrinam puriorem funditus extirparent, & cum id vi perficere nequirent, callidas artes machinarentur. Huc refero, quod in *Recessu Ratisbō-*

na publicato omissi sint in consueta Ordinum recensione, omnes, qui Suinfurti & Norimbergæ cum Electore Moguntino & Palatino pacti erant, & in subscriptione, Civitatum nomine à Senatu Ratisbonensi facta, dicatur, earum nomine subscribi, quæ decretum hoc receperint. Subdole id factum, Papæ Clerique consiliis, haud obscure colligi potuit, & paucis post annis, multorum oribus circumferbantur verba: Cæsari non fuisse jus, ita pacisci. Alius itaque sensus his pactis affingebatur, ac si per inducias istas prohibiti etiam Principes fuissent in reformatione progredi, aut subditis non liceat, eam amplecti. De hac interpretatione etiam agitur in scriptis Henrici Brunsvicensis, & Philippi Hass. Landgr. Similiter multa ex literis & responsis Lutheri, cui Jonas & Bugenhagen assentiebantur, de his aliisque controversiis, Suinfurti & Norimbergæ ventilatis, colligi possunt. Tamen si igitur pax Norimbergensis Lutheranis libertatem conscientiae ad tempus, sive, ut dici solet, per modum provisionis pepererit, aut edictum tantum provisionale fuerit, ut Maimburgius loquitur, si ad terminum respiciamus paci præfinitum, Concilium, vel alium Imperii conventum, à Cæsare instituendum, quod secretum Pallavicinus prodidit, dum Pontifici à Cæsare pro solatio significatum esse notat, fore, ut, si arcta tempora cessarent, Protestantes ad servanda priora edicta, utpote nondum extincta, sed saltem sopita, adigerentur: profuit tamen nostris, & vel spatium deliberandi indulsit, de securitate prospiciendi. Nam Pontifex omnibus suis & legatorum artibus impedire illam pacem non potuit. Recte ergo sensit Lutherus, pacem tum à Cæsare oblatam grato erga Dominum Deum nostrum animo accipiendam esse, *der uns so gnädiglich grüßet* qui nos tam clementer respiciat.

Tom. V. Alt. pag. 103. a. Seckendorf. p. 24. a. 25. b.

§. CCLXVIII.

Cæsar igitur, ut à Protestantibus auxilia contra Turcas im- Cæsar vicie
petra-

petra-

*Twice, in
Italiam ten-
dit, fœdus
cum Papa
renovatur, &
concilium
urget.*

petraret, pacem utcumque constituit & feliciter pugnavit, ho-
stesque partim in fugam coniecit, partim trucidavit; victoriam
tamen, ut poterat, & multis judicantibus, debebat, non est pro-
secutus, cujus culpæ magna pars Pontifici tribuenda est; ejus
enim copiæ, cum reliquias belli conficere & hostes persequi
debuissent, seditione facta, Italiam repererunt, hostiliter in di-
tione Austriaca incendiis grassatæ, sic vindicare se dicentes,
quæ Germani in Italia ante aliquot annos patrassent. Cæsar
quoque, neglecta totius Hungariæ recuperandæ spe, in *Italiam*
profectus est, inde in *Hispaniam* ad conjugem iturus. Cum Pon-
tifice autem in colloquium venire volebat, nec Pontifex id re-
cusabat, & ut erat summus simulandi artifex, *Bononiam* usque
obviam ei processit, ne Cæsar Hispanorum copiis stipatus, &
per ditiones Papæ *Neapolim* tendens, potentiam suam ostentaret,
aut firmaret, cui minuendæ omnem operam *Clemens* impende-
bat. Interim multa benevolentia externa signa ex utraque pat-
te data, similitates tamen sublatae non sunt. *Fœdus* quidem, ut
Venetus refert, inter eos *renovatum*, sed Pontificis animo satis-
factum haud erat: tum quod *Carolus* libertatem religionis *Pro-*
testantibus concessisset; tum quod in negotio Concilii inter
eos non convenisset. Imperator, quod à Legato suo anno pro-
xime superiori propositum erat, urget, *Concilium* nempe ejus-
modi, quod malis Germaniæ medeatur; cujusmodi nullum esse
possit, nisi *Protestantes* aliquam ejus conventus partem consti-
tuant. *Pontifex* omnino Concilium detrectabat, sed si ejus con-
vocandi aliqua oboriretur necessitas, petebat, ut *nec extra Ita-*
liam celebraretur, *nec suffragiorum jus aliis, quam iis, quibus*
Pontificio jure competit, tribuatur. Ad voluntatem *Papæ* Impe-
rator haud dubie actiones suas attemperasset, si viam aliquam ad-
invenisset, qua satis fieret *Protestantibus*. Atque ut id Pontifex
persuasum haberet, hoc proposuit, ut ille Nuntium in *German-*
niam, ipse mitteret Legatum, ad formam modumquo difficul-
tari-

ratibus reperendum, cum promisso, Legatum suum omnia ad Nuntii nutum voluntatemque facturum. Accepit Pontifex conditionem, licet omnino non placeret; hoc animo fixum tenens, quando officium hoc ab utroque ministro susceptum non succedat, & *Carolus* id studere pergat, ut Germanis satis fiat, tum se per Regem *Gallia* firmiter sibi devinctum, curaturum, ut Imperatoris desideriis remora semper aliqua obijciatur. Facile quoque intelligebat, *Cæsarem* renovasse secum, & cum cæteris *Italiae* dynastis, fœdus, in sesquiannum verbo quidem, pro tuenda *Italiae* pace, revera autem, ne *Gallis* pateret aditus. Unde reclamabant fortiter Legati Regis *Gallia*; Papa vero artem arte delusus, monebat, ut remissius agerent, tacite significans non fore diuturnum; cupiebat enim Pontifex magnis *Hispanorum* copiis, quas *Cæsar* secum adducebat, liberari; itaque temporis obsecutus, fœdus probabat.

Sleidan. pag. 229. Suav. pag. 56. Seckendorf. pag. 30.

§. CCLXIX.

Moritur interea Elector *Johannes* d. XVI. Augusti, anno *Johannis El.* ætatis LXIII. Princeps optimus, piissimus, inque agnita veritate mors & constantissimus, de qua servanda & ad posteros propaganda ita constantia in sollicitus fuit, ut biennio ante mortem Testamentum condens, veritate Evangel. verbis egregiis, magnamque pietatem spirantibus, liberos omnes, & nominatim filium primogenitum *Jo. Fridericum*, adhortatus est, ut, quemadmodum jam laudabiliter cœpisset, ad parentis patrique exemplum, spretis omnibus periculis, in religione constans perseveraret. Tanto flagrabat sacrarum literarum amore, ut sæpe singulis diebus eas prælegi sibi per pueros nobiles per sex horas curaret, & conciones fere ad verbum in pugillares exciperet. Lutherus duas habuit conciones funebres, quibus non magnificentius quam vertus eum laudavit. Insulsum ergo figmentum est, & crassum mendacium adversariorum, qui sparserunt rumorem, ac si Elector in ipso mortis articulo Filium

successorem ad se vocasset (qui tamen aberat, ita ut *Lutherus* ad Electorem cum *Philippo* vocatus doleret, quod neque filii, neque ullus ex consanguineis adessent) eumque commonefecisset, ut ad veterem religionem rediret, & dein præsente filio aliisque *Lutheri* dogmata revocasset, omniaque Sacramenta, etiam unctio- nis, prævia confessione, ex veteri ritu suscepisset.

Post annos bene multos literæ quoque ab Electore ad Duces *Bavariæ* scriptæ subornatæ sunt, quibus significabatur, defunctum Electorem publico edicto omnes innovationes in religione sustulisse, *Lutherum* ejusque sectatores tolerari vetuisse, testamento denique solenni filio hæredi injunxisse, ut, priusquam homagium à subditis acciperet, hanc voluntatem paternam exequeretur. Primi divulgatores hujus epistolæ fuisse dicuntur *Johannes Naso*, *Suffraganeus Brixinensis*, & *Andreas Fabricius*: quos secuti sunt anonymi aut personati, *Scioppius* aut *Kellerus*, sub nomine *Ungerdorffii*, aliique. Eos primus refutavit *Georgius Zamannus*, *Jodocum Keddium*, *Jo. Musæus*, *Klipnizium*, *D. Alberti*, *G. W. Jesuitam D. Hieronymus Brucknerus*, ac tandem *Seckendorffius*.

Tom. V. Alt. p. 972. b. -- 983. pag. 1282. Colloq. mens. pag. 746. b. nov. edit. sed vet. p. 345. b. Seckendorff. p. 30. seq.

§. CCLXX.

Vaticinium

Lutheri post
obitum *Jo-*
hannis Electo-

Non possum non huc referre vaticinium *Lutheri*, Mense Augusto, postquam Elector *Johannes* ex hac vita decesserat, editum. Reges Principesque Deus aestimat, sicut pueri chartas *lutharias*, sed aliter moritur princeps, quam rusticus, & tamen utri- que omnes moriuntur. Cum Duce *Friderico* sapientia, cum Duce *Johanne* pietas obiit, & in posterum Nobiles regnabunt, sublata sapientia & pietate. Norunt *Johannem Fridericum* suo sensu *niri* (einen eigenen Sinn hat) & parum curare literas: hoc ipsis placeat. Satis habet prudentia, sed satis etiam proprii sensus; & Nobiles animi satis ei inspirabunt. Si dimidium sapientia patrum, & pietate

pietatis paterna haberet, facile quoque ei dimidium sensus proprii indulgerem, & optima quaque optarem. Deus superbiam ferre nequit, (cujus nullam unquam notam in Johanne deprehendere se posse Lutherus in Conc. funebri dixit) & malum punit, nec potest aliter. F. pœnam subire debet (muß erhalten) Dania & Venetia jam luunt pœnas. Nobilitas Franconia similiter sustinuit judicium. Si vero iisdem judiciis Nobilitatem Misnicam involutam viderem, male profecto haberet, sunt enim prudentes &c. Rustici & Nobiles Evangelium melius norunt quam S. Paulus aut D. M. Lutherus: prudentissimi sunt ac meliores sibi videntur, quam omnes ipsorum Pastores. Si pastores contemnunt, majorem Dominum contemnunt, qui eos iterum contemnet & feriet, ut sentiant.

Nobiles volunt regnare, & non possunt, neque intelligunt. Papa bene intelligit, & etiam scit regnare, unus minimus Papiſtarum plus scit regnare, quam decem Nobiles in nostra aula. Unam conscientiam erigere plus est, quam centum habere regna &c.

Sic geben uns schuld / nos sumus everfores & perturbatores rerum publicarum, sic thun uns unrecht. Videant autem, ne ipsis sint Prophetæ? licet non libenter videmus, sic Judæi quoque dicebant: si dimittimus hunc, venient Romani, aber da sie Christum todt schlügen / kamen sie nicht? Sic nos erimus perturbatores Germaniæ & everfores, quando nos ablati fuerimus, ipsi enim sic volunt habere.

Zuncter Scharrhans würde nicht so stolz seyn / si non audissent, Magistratum à Deo esse, & à nobis didicerint hæc, & tamen nos persequuntur. Nun werden sie uns vertreiben / so werden sie auch nicht lange bleiben.

Tom. V. Alt. pag. 1030. b. 1031. a.

§. CCLXXI

Cum inciderim in vaticinium sive præſagium Lutheri, Lutheri præſagium non potui non sequens etiam adducere, quia facere non nihil

LII 2

mihî morbo suo

valetudine
recuperan-
da.

michi videtur ad historiam reformationis. Mense Januar. præsentiebat aliquid & veluti divinabat de sua futura ægritudine *Lutherus*, quæ etiam secuta fuit. Statim igitur vocari iussit *Melanchthonem* & *M. Rorarium*, ut haberet, cum quibus colloqueretur, & quos confabulantes audiret. Hi cum forte dicerent, si ita moreretur *Lutherus*, magnum scandalum apud *Papistas* secuturum, tum ille confirmato animo dixit: *at egonunc non morior, id certo scio. Deus enim non confirmabit Papisticam abominationem per meam mortem, hoc tempore, post Zvvinglium & Oecolampadium extinctum.* Deus non dabit eis hanc gloriandi occasionem. Satan quidem, si posset, libenter me interficeret, singulis horis urget mea vestigia, sed non fiet, quod ipse vult, sed quod Dominus vult. Cumque medicus diceret, *eum non longe abesse ab apoplexia, & agre evasurum*; respondit *ego non possum credere, quod morbus meus sit naturalis, sed suspectus est mihi Satan, ideo facilius contemno.* Convaluit etiam *D. G.*

Seckendorf. ex vol. MS. pag. 38. b.

§. CCLXXII.

Impedimen-
ta reformat.
apostasia
Wicelii.

Ad impedimenta Reformationis hoc anno refero haud forte abs re *Georgii Wicelii* apostasiam, ex *Hassia*, *Vacha*, oppido ad *Vierram*, oriundi, qui *Lutheri* doctrinam per annos decem professus erat, ac *Niemecca*, haud procul *Witteberga*, etiam docuerat. Defecit autem, ut *Conringius* in præfatione ad viam regiam *Wicelii* iudicavit, opinione ductus, & bonorum operum studium à nostris frigidius justo urgeri, & sine schismate religionem atque *Ecclesiæ òmniopolitav* ad auream illam priscam faciem reduci posse. Venerat etiam anno 1532. in suspicionem doctrinæ *Antitrinitariæ*, quam tum non solum *Michael Servetus* *Hispanus* vulgaverat, sed & quidam *Johannes Campanus*, ex *Juliacensi* regione, qui *Wittembergæ* *Theologiæ* studio operam dederat, defendebat: *Campanus* autem, ho-
spitio

spitio Wicelii Nierneccæ aliquamdiu usus erat. Factum inde, & quod, Erasmi fere ductu, de religionis reformatione judicare inciperet Wicelius, ut Wittembergæ in custodiam, Electoris jussu, daretur; dimissus tamen fuit, postquam jurasset, se ex Saxonia emigraturum esse. Cœpit dein Fuldæ & Moguntia & postea Islebiæ, cujus partem Hoyerus Comes Mansfeldensis, veteri religioni tenacissime adhærens, tenebat, cum ibi receptum invenisset, odiosissimis diffamationibus Lutheranorum non saltem dogmata, sed & mores (ex quibus quicquid imperfectum & culpandum erat, ut testis & delator, petulanter traducebat) impugnare, magno cum plausu Pontificiorum, ex quibus Cochlæus vix satis laudare novit hominem, in historia anno 1532. Aliis tamen minus placebat, ex ipsis Pontificiis, credebantque eum suæ causæ magis obesse, quam prodesse: Verum de eo forte plura suis locis infra.

Tom. V. Alt. pag. 12082. a. Seckendorf. p. 63, a, b.

§. CCLXXIII.

Scripta, quibus Noster *Papatum* hoc anno impugnavit, *Scripta* qua recensere omnia, non vacat. De explicatione ejus Matth. V. *dam* VI. VII. supra nonnulla diximus. Prolixiora excerpta per *therv.* fin- gula capita habes apud *Seckendorffium*. Referam tantum nonnulla ex Concionibus de *armatura spirituali* in Ephes. VI. 10. ff. *ad Ephes. VI.* In iis non procul ab initio monet, cum Christiani in magnis *de spirituali* periculis versentur, ut verbo Dei excitentur & armentur. *Non armatura.* Non enim *satis est*, inquit, *ut verbum & cognitionem habeamus, de fide & vita, sed sollicita opus est cura & diligentia, ut retineamus utrumque,* ne diabolus doctrinam auferat, vel corrumpat &c. Apostolus non vult ejusmodi inanes Christianos, qui nil aliud reportant quam verba & notitiam (*das wissen und waschen*) nec cogitant, quomodo ad vitam vel praxin pietatis deducant, (*wie sie es ins Leben bringen*) Eo autem requiritur fortitudo, quæ est Dei, non mundi, nec carnis & sanguinis. - Ideo dicit

Apostolus: si fortes & invincibiles esse vultis, Christum accipite fortitudinē vestram, eum recte apprehendite, ac vos in eo probe exercete, ut vobis optime sit cognitus, ejusque verbum purum servetis, diligenter discatis, quotidie exerceatis, & cordi ingeratis, ita ut ex Dei verbo & vestro corde unum fiat, & tam certi sitis imo certiores, ac vestræ vitæ propriæ. Hoc si habetis, tum vere fortes & robusti estis, ut securi & immoti persistatis, sive diabolus veniat, sive ejus legati, *Schvvermeri* vel *sectæ Papistice*, quæ aliud docere vel nov: quid proferre volunt. Verum hæc fortitudo rara est in mundo. Quotusquisque enim est, qui ita rem aggreditur, ut *fidei suæ & vitæ tam* certus sit in corde, ut firmissime ea nitatur, & omnia alia contemnat.

Ad *ψ. 11. μεθ' αιδίας* diaboli explicat, & inter eas refert, quando se in Angelum lucis transformat, dum Scripturis utitur contra veritatem Evangelicam, per *Sacramentarios & Pontificios*, ac hos quidem, quando *justitiam fidei per Christum* è Scripturæ dictis de bonis operibus & justitia externa insidiosè se insinuavit, magnam speciem sanctitatis & vitæ spiritualis introduxit, deinceps vi irrupit, torrentis instar, & totum mundum inundavit taleque regimen Papatus erexit, tot cultibus, missis, ordinibus, peregrinationibus, votis instructum. Cavere etiam jubet, ne in uno articulo cedamus, cum diabolus si unum obtineat, ceteros omnes destruere tentet: & periculum, quod ex prætextu concordix & charitatis oritur, si in quibusdam articulis cedatur, ostendit. Ad *ψ. 14. loricam justitiæ* exponit de bona conscientia & inculpata vita, coram mundo, quæ eo inserviat, ut cor nostrum lætius reddatur & firmiter in fide, juxta 2. Pet. I. 10. *Cum in externis* (inquit) *divine vivo coram mundo, & contra quoscunque gloriari possim, certus fio de fide mea*, sicuti de arbore bona per bonos fructus: *sicque fides crescit, ut firma & robusta fiat*. Quod facere non possunt illi, qui palam in peccatis & vitâ impia versantur; hoc enim pulsat, infirmit & impedit fidem,
ut

ut cor ejus talem fiduciam & consolationem concipere nequeat, se habere Deum propitium, sibi que peccata esse remissa, quia iis adhuc immerfus est, nec ab illis desistit. Ideo adhortatur nos Johannes 1. Epist. IV. 17. *ad perfectam charitatem, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Q. d. perfecta & sincera est charitas, quae coram judicio Dei contra diabolum & mundum confidenter gloriari potest, se omnibus bene fecisse, & ita se gessisse, ut testimonium ab omnibus habere & nemo de se quod conqueri possit, habeat. Hic locus merito recenseri inter eos debet, quo calumniæ adversus Lutherum ejusque doctrinam de justificatione per solam fidem, & nominatim *Wicelii*, validissime destrui possunt.

Tom. V. Alt. pag. 985. b. -- 1004. Seckendorf, pag. 36. a.

§. CCLXXIV.

In sermone de glorioso Christi adventu Dom. II. Adventus in Luc. XXI. 25. ff. conqueritur, quod Evangelium indigne in mundo tractetur cum confessoribus suis, idque cor Christianorum penetrare & macerare ait, ut dies noctesque ad Dominum clament, quo tandem finem impio mundo & calamitatibus imponat. Qua occasione enarrat adversariorum insolentiam & audaciam, quam palam ostentaverint adventante ad Comitium Augustana Cæsare, clamantes *Salvator venit!* Noluit autem (ait) *Deus ferre, ut honor suus auferretur.* Salvator, quem speraverant, defecit, *aus dem Zeyland ist ein Seyland worden.* Egregie impegerunt, nec in optimo Cæsare eum invenerunt virum, quem quærebant & optabant.

Conc. de adventu Christi glorioso.

Enarravit quoque hoc anno publice Psalmum II. ubi non procul ab initio ingenue liberaliterque *impedimenta Reformationis* his verbis fatetur: *Nostro tempore successus Evangelii magnus erat; sperabant enim omnes idem quod Apostoli, priusquam per Spiritum S. de hoc regno docerentur, futurum, ut libertatem politicam & tranquillitatem disciplina doctrina hac afferret.*

Enarrat. in Psalm. II. de conditione regni Christi.

ferret.

ferret. Sed ubi cœptum est tumultuari à *Münzere* primum, qui ferebatur seditioso spiritu, deinde à *Carlstadio*, *Cinglio*, & aliis fanaticis Doctoribus Ecclesiæ perturbarentur, ac jam *idea propria hujus regni* cerneretur, nempe in ipsa *Ecclesia turba*, & in *Republica seditiones*, denique in *sanctis summa infirmitas*, & cum, secundum Poëtam, *una hac esset salus, nullam in tot ac tantis periculis undique ingruentibus sperare salutem*, ibi demum plurimi animis fracti resilierunt, & etiam odisse Evangelium cœperunt. Hujus mali quæ causa fuit alia, quam quod *conditiones regni Christi* non nossent? Id enim ejusmodi est, ut undique impetatur à Satana & mundo. Hoc qui non norunt, in periculis cedent, & *Evangelium, tanquam seditiosam doctrinam damnabunt*. Ex his interpretationem accipiunt, quæ aliquando magnificentius de doctrinæ suæ dilatatione, ad suorum solatium, scripserat *Lutherus*; licet enim per se haud exigua esset, & pro singulari & admiranda gratia Dei recognosci merito debeat, ut ex iis, quæ per singulos annos de illius incrementis notavimus, satis abunde constat; apparet tamen, minime cum latuisse, quibus *obstaculis internis & externis negotium illud* subjectum fuerit. Longe majori vero odio suam doctrinam exponi dicit, quam *Hussi*, qui *tantum moralia quadam* reprehenderit, nec *Missæ sacrificium, nec merita, nec alios cultus*, sed saltem *primum Pontificis, venditionem indulgentiarum, purgatorium*, in dubium vocaverit. Interim non adversus se, sed adversus Deum furere statuit adversarios, & perpetuum mundi morem & genium insectatur, qui, licet omnes errores tolerare potuerit, Evangelium tamen semper persecutus sit, quia ab hoc stultitia omnisque pompa & species mundi detegitur & infamatur. Applicat vero adversus hostium insaniam solatium ex Psalmo, & experientiam allegat, quod jam annos fere triginta (à tempore cœptæ reformationis An. 1517. usque ad editam enarrationem hanc A. 1546.) frustra grassati sunt. Improbat etiam *Zwvinglii & Carl-*

& *Carlstadii* innovationes, persuasus, si illis abstinuissent, ut, salva fide & conscientia, potuisse eos existimabat, feliciorum longe reformationis progressum futurum fuisse. *Papa* regnum nihil aliud esse dicit, quam *monstrum diversorum capitum*, præsertim si *Monachi* spectentur, quorum hic *Augustinum*, ille *Franciscum*, tertius *Dominicum*, quartus *Benedictum*, ut putavit, dignum esse, cui nomen daret.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 751. Tom. V. Alt. pag. 1134 -- 1181.

§. CCLXXV.

De impedimentis, Reformationi objectis, vidimus nonnulla, & cætera ex historia colligi possunt. Restat igitur, ut de incrementis quædam addamus, quæ sane non contemnenda fuerunt. In *Principatu Anhaltino*, ubi *Wolfgangus* dimidiam ejus partem tenens, jam A. 1522. Lutherum *Servestam* acciverat, concionantemque audiverat, & August. Confessione subscripserat, hoc anno *Johannes* & *Joachimus*, ejus patruces, hortatu *Georgii* fratris, Præpositi *Magdeburgensis*, *Deßavia* pastorem constituerunt *Nicol. Hausmannum*, à *Luthero* & *Melanchthone* impense commendatum, & puriori religioni adhæserunt, frustra repugnante *Alberto Cardinali*, & aliis magnis Principibus. *Bremæ* quoque in cathedrali Ecclesia, ut Evangelium doceretur, invito licet Senatu cives evicerunt, & introductus fuit Superintendens urbis *Jacobus Præpositus*. In *Westphalia* *Osnabrugenses* ab Episcopo suo, *Francisco*, *Comite Waldeccio*, impetrarunt, ut Augustinæ Confessionis prædicatoribus uterentur, & *Lubeca Hermannum Bonnum* vocarunt. Ex *Lutheri* litteris ad *Annam de Limborch*, Abbatissam *Hervordensem*, d. XXII. April. scriptis, liquet, *Hervordia* quoque ob religionem diffidia esse exorta, ac *Abbatissam* Evangelicæ doctrinæ favisse. *Joachimus* quoque, *Marchio Brandenburg. junior*, *Luthero* favere cœpit, Patre licet in *Papismo* persistente, & quendam ex suis ad eum misit, cum quo de S. communione actum esse, apparet

M m m

ex

ex ejus epistola die Martis post Georgii ad Principem datis. *Henricus*, Angliæ Rex per *Crammerum*, factum postea Archiepiscopum Cantuariensem, egit cum *Friderico* Saxon. ejusque ministris, de religionis causa, & auxilia promisit.

Tom. V. Atl. pag. 1180. a, b. Seckendorf. pag. 40. seq.

§. CCLXXVI.

*A. 1533. Pa-
pe & Casa-
ris litora le-
gationesque
ad Ord. Im-
perii de con-
cilio.*

Anno M. D. XXXIII. ineunte, Pontifex & Cæsar è conventu *Bononiensi* diplomata ad *Ferdinandum* Regem, Electores & Principes German. expediverunt, Legatosque ad eos miserunt, ille quidem *Ugonem Rangonum*, Comitem, Episcopum *Rhegiensem*, hic vero *Lambertum à Briaerde*, *Supremi Senatus Mechliniensis Præsidem*. Elector Saxon. Legatos benigne audivit & tractavit Vinarix, ac Nuncio Pontificio, prolixè *Clementis* benevolam voluntatem de futuro Concilio laudanti, petentique, ut de ejus modo, tempore & loco prius deliberetur, & exponenti capita quædam à Papa notata, ut liberum & universale sit, juxta morem Ecclesiæ veteris consuetum, ejusque decretis à faniore parte approbatis pareatur, & in contumaces animadvertatur, & interea nihil innovetur, locum etiam ex tribus, *Bononia*, *Placentia*, & *Mantua*, quæ sit Imperii civitas, & Germaniæ vicina, unum deligendum proponenti, post breve spatium deliberandi sumptum, respondit: gratum sibi esse, quod *Cæsar* & *Papa* concilium decreverint, in quo causa religionis legitime tractetur, juxta præscriptum verbi divini, seque rogare Deum, ut id largiatur, ac cum sociis omne studium collaturum pollicetur; antea vero quam ad omnia respondeat, ceteros quoque esse consulendos, ac eum in finem jam esse constitutum diem XXIV. Junii, quo *Smalcaldia* conveniant. Eo igitur ubi ventum deliberatumque fuit, ultima die mensis nominati, renunciant per literas, se gratias agere Cæsari pro suscepto labore ad Dei gloriam & Reipubl. salutem, in urgendo Concilio, quod tale semper Protestantes petierint, in quo nec sententia

Ponti-

III M

Pontificis, nec cujusvis alterius vis ac potentia causæ præjudicaret, & ubi non secundum leges Pontificias, aut Scholasticorum opiniones, sed secundum Scripturam S. iudicium fiat. Hoc nisi impetretur, frustra omnem laborem impendi, sicut ex nonnullis ante actis conciliis liqueat, ubi emendatio quidem postulata & instituta, sed Pontificum interpellatione tota mox sublata fuerit: gravissimis igitur de causis Decretum esse factum, ut in Germania Concilium fieret, idque Cæsari placuisse; ista autem Papæ postulata huic scopo proposito plane contraria esse, & pugnare cum Ordinum Imperii petitionibus & Cæsaris promissis. Quantumlibet enim *Concilii* libertatem Pontifex verbis obtendat, certe factis omnes Reges & Principes ita constringere, ut neque vitia reprehendi possint, neque errores emendari; ipse vero Concilii nomine dominationem suam atque potentiam nitatur constabilire. Iniquum esse, quod peritur, ut quis decretis servandis ante sese devinciat, quam intelligat, quo ordine, aut modo, formave sint constituenda. An Papa, penes se, suosque, supremam velit esse decernendi auctoritatem? An ex sacrarum literarum sententia controversias velit dirimi: an veto secundum instituta & traditiones humanas? Captiosum enim videri, quod dicitur, *Concilium ex veteri Ecclesie more* habendum. Nam si vetustus ille mos intelligitur, cum Conciliorum decreta sacris literis erant consentanea, eum morem se non recusare; verum proxime superiorum sæculorum Concilia, in quibus, humanis, Pontificiisque decretis plus æquo deferabatur, à priscis illis differre plurimum. Speciosa quidem obtendi, sed interim libertatem eam, quæ in causa hac necessario requiritur, omnino adimi; nec ita pacificari Ecclesias, aut dubias afflictasque conscientias expediri, sed magis involvi tenebris, & majori servitute constringi. Orare itaque Cæsarem, in id incumbat, quo legitime omnia agantur; hoc enim ipsius officium esse, eique licere legibus, si Pontifex veritatem im-

pugnat: cavendum esse, ne sit & actor ille, vel reus, & simul
 iudex. Populos scilicet omnes attentos, & erectos in Concilii
 spem, votis atque precibus illud flagitare; quæ in mœrorem,
 animique cruciatum vertent, quando spe sua dejectis dabitur
 quidem Concilium, sed cujusmodi nec postulatum fuit, nec pro-
 missum. Non esse dubitandum, quin omnes Imperii Ordines,
 cæterique Reges & Principes, idem secum sentientes, disruptu-
 ri sint ac repudiaturi laqueos & vincula, quibus Pontifex illos
 interstringere, captareque in novo hoc Concilio cogitat, cujus
 unius arbitratui si omnis ea actio permittatur, rem omnem se
 Deo, causæ suæ vindici, commissuros, & quid factu opus sit, si
 id Pontifici concedatur, consideraturos; quod si forte certa &
 legitima cautione interposita citentur, modo videant se ad no-
 minis divini gloriam aliquid posse præstare, fide publica appa-
 rituros: sed ea lege, ut nec Pontificis postulatis, nec Concilio,
 quod ab Ordinum Imperii decretis sit alienum, assensum suum
 commodare velint. Se enim non videre, quomodo hæc Papale
 institutum ad diuturnam Ecclesiæ vel Reipubl. pacem pertine-
 re queat; nec ipsi Pontifici, si modo veri Pastoris officium face-
 re velit, esse decorum, ut hoc modo agat.

Sleidan. p. 229. seqq. P. Suav. p. 56. seqq. Seckendorf. p. 42. seqq.

§. CCLXXVII.

*Defenditur
 hoc Proce-
 stantium
 responsum
 Et detegun-
 tur fraudes
 Papa.*

In hoc Protestantium responso nihil est, quod desiderati
 aut reprehendi possit, cum omnia pie, prudenter & modeste de-
 liberata & conclusa sint. Eamque ob causam non puduit No-
 stros Legatorum propositionem cum responsis suis edere in pu-
 blicum, cum præfatione *Lutheri*, in qua memorat, per multos
 annos commune desiderium & votum fuisse omnium fere pio-
 rum Christianorum, ut tandem Concilium universale & libe-
 rum convocetur, in quo scandala & abusus, qui in omnes pe-
 ne Ecclesias irrepsissent, emendentur, & controversiæ de do-
 gmatibus inde enatæ componantur, & ad Christianam concor-
 diam

diam reducantur. Fuisse quidem, qui putaverint, Concilium hucusque à Pontificibus dilatatum esse, qui non libenter de Ecclesia reformanda audiant, exemplo Concilii Constantiensis deterriti, in quo pronunciatum, quod Concilium sit supra Papam: hancque ob causam Eugenium Pontificem Basileense Concilium nuperum sustulisse & Pisam transtulisse, ut suprematum Papæ super Concilium stabiliret. In ejusmodi etiam conciliis nil aliud decretum, quam quod ad fulciendam Papalem auctoritatem & abusuum corroborationem faceret. Optimum autem Cæsarem Concilium à Clemente impetrasse, certis conditionibus, cui Ordines Imperii assistere par sit, precibus & supplicationibus ad Patrem misericordiarum, & quibuscunque tandem rationibus possint. Eum in finem publicari acta Legatorum & fœderatorum, ut alii pie affecti ad preces excitentur, & concilii desiderium. Quæ Maimburgius & Pallavicinus, Cochlaem secuti, hic ogganniunt, expolit Seckendorffius. Extant Lutheri & Collegarum ejus tria consilia de futuro Concilio, sane modesta, & æqua, quibus primum Articulum Pontificis, ut Concilium sit liberum, & sicut ab initio, more ab Ecclesia recepto, celebretur, subdole & obscure (*büßisch und verrätherisch*) conceptum, pro eo ac par erat, illustrabant & evolvebant, suaque desideria subjungebant. Quam sincere igitur egerit Pallavicinus, scribens Clementis animum sincerum ad convocandum Concilium fuisse, nemini non constat, qui artes ejus probe perspectas habet. Prodit eas aperte P. Snavis, & vere, his verbis: *Protestantes non contenti responsum hoc suum ad Pontificem & Cæsarem mittere, typis etiam mandandum curarunt, una cum postulato Nuncii, quod Pontifex ipse parum prudens, & nimis apertum judicabat.* Itaque quæ sito inde colore, quod ætate esset gravis, & obeundo legati muneri impar, illum revocavit, & ad Paulum Vergerium, Nuncii sui partes apud Ferdinandum Regem tunc temporis agentem, scripsit, eam ut legationem subiret, secundum

dum præscriptam ab ipso formulam; ad id vero inprimis animum adverteret, ne à voluntate sua latum unguem discedat, aut cuiquam temperamento aures præbeat, etiam urgente *Ferdinando* Rege, ne ipsum imprudens in augustias conjiciat, aut necessitatem ei imponat indicendi Concilii, quod utilitatibus Ecclesie, sedisque Apostolicæ tanto opere adversetur.

Tom. IV. Alt. p. 123 -- 133. Suav. p. 58. Seckendorf. p. 46. ff.

§. CCLXXVIII.

Papa cum
Rege Gallie
necessitudi-
nem contra-
bit.

Eadem verlutia cum Cæsare egit Clemens. Cum enim facile prævideret, quid ad sua postulata Germani responsuri essent, & ex suo cum *Carolo V.* Bononiæ colloquio, illi diffidere cœpisset, quod in controversia de Mutina & Rhegio, inter Papam & Ducem Ferrariensem agitata, ad Cæsarem vero tanquam arbitrum compromissa, Cæsar in favorem Ducis pronunciasset, prorsus ab eo abalienatus est, eamque ob causam cum Rege Gallie fœdus iniit, quod matrimonio inter *Henricum*, Regis filium, natu minorem, Principem *Aurelianum*, XV. annorum adolescentem, & *Catharinam Medicæam*, proneptem suam deinceps confirmavit: cujus arctioris necessitudinis gratia Pontifex per Ligusticum mare, autumnali tempore, *Massiliam* profectus est, ibique per mensem & amplius substitit, inque gratiam Regis & procerum, quos Regi charos esse videbat, Cardinales quatuor creavit, Gallos. Quod iter cum Pontifex (notante *Suavi*) ab omnibus reprehendi accepisset, tanquam nullius publici boni causa institutum, sed ad familiam suam solum amplificandam; ille contra susceptum *canſſabatur*, ad persuadendum Regi, ut Concilio faveret, quo *Lutherana hæresis extirparetur*. Quanquam illud satis constat, inter alia inibi tractatum, ut Rex Christianissimus ageret cum *Protestantibus*, inprimis autem cum *Hassie Landgravio*, qui iter in Galliam tunc adornabat, ut à Concilio petendo desisterent, & suo nomine polliceretur iis, si quam aliam conciliandis dissidiis rationem reperirent,

rarent, se & sincere & efficaciter ei rationi promovendæ operam omnem suo tempore commodaturum. Fecit quidem Rex suum diligenter apud *Landgraviū* officium, sed perstitit hic in Concilij necessitate, asseverans, nulla alia, quam unius Concilii via, Germanicæ nationis everisionem & funestissimum in ea bellum civile anteverti posse.

Sleidan. p. 236. seq. P. Suav. p. 58. seq. Seckendorf. pag. 48.

§. CCLXXIX.

Erupit hoc anno in flammam ingentem odium illud inter *Lutheri* a Ducem Saxon. *Georgium* atque *Lutherum*, hac occasione. Quia ^{pologia contra Georgii Duc. accusationes.} *Lutheri* a civibus Lipsiensibus Evangelicis concionibus orbatu erant, singulis diebus Dominicis in vicinum pagum *Holzhausen*, Electoralis ditionis, excurrebant, ibique S. Cœnam sub utraque specie accipiebant. Quod ubi rescivit *Georgius* Dux, severo edicto excursionem ad sacra illa ruralia oppidanis & subditis prohibuit, & contra iis mandavit, ut festo Paschatos Lipsiæ sub una specie communicarent. Illi *Lutherum* & jam ante, & nunc iterum consuluerunt, quid factu opus esset; quibus per epistolam respondit, ut, qui certo statuerent, integram cœnam sub utraque specie sumendam esse, nihil contra conscientiam suam & Deum ipsum agant, sed capitis potius discrimen adeant. *Georgium* Ducem, quia conetur arcana conscientia scrutari, dignum esse, qui fallatur, *tanquam diaboli Apostolus*. Sic ergo confirmati perseverant, deprehensaque ad LXX. cum tesseras reddere non possent, quas Pontificium dogma in confessione & S. Cœnæ participatione sequentes, acceperant & Senatui reddiderant, urbe ejecti à *Georgio* sunt; isque insuper, cum *Lutheri* epistolam ad cives scriptam nactus esset, apud Electorem *Jo. Fridericum* de injuria sibi ab eo illata, & de rebellionem inter ditionis suæ homines excitata, questus est gravissime. Elector ea de re ad *Lutherum* scribit, & poscit ab eo, ut facti rationem reddat, quod is sine mora fecit, edita è vestigio Apologia, in qua i. per-

negat

negat se Principis personam vel dignitatem violasse, multo minus subditos ad seditionem concitasse; imo magna cum confidentia postulat, ut ista contra se probet Dux Georgius: quod si fecerit, se non tantum passurum, sed etiam rogaturum, ut secum tanquam cum sceleratissimo agatur. In litteris vero suis nihil aliud legi, quam quod consuluerit civibus Lips. ut dira potius quævis patiantur, quam utramque speciem contra Christum abnegent. Quod vero 2. *Georgium* vocaverit *Diaboli Apostolum*, id non pertinere ad politicæ ejus dignitatis imminutionem; fateri enim se, quod *Princeps Imperii laudabilis & honestus sit coram mundo*; verum *coram Deo non majoris à se estimari, quam Pilatum, Herodem, aut Judam*. Ita nec Pontifici & Episcopo honorem externum à se auferri, si eos vocet *Synagogam Diaboli*, quia falsa & superstitiosa palam defendant, & veritatem agnitam persequantur. Usus autem ista phrasi de Principe esse, non propter Ducem, cum ejus gratia non scripserit Epistolam, sed ut Lipsiensibus ostenderet, quæ ille adversus Evangelium decerneret, *non ut Principem, sed ut larvam diaboli agere*, ideoque impune ei non obtemperari, & bona conscientia expectari & tolerari, quæ imminerent, & tamen ita pii, fideles & obsequiosi subditi manerent, nec pensi haberent, si eos tanquam immorigeros puniret. Hanc enim Ducis interpretationem esse inanem, cum non resistent ordinariæ ejus potestati & Principali dignitati, sed larvæ ipsius. 3. Alia epistolæ verba, cum dixisset: *oportere Diabolo crucem in faciem impingere*, ad Principem plane non posse trahi, neque corporale aliquid per ea intelligi, quia Diabolus spiritus sit, & spirituali armatura repellendus. Qui aliter verba interpretetur, & seditiosa ea esse dicat, eum odio excecaturum id facere, sive Dux *Georgius* sit, sive alius quicumque; sed neminem quinque sensibus suis pollentem id ausurum. Gratulatur porro sibi, quod pro *cruce* non posuerit *spiritum gladii*, tum enim adversarios tacita voce *spiritus* mox vocabulum *gladii*

dii

dii arrepturos & calumniaturos fuisse, Lutherum seditiosum scribere, gladium esse adhibendum. Si, inquit, *artis esset*, venenate interpretari, & alterius verba malitiose torquere, facile quoque foret mihi, *formulam juramenti*, quam *Georgius Dux* à subditis exegit, ad Romanam Ecclesiam à Lutheranismò deficientibus, quoque eos cogit damnare & persequi *doctrinam Lutheranam*, sic interpretari: *Dux Georgius* ita gladium stringit & bellum indicit Electori, Landgravio, eorumque sociis; talem explicationem scio pronius sequi ex formula juramenti, quam ex meis litteris illius expositionem de seditione. *Ich wolte niche der Wele Gut nehmen / das mein Brief so auffrührisch lautet / als Herkog Georgen auffgelegter Eyd / ich müste des Augenblicks für Leyde sterben.* - Volo autem (per Dei gratiam) æternum vivere & manere in Christo Domino nostro, cum quo me oportet pati innocenter odiosum seditionis nomen; ipse enim tanquam seditiosus crucifixus est, inter duos pendens latrones, & seditiosus titulus adfixus erat: *Rex Judæorum*. Ita solet mundus Evangelium vocare seditiosum. Sane, si quæ gratia incunda esset apud ingratum & damnatum mundum, mihi ea deberetur vel hoc nomine, quod doctrinam de Magistratu Politico, quæ sub Pontificatu Romano in magnis tenebris prorsus jacuit, & pedibus Monachorum sordidorum atque mendicorum calcata fuit, ita illustravi, ut inde ab Apostolorum tempore nullus Doctor, Theologus, aut IUSTUS tam clare & perspicue eam traderit, ac ego. Ridiculum ergo est *Lutherum* appellare seditiosum, libri prostant mei testes, opera & facta adsunt, quod in proxima seditione unus è præcipuis fuerim, qui contra seditiosos scripsit &c. Mox memorat, se facilius vere seditiosos nominare posse, si quis eos videre & audire velit. Superesse enim adhuc libros & sermones, quibus status civiles damnati sint, sicque eos contra se ipsos testari, quod referri debeant inter blasphematores majestatum 2. Pet. II. 1. ff. In fine *Cæsarem* laudat,

dat, & rigori *Georgii* longe præfert, quod per Concilium sopire cupiat schisma, nec unquam seditiosos appellaverit Protestantes eorumve doctrinam damnaverit, edictum etiam illud temerarium (*frevel Urtheil*) Augustæ conditum, ab effectu suspenderit.

Epistola consolat. ad exules Lipsienses.

Huic libello subjunxit epistolam satis prolixam ad exules Lipsienses, qua 1. de mora se illis purgat, eam tamen largiter compensasse Christum, prævenientem se spiritu suo, non dubitat, cum tot ac tanta sint perpeffi propter Evangelium, & se ipsum affirmat eorum factio constanti solatio perfundi, pudoreque suffundi, quod verbis tantum illos soletur. 2. Solatorum argumenta proponit: (α) quod certi sint, Dei donum & opus in illis esse, dum Christum libere confessi, & propter eum multa perpeffi sint, juxta Phil. I. 27--30. (β) Quod pura gaudeant conscientia, nil se pati propter scelera commissa, juxta 1. Pet. IV. 15. 16. Certum etiam esse, quod *Dux Georgius*, eorumque proditores ac persecutores nimium sibi arrogant, Dei officium iudiciumque invadant, quod tamen impune haud sint laturi. Inauditum esse, signa seu symbola distribuere ad probandam confessionem & communionem, præsertim Principem secularem: id ne Pontificem quidem fecisse, qui tamen tyrannice conscientis imperare audeat. (γ) Quod propter articulum de communionem sub utraque proscribantur; intendi autem ab adversariis hoc, ut totam Evangelii doctrinam abrogent, & Papæ abominationes adorent. Magis igitur lætandi quam dolendi causam esse, quod ex ea civitate sint ejecti, in qua Christi abnegatio & persecutio verbi gratiæ de remissione peccatorum præcipitur. Excipere quidem adversarios, quod *non Evangelium, nec Christum, sed Lutheri Evangelium damnent*. Verum respondet, satis constare, quod doctrina, quam amplexi sint, cuique fidem adhibeant, non nostra sit, sed verissimum Dei verbum, Scripturis S. comprehensum. Nihil ergo referre, quid *Georgius* cum suis Evangelium vocet, & qui genuinum Evangelium habeant,

NON

non posse non ejus persecutores pro hostibus Dei, blasphemis, filiis Diaboli, & damnatis habere & iis nominibus appellare. Si Georgius libere & aperte nos blasphemet, aliis quoque, & sibi, utpote Doctori Theologo non contemnendo, quique officio suo Doctorali & Pastoralis tam bene defunctus sit, quam Georgius Principali, licere talionis jure uti; præsertim, cum is non vereatur, Principes, se meliores & majores, & jam tertium Electorem Saxonæ, convitiis proscindere. Unde in memoriam ei revocat Rhetorum Latinorum effatum: *qui, quæ vult, loquitur, quæ non vult, audit.* (d) Quod jam perspiciant *divinum iudicium in Georgium*, in ejus interdicto. Eum enim nunquam persuadere sibi potuisse tantum sui contemptum, dum omni sævitia sua efficere non potuerit, ut Lipsienses cives, quorum octoginta patresfamilias esse audiat, & cum familiis octingentorum hominum numerum constituere, edictis suis paruerint, sed exilium potius elegerint, quam unum apicem ejus furoris & temeritatis contra Christum approbaverint. Narratum sibi esse dicit, quam misere steterint examinatores exulum illorum in curia Lipsiensi, nec rationem ullam pro communiōe mutilata allegare potuerint, quam quod tantundem sub una specie, quam duabus sumatur, quasi hoc ad rem pertineret, & non potius claro Christo instituto & exemplo inhærendum esset. (e) Quod confessi exilio sint publice, se participes haud esse sanguinis innocentis effusi à latronibus Papistis, per duodecim annos. Tametsi enim Georgius nondum, quod sciat, ad sanguinis usque profusionem sævierit, eum tamen in societate sanguinolentorum hominum esse, eorumque causam defendere. Papatum enim non alio nomine appellari posse, quam speluncam latronum, & Papam per sex secula nil fere aliud egisse, quam ut sanguinem funderet, non tantum hæreticorum, quos vocant, sed etiam omnium regionum & hominum in Christianitate, ad impetrandum & confirmandum fictitium & blasphemum nomen,

quod Papa caput supremum sit in terra, in Ecclesiastico & Politico statu, Deique vicarius. In id strenue quoque laborasse Georgium præ aliis, & haud postremum fuisse inter illos, qui *Carolus Cæsarem* infidiose ex Hispania Augustam vocaverint, ut vi & armis in Protestantes ageret: quanquam Cæsaris pietati debeatur, quod sanioribus obsecutus sit consiliis. Seipsum etiam consolatur, quod non sua sponte ex Papatu discesserit, sed, quamvis meretrici illi Babylonicae obsequium humillime obtulerit, eo tamen spreto, excommunicatus & ejectus fuerit; quod grato animo agnoscit. Differentiam dein utriusque partis ostendit, ut *Pontificii* semper minentur & sæviant, *Evangelici* autem non nisi pacem quærant & submisse petant, nec ulli vim intentent: imo *Georgium* ipsum, si qua ei calamitas incideret, non majus aut certius, quam apud Lutheranos, auxilium inventurum. Judicat tamen ita agi à *Georgio*, etiam inter suæ partis homines, ut nec hi æquo animo mores ejus ferre possint. Jacturam bonorum, quam exules passuri sint, bono animo ferre eos & sperare jubet meliora; fore enim, ut Deus brevi omnia immutaturus sit, quemadmodum tantæ res intra annos à *Comitiis Wormatiensibus* & Augustanis actæ sint, quantas nemo cogitare aut prævidere potuerit; multos enim terribili Dei judicio interiisse, qui crudelia contra Evangelicos foverint consilia: nec duraturum in æternum furorem *Georgii*, sed nostra opinione citius cessaturum, secundum illud Psal. LV. 24. ac eum magis deplorandum esse, quam exules; imo illum his suæ sævitia, si res fidei oculis respiciatur, tanta officia præstitisse, ut ipse & totus mundus majora præstare non potuerit omni sua gratia, opulentia & potentia, cum eorum conscientias & corda libera & confidentia reddiderit, quod perpeffionibus ob Christum exantlandis imagini Filii Dei conformentur, Rom. VIII. 29. Cumque fama mendax sparsisset, Lutherum vel Wittembergenses Theologos consilium ad Lipsienses misisse, quod *com-*

munis

munio sub utraque omitti, & Magistratui unam speciem precipienti obtemperari possit, ad evitandum periculum; id factum à se suisque pernegat, neque enim hunc articulum adversus clara Evangelistarum & Pauli verba pro indifferenti haberi, neque Augustæ publice defensum, privata suggestionem remitti posse, nisi *Priscillianismi* suspectos se reddere velint Evangelici. Fateretur, se quibusdam peregre venientibus, & interrogantibus de isthoc articulo, ita respondisse, ut quæreret, an scirent & certo crederent, cum verbo Dei & veritate communionem sub utraque convenire, dimidiatam autem illegitimam esse. Si hæsisset, visum sibi non esse, ut eos ad communionem sub utraque adigeret, sed consilium dedisse, ut certitudinem sibi prius compararent; dubitantes enim & ambigentes, salva conscientia admitti non posse. Interim se ita non probasse communionem sub una, nec id ex suis verbis recte colligi. Occurrit etiam alii objectioni, ac si de articulo illo *Lutherus* ipse & Lutherani non satis certi essent, quia Marburgi cum Zvvinglianis transegerint, & mutuas preces promiserint. Nam etsi charitatem invicem stipulati sint, id est, ne Pontificiorum more armis grassarentur, exceptum tamen disertis verbis esse articulum de Sacramento Cœnæ. Provoeat non saltem ad scripta sua, sed etiam ad *Confessionem & Apologiam Augustæ* editam; cum vero quitam stultus sit, ut ex istis intelligere nolit aut non possit, quid credatur, non tantum in hoc articulo, verum etiam in omnibus religionis capitibus, missum faciendum esse, neque talibus omnibus à se responderi posse. Monet igitur ad extremum amicos, ut firmi consistant in veritate, nec dimoveri se sinant rumoribus, etiam à Nostri profectis, nixi Confessione, Apologia & praxi nostrarum Ecclesiarum, imo Evangelio & Pauli doctrina, quibus etiam nostri libri Symbolici nitantur, nihil pensi moderatique habentes Papistarum clamores de Ecclesia; iis enim opponi debere

Gal. I. 8. si non tantum Ecclesia, sed etiam Angelus de caelo, & ipse S. Paulus aliud diceret, anathema sit.

Tom. IV. Alt. p. 2. b. -- 19. Sleid. L. IX. p. 235. seq. Seckendorf. p. 55 - 57.

§. CCLXXX.

*Cochleus
Lutherum
refellere la-
borat.*

*ei respondet
Lutherus.*

Adversus hæc *Cochleus*, magno zelo, ut jactitat, accensus, Apologiam pro *Georgio* edidit satis acerbam, in qua *Lutherum* inter alia accusat, quod verba formulæ juramenti, quo *Georgius* obstringebat eos, qui deserto *Lutheranismo* ad Pontificios relabuntur, corruerit, cum nusquam extet, quod jurantes obligentur ad *Lutheranam doctrinam persequendam*. Libellum istum suum ausus est *Cochleus*, ut ipse refert, Electori Saxon. mittere, & judicium contra *Lutherum* postulare, in quo eum hæreseos convinceret; sed nullum ab Electore responsum tulit, & Cancellarius haud dissimulavit, quid in illo displiceret. Nactus autem *Lutherus* erat ex libro *Cochlæi* per amicum folia plurima, ex typographia; ejusque refutationem statim aggressus est ea industria, ut hæc simul cum *Cochlæi* scripto prodiret nundinis Lipsiensibus autumnalibus. Quia vero *Cochleus*, vel potius, (ut ipse excusat) typographus, more consueto, insignia Ducis *Georgii* libro præfixerat, *Lutherus* librum suum inscripsit: *Responsum breve ad proximum librum Ducis Georgii: Kleine Antwort auff Herzogs Georgens nächstes Buch*. Præfatur, se, cum intelligat inter Electorem & Principes diem *Simonis & Judæ* proximum (XXVIII. Octobr.) constitutum esse ad tractandum de concordia, calamum, quem contra Ducem acuisset, sepositurum; jam vero præliminariter ad accusationem, à Legatis *Georgii* ad Electorem *Altenburgi* propositam, & *Cochlæo* (quem pro more *D. Koblöffell* vocat, vel *D. Gauch*) quod verum ejus nomen fuisse dicit) non quidem ad omnia convicia, pari vehementia responsurum, sed oppositurum esse, quæ legentibus utilitatem afferre possint. Criminati autem fuerant *Lutherum* Legati Ducis, ut mendacem, quod juramenti illius Lipsiensis for-

sis formulam ipse finxisset; dein, ut *perjurum* & apostatam, quod à Monachatu defecisset. Ad *primum* paucis respondet, & ipsius *Cochlei* testimonio se tuetur, qui formulam juramenti aliunde impetratam libro suo inseruerit, sicque testatus fuerit, rem non esse à se confictam. Ad *secundum*, Monachum se fuisse non negat, & quidem, testibus suis sodalibus, pium & talem, qui, si quis unquam alius, regulæ suæ stricta observantia cælum potuisset sperare; *perjurii* autem accusari non posse, non solum à *Georgio*, cui juramento non fuerit obstrictus, sed etiam quia Monachi non jurent, sed voveant. Probandum igitur perjurium sibi imputatum ex verbo Dei debuisse. Cur vero à *voto* illo recesserit, sive *apostasiam*, ut *Georgii* Legati loquebantur, commiserit, rationes affert, magna cum libertate & vehementia, posteaquam ostendit, quinam veri sint apostatæ, nempe qui Christi merita abnegant & suis tribuunt, ut Monachi faciunt; reprehendit ergo ante omnia, quod Monachatus blasphemæ æquiparetur meritis Christi & Baptismo, immo quod hoc potior habeatur, cum tamen totus ex humanis inventis conflatus sit, neglecto verbo Dei, quod nemo unquam satis legere & docere possit. Ostendit porro *absurditatem* & *contradictionem* opinionis Monachorum, quod suis meritis aliis quoque succurrere velint, cum tamen dicere soleant, & Laicis sæpissime ingerant ex *Eccles. IX. nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit. Bernhardum* moriturum agnovisse, quod nihil meritis sit, quando dixit: *perdite vixi, & vitam perdidisti; sed hoc meum solatium est, quod Dominus meus Iesus Christus duplici jure cælum tenet* &c. *Bernhardum* igitur etiam apostatam fuisse, ut & *Augustinum* & *S. Gregorium*, quorum ille in Confessionibus dixerit: *væ omnium hominum vitæ, etiam laudabilissima, si extra Dei misericordiam judicetur*: hic autem ex *Davide Psalm. CXXX. v. CXLIII. 2* confiteatur peccata & deprecetur iudicium Dei. *Votum* itaque monasticum sic exponit, ac si quis dicat: *Hucus-*
que

que mihi persuasi, me ob Baptismum & verbum filii tui tibi placere, ex tuo nempe verbo & opere non meo. Sed ista nunc missa faciam, & novo Baptismo monachali utar, meisque operibus purus & innocens sum. Nescio tamen (Eccles. IX.) an amore an odio tue dignus futurus sim? Persequitur inde alios errores, puta, quod dicant, hominem ex viribus propriis, sine gratia Dei posse præcepta Dei implere, quoad substantiam facti. Piissimi eorum docuerunt, requiri quidem gratiam Dei adimplendam legem, sed gratiam illam impetrari meritis eorum, qui faciant, quantum in se est; hoc tamen est dogma Judæum, Turcicum & Pelagianum. Dein, quod opera supererogationis jactent, vanissimo prætextu, quod non solum præceptis, sed & consiliis Evangelii præcepta longe superantibus, satis faciant. Postea vota paupertatis, obedientiæ, & castitatis perstringit, & quam nihil boni contineant, ostendit, cum paupertatem vocent non habere proprium, scilicet ut possiderent aliena in toto mundo, & abundant omnibus rebus: obedientiam, quam non nisi uni homini præstent, Abbati vel Priori, nec ultra regulam, exuant autem obedientiam Christianis omnibus communem, erga parentes, magistratum &c. Hanc ergo vitam spiritualem scilicet plenam esse blasphemiam & abnegationem Christi, fictam hypocrisis, doctrinam dæmoniorum, 1. Tim. IV. 3. ac propterea justo Dei judicio, quanquam in justo facto rusticorum, destructa ait monasteria, & optandum, ut nec vestigia eorum superessent. Hinc ad librum Cochlei accedens, hominis futilitatem Wormatiæ ab omnibus cognitam & explosam, scribit, ac ex eo tempore se nullum ejus librorum legere solere, & Ducem Georgium redarguit, quod insignia sua libro isti præfigi sinat, in opprobrium domus Saxonicæ. Refellit quoque calumniam in Johannem Electorem pie defunctum sparsam, ac si centum aureorum millia Episcopis extorsisset, Pacciani fœderis occasione. Et addit nonnulla, quibus fœdus illud probabile fiat, præcipue ex pacto Dessaviensi, à Georgio cum
Bras.

Brandenburgico Electore, & aliis, in quo dictum fuerit, ad seditionem rusticorum compescendam necesse esse, ut Lutherus & Lutherani prius extirpentur. Nec negari posse, quod Georgius Legatos suos ad Comitata Eslingensia cum hac instructione miserit, se nullum nosse consilium, quomodo resisti possit Turcis, nisi secta Lutherana extincta sit.

Tom. VI. Alt. pag. 19 -- 32. & pag. 160. b. Seckendorf. p. 57. ff.

§. CCLXXXI.

Georgius Dux hoc libello Lutheri valde irritatus, apud Electorem Jo. Fridericum de eo questus est; sed hic Lutheri causam strenue egit, & seditionis culpam ei impactam in Georgium retorquet, objicitque, quod Augusta & Ratisbona contra communia familiarum pacta adversus se machinatus sit. Cum finis rixarum per literas non esset, misit Georgius quosdam ex aulicis suis ad Electorem, qui d. X. Augusti coram tota aula cum eo expostularent, & Lutherum mendacii arguerent; sed masculis illis responsum fuit per Pontanum, cum insigni elogio Lutheri, quod verbum Dei purum prædicaverit, idque Elector in provinciis suis conservaturus sit. Posthæc ab arbitris Grimma d. XIII. Novembr. pronunciatum fuit, rixas inter Principes abolendas, extraque religiones causam pacem & concordiam servandam & Theologis mandandum esse, ut in scribendo modestiam adhibeant, nec contentionibus suis de religione inamisceant nomina causasque Principum suorum, aut civitatum.

Tom. VI. Alt. p. 160. b. Seckendorf. p. 58. b. addit & 59. a.

§. CCLXXXII.

Inter Polemica Lutheri scripta haud abs re refero libellum, Lutheri li- quem circa finem hujus anni de Missa solitaria live angulari, & ber de M. sse de consecratione Sacerdotum, composuit, de quo nonnulla con- solitaria, tra quosdam impudentes & maleferiatos calumniatores, Germanos & Gallos, diximus supra §. XXVII. pag. 71. seq. In eo Noster, ut ipse ad Nicol. Hausmannum feria 4. post Luciae hoc

Ooo

anno

anno scripsit, Papistas indomiti furoris & clamoris invasit, ac
 1. refert, quomodo sub initium Disputationis de Indulgentiis
 promiserit, se nil prorsus de iis vel dicturum vel scripturum, si
 modo adversarii quoque tacerent, Papa vero cum Cardinalibus
 & Episcopis revocandam clamantes sententiam à se prolatam,
 nil aliud effecerint, quam ut indulgentiæ omnibus exosæ, deti-
 sæ & explosæ sint, tanquam fraudes & imposturæ maximæ. 2.
 Meminit *temptationis suæ* gravissimæ, quam in corde senserit, ubi
 Missatici sacrificij recordatio animum serio subiecit, de qua ali-
 bi, quod ad institutum satis esse videtur, monuimus. Nihil
 tum profuisse sibi scribit armaturam illam, quam in Papatu in-
 ducere didicerit, scilicet *intentionem & fidem Ecclesiæ*. 3. Mul-
 tis argumentis abominationem Missarum demonstrat, & ab au-
 diendis iis Christianos dehortatur, cum nesciant, nec intelli-
 gant, quid Sacerdos dicat, vel agat, an consecraverit, vel, ut
 dicunt, mutaverit. Neque excipi posse, quod Sacerdos Mis-
 sam privatam celebrans sit persona publica, cui fides adhiberi
 debeat, ut Notario vel Scribæ publico creditur; cum res sit
 spiritualis, non civilis: neque Notario credi, si testes non ha-
 beat, in Missa autem non esse testes, sed unicam personam,
 quæ in obscuro mussitet, ac deinceps asserat, se hoc vel illo
 modo egisse, sibi que credi debere in re salutem nostram con-
 cernente. Sed neminem id credere, & vel ipsum nomen Missæ
 privatæ indicare, quod Sacerdos non sit publica sed privata
 persona: cum veteres vocaverint *communione*, sive commu-
 nem Missam, ad quam multi conveniunt & admittuntur, non
 unus tantum Sacramentum accipit, & reliquos inanes dimittit.
 Et tamen si Deus non præcepisset, ne fidem unius hominis ver-
 bo vel facto adhibeamus, tamen necessitatem & experientiam
 cogere. Se ipsum *Roma* audivisse, qui libere referrent, esse, qui
 inter celebrandum, loco verborum Christi, murmurarent, *pa-
 nis es, & panis manebis: vinum es, & vinum manebis*; à multis
 etiam,

etiam, ait, absque devotione ulla missalia verba deproperari, & iterum Romanorum exemplum allegat, qui se attentius & tardius missificantem festinare iusserint, clamando: *Passa, passa!* Refert etiam dici, aliquos Pontificios jam esse Zvinglianos, putantes nil nisi panem & vinum in S. Cœna esse, sicque melius se posse missificare, cum ita cesset cura de corpore & sanguine Christi. *Münzerum* quoque narrat, certis probisque hominibus Alsteti confessum esse, se *Halis*, cum in monasterio virginum matutinas missas perageret, sæpe ex indignatione verba consecrationis omisisse, & ipsum *inconssecratos Deos*, (*un-
geweihte Herr Gotte*) supra ducentos devorasse. Subjungit aliam dubitationem, quod non constet *de fide* (historica saltem) *neque de intentione sacerdotis* &, quam nullius momenti sint, quæ pro palliandis illis defectibus allegari soleant. Disputat dein *de fide & intentione Ecclesie*, qua nixi errare nequeant, qui missificant, cum Ecclesia non possit errare. Hoc inventum pro *Antichristiano* habet. Nullam enim intentionem Ecclesie esse posse, quam quæ in sacris literis fundetur, cum Ecclesia credat, quæ in Scripturis credenda proponantur. Ad exceptionem, sic tolli ministerium, Sacramenta & Ecclesiam ipsam, contra articulum, *credo Ecclesiam sanctam catholicam*, & verbum Christi: *vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, respondet: Ecclesiam duraturam, sed *distinguendum esse inter Ecclesiam ejusque corruptelas* seu abominationes. Mansisse enim Ecclesiam etiam sub Papa, dum manserit *Baptismus, recitatio sancti Evangelii de pulpitis in lingua populari, publica confessio & absolutio, S. Sacramentum Eucharistie*, licet mutilatum, & *vocatio ministrorum* ad concionandum, ligandum & absolvendum, tandem etiam *oratio Dominica, & symbolum fidei*, lingua etiam populari recitatum. His servatis servatam esse Ecclesiam & aliquos sanctos, licet difficulter, inter abominationem desolationis in loco sancto; ista enim omnia (excepta mutilatione Sacramenti, vi introdu-

cta) per se esse ex instituto Christi, & per ea Spiritum S. in cordibus suorum operari potuisse. Multa autem opus fuisse potentia & providentia Dei, ut fidem in suis servaret, multa etiam patientia, ut errores, piorum quoque, toleraret, quos aliquando non nisi morientes agnoverint, ut *Bernhardus*, *Gregorius*, *Bonaventura*, eamque difficultatem prædictam fuisse à Christo Matth. XXIV. 23. Interim electos non periisse, & Christi merito & gratia omnia illorum peccata, omnesque errores sublatos fuisse. *Corruptelas* deinde vocat ipsos Sacerdotes & Episcopos, idque per plurimos articulos deducit, puta, quod ex *Sacramento sacrificium* fecerint, *calicis usum* pro lubitu *sustulerint*, aliquibus tamen v. g. *Bohemis* restituerint, *Baptismi veras vires* populam celaverint, *satisfactionem* Christi contumeliose ad peccatum originis restrinxerint, humanam seu sacerdotalem pro actualibus sustinentes. Optimos inter ipsos docuisse, & adhuc docere *fidem formatam*, cui justificationem tribuerint, abusos Gal. V. 6. cum tamen Apostolus ibi non de fide, quid sit, vel faciat, loquatur, quod antea per totam Epistolam copiose docuerit, nec de charitate, sed totam vitam Christianam complectatur, quæ in *fide* erga Deum, Christum apprehendente, remissionemque peccatorum sine operibus consequente, & *charitate* erga proximum consistat. Porro *chrisma* & *consecrationem* ad Sacerdotium impugnat, quas ceremonias Pontificii longe supra Baptismum extollant; excusat tamen veteres, quod bona mente talia introduxerint, & initiatos sacris Sacerdotes vocaverint, cum non angulares missifices intellexerint, & Pastores vocatos ritibus ejusmodi populo commendatos reddere voluerint. Hinc monstrat *concionum depravationem*, traditionum, Ecclesiæ & Pontificis supra verbum Dei elevationem, aliaque Clericorum vitia, in primis, quam impii Pontificii potestatem illam immensam super fidem ipsam adstruxerint, & curam animarum neglexerint: singularem vero Dei providentiam

tiam

tiam agnoscit, quod ministerium concionandi non plane interierit, & vocationes ad docendum per Principes, civitates, imo etiam Episcopos, Abbates, & alios status, saltem conservatæ sint, licet alia unctioe & consecratione sua egerint Episcopi. Interferit his quædam de *oblacione* Augustæ facta, ubi Episcopis (veluti olim *Antiochis* aut *Demetriis* Pontificum Hierosolymitanorum confirmationes) pacis causa delatas esse dicit *ordinaciones ministrorum*; verum, cum id spreverint, & nobis simpliciter schisma suum, aliasque abominationes obtrudere, nos persequi & interficere perstiterint, non reiteratum iri officiosam illam oblacionem: neque nos porro toleraturos illos chismaticos & caractere notatos Sacerdotes, sed vocaturos & electuros nobis ex Baptismo & verbo Dei. Pontificem ipsum in Jure Canonico mandasse, ut hæreticorum inauguratio & ordinatio pro legitima habeatur: nec repeti aut ab Episcopo fieri debere, cum Episcoporum & Presbyterorum, fatente Hieronymo, unus ordo fuerit, & vis efficaciaque ministerii non ex opere operato, sed ex instituto Christi dependeat, &c.

Tom. VI. Alt. pag. 85. b. -- 112. Seckendorf. p. 59. seq.

§. CCLXXXIII.

Præmisit quoque hoc anno præfationem libro M. *Agidii* *Præfatio in Fabri*, Ecclesiastæ Suerinensis, *de sanguine Christi* fictitio, qui lib. *Fabri de in Templo cathedrali* singulis diebus Veneris ostendi solebat, in *fictio Christi sanguine* qua scribit, se istum librum edidisse in laudem & gratiarum actionem veri Dei ejusque verbi, & ignominiam atque vindictam patris mendaciorum, qui tales & infinitas alias idololatrias impudentissime erexit, iisque verbum Dei oppressit, & regnum Christi devastavit, ut meruerit nuditatem ab omnibus coram toto mundo detegi & in apertam lucem produci. Idque eo magis, quia Pontificii, licet multos ejusmodi libellos de idoli sui abominationibus & mendaciis accipiant, tamen nihilominus pergant indurati & impudenter in blasphemis suis & diaboli-

cis artibus. Ideo vero, prophetarum exemplo, insistendum esse correptionibus & comminationibus, ut vel sonus pulsationis hujus aliorum aures penetret & percussat, quo judicium Dei irati severum horreant, eumque timere discant. Hoc nomine libellum *Fabri* commendat, ex quo severitas & ira Dei in impios conspici monerique omnes possint, ut summopere sibi caveant à talibus mendaciis & abominationibus, ne participes fiant peccatarum, juxta illud Apoc. XVIII. 4.

Subjicit nonnulla dicta Scripturæ S. contra declamatores mendaces, qui populum ficto sanguine & falsis miraculis, à verbo Dei abducunt, allegatque Jer. XXIII. 30. 31 32. & 2. Thess. II. 9. 10. 11. 12.

Tom. II. Alt. pag. 119. a, b. 120. a.

§. CCLXXXIV.

In libr. Balt.
Raida contra
Wicelium.

Hanc excipit alia præfatio in librum *Balthasaris Raidæ*, pastoris Hirsfeldensis, oppositum scripto famoso & mendaci *Agri- cola Phagi*, sive *Georgii Wicelii*, in qua refert, se secundum proverbium Germanorum, *mendacium apertum non meretur responsum, ein offenbahrtliche Lügen ist keiner Antwort wehrt* / haud dignum judicasse *Wicelium*, contra conscientiam ita aperte mentientem, ut Pontificii quoque, licet cæci essent, palparent, cui quicquam reponeret; quam vis acceperit, ac id quoque verisimile sit, quod *Cardinalis Moguntini* parasitus, *D. Kroete*, venenum suum in istum libellum insperferit. Quia vero Papa cum grege suo hucusque mendaciis, cædibus & incendiis sævierit contra Deum ejusque verbum, minime se ei invidere scribit, ejusmodi bufones venenatos deserere Evangelicos, & ad Pontificios se recipere: ac ejusmodi exempla monere, quam sit res fœda venter, qui tales parasitos & nebulones faciat. *Vide cibus quid facit alienus*. Optat quoque videre, ut Principes & Episcopi ejusmodi scribis asininis (*Efelschreibern*) scriptionem prohiberent, cum

cum nihil aliud agant, quam ut ignem excitent, quem pius
Cæsar Carolus nonnihil sopierit.

Tom. VI. Alt. pag. 120. a, b.

§. CCLXXXV.

Contra errores Sacramentarios etiam hoc anno pugnavit *Lithera L. M.*
Lutherus; cum enim audivisset ab illis, qui ex nundinis *Franco-*
furtensibus redierunt, esse in ea urbe concionatores *Zwvinglia* *Francoford.*
ne doctrinæ addictos, sed qui subdole jactent, se eadem cum *monitoria*
Luthero docere, iis autem, qui sententiam eorum scire vellent, *de cavenda*
respondeant, non opus esse populo, ut sciat, *Zwvingli-*
na doctrina. quomodo corpus & sanguis Christi præsens sit, sufficere talem præsentiam credi,
qualem Christus intellexisset; sicque revera corporalem ne-
gent, & spiritualement tantum præsentiam asserant, qua in corde
solum per fidem accipiatur corpus & sanguis Christi, non ore.
Hoc implicitum fidei genus detestatur, & diabolicum lusum vo-
cat, & similes ait talia dicentes *Arianis*, quorum Episcopi, *Hie-*
ronymo teste, ita verba fecerint, ut Christiani aliud ex iis intelli-
gerent, quam ipsi putaverint, qui *nuncupative* tantum Chri-
stum esse Deum statuerint, non verum & naturalem. Hos bi-
lingues sic detegendos suadet, ut interrogentur, quid sit, quod
porrigatur & accipiatur. Si cum *Zwvinglio* sentierint, & candidi
fuerint, dicturos, panem & vinum, corpus autem & sanguinem
Christi in mente haberi & credi debere. Et si dixerint, sufficere
si credas id corpus dari, quod Christus intellexerit, eos illude-
re & nihilominus *Zwvinglianos*, nec meliores esse Papistis, qui
se dicunt credere, quod Ecclesia credit. Ex suis libris talia istos
bilingues non hausisse, & si id jactent, convinci inde facile posse,
cum semper docuerit & suaserit, ut, si *Tropista* vel *figurista* Chri-
stianum adorianatur, ille verbis Christi inhæreat, credatque ad-
esse corpus & sanguinem Christi in pane & vino, prout verba
sonant. Posthæc de *confessione*, cujus formulam popularem in
Catechismo suo, speciminis gratia, præscripsit, quamque non-
nullos

illos rejecisse intellexit, tanquam fermentum Papisticum, agit, mentemque suam clare explicat, quod ipse rejecerit & adhuc rejiciat illam confessionem, in qua omnium peccatorum enumeratio strictè & eo fine exigitur, ut sacerdotibus obedatur & satisfactiones eorum præscripto præstentur, ommissa instructione & consolatione salutari; retineri autem velit ad populi simplicis & juventutis informationem, eam, in qua præcipua peccata, conscientiam gravantia, indicentur, & post explorationem, quid de fide & Sacramento confitens intelligat, absolutio & communio sequatur. Hujus confessionis utilitatem idoneis rationibus ostendit, quarum similes in Loc. XVIII. de Confessione adduximus §. VII.

In fine quoque, cum sugillari audivisset à quibusdam Aristarchis allocutionem in confessionis formula à se tradita, *würdiger lieber Herr!* monet, sua nil referre, si quis titulum *reverendi Domini* omittere, & dicere malit, *lieber Herr!* oder *lieber Vater*; neminem enim se vel cogere, vel damnare his verbis. Dei præceptum adesse, quod jubeat juventutem instruere ad modestiam & reverentiam erga seniores, præcipue Sacerdotes; ita Moysen mandasse Levitis, ut *faciant filios Israël reverentes*. Münzeri hanc esse insaniam notat, optatque non tantum titulum *reverendi* sed & *sancti* pastoribus dari, quo veteres Ecclesie doctores, *Hieronymus, Augustinus, & alii*, usi fuerunt, & quo non persona sed officium & verbum Dei honoratur.

Tigurinos offendit, quod *Lutherus* cum in hac Epistola tum in libello de privata Missa, ubi de Oecolampadii morte non bene judicaverat, scripsit, & apologiam doctrinae suae Latine & Germanice edere volebant, sed *Martinus Bucerus* intercessit, & spe concordiae facta impedivit refutationem. Ipse *Lutherus* sane in Epistola A. 1532. ad *Bucerum & Lycosthenem* data, cum candidum suum pectus, tum concordiae studium & tolerantiam satis testatur, licet non diffiteatur, *Amsdorfum & Osian-*
drum

drum diutius ferre nolle illorum palliationes, & revocationem potius urgere. Vid. *Seckendorffius*.

Tom. VI. Alt. pag. 112 -- 119. Seckendorff. fol. 62. seq.

§. CCLXXXVI.

Ornavit etiam hoc anno præfatione libellum de Confessione fidei, cultus & ceremoniarum Fratrum in Bohemia & Moravia, qui *Waldenses* & *Picardi* dicebantur, in qua commemorat, quod diu multumque desideraverit exacte & dilucide scire, quid crederent, & quam prope nobis essent, vel procul abessent, præsertim, quia à Pontificiis hæretici proclamati & condemnati essent, cum tamen optimis viverent moribus, & majoris disciplinæ specie, quam Ecclesiastici & Monachi. Licet vero multa eorum scripta legisset, & tamen non satis assequi eorum sententiam potuisset, quia insolitis vocabulis & phrasibus in doctrina de Sacramentis & rebus fidei uterentur, ipseque nosset, pugnas de verbis haud esse instituendas, ubi sensus non repugnat, in colloquium se cum eis descendisse ait, ac post multos sermones deprehendisse, eos in articulo de Sacramento, ratione corporis & sanguinis Christi, aliter nonnihil, quoad verba, loqui, propter Pontificiorum transubstantiationem & opus operatum, in fundamento tamen nobiscum convenire, quod verum corpus & sanguis Christi verus accipiatur. Hoc percepto, se mitius de iis sensisse, cum etiam de SS. Trinitate, de Christo, de vita æterna, & omnibus fidei articulis, orthodoxe sentirent, ideoque statuisse, quoniam Scripturæ S. tam prope accederent, immerito illos vocari hæreticos. Expetere se quidem, ut consensus inter omnes in toto mundo in fide una mente & sententia saltem esset, si fieri verbis non posset, ideoque hunc libellum fratrum Bohemorum edidisse, ut omnes pii Christiani legere & videre valerent, quatenus discrepent, aut consentiant; si forte pater misericordiarum, per Filium suum dilectum, Dominum nostrum Jesum Christum gratiam

P p p

suam

Præf. in libellum de Confessione Waldensium.

suam uberrimam concedere velit, ut sectæ & schismata minuantur, & quædam ex iis in sensu & spiritu eodem concordari possent, uno deinceps ore & sermone Christum laudaturæ. Tamen si enim istorum fratrum phrasas & loquendi modos probare nequeat, nolle tamen etiam præcipitanter cum iis agere, aut cogere illos, ut suam dicendi rationem amplectantur, dummodo in re consentiant, donec Deus majora incrementa benevole largiatur. Cum enim ea methodo & ordine doctrinam suam conceperint, qualem Pontifex cum suis nunquam potuerit invenire, nos tamen ex parte nostra habere, si veritas absque jactantia dici debeat, clariorem certioreque rationem loquendi de gratia Dei & remissione peccatorum, fide ac operibus accurate & dilucide distinctis, assignata cujusque propria natura officio. Confusis autem illis semper aliquid ex operibus cum fide perperam misceri, & ab hac confusione non prorsus immunes esse Bohemos; in præsentem tamen ipsorum libello quemlibet deprehensurum, quod in sacris literis se exercuerint, Pontificios errores evitaverint, indulgentias, purgatorium, vigiliis, peregrinationes, cultum sanctorum, cucullos, tonsuras, & alia innumera talia abominanda, quæ in Papatu sævierint.

Tom. VI. Alt. pag. 127.

§. CCLXXXVII.

*Lutherus
ministeriis
Augustanis
suspectum
habet in art.
de S. Cana.*

Mitius, ut apparet, Lutherus egit cum Bohemis, quia & rudes & dociles erant, ac spem præbebant consensus integri aliquando cum Saxonis Ecclesiis ineundi; licet postea Zwinglianæ sententiæ magna ex parte accessisse dicantur. Nihil ergo est causæ, cur *Hospinianus* redarguat Lutherum ideo, quia mitior fuit Bohemis, quam Helvetiis; hi enim, docti licet, post multas disputationes in sua sententia persistebant. Certe acrius etiam Noster egit cum *Ecclesia Augustana* ministris, questusque est

est apud Senatum, de iis, quod jactent, se de Sacramento eadem, quæ Wittembergenses, docere, cum tamen verba sic torqueant & emolliant, ut, quid sentiant, diserte non exprimant, & utraque opinio ex iis concipi possit; petiitque, ut Senatus eos coërceat. Concionatores decem, his intellectis, responderunt acriter testatique ab initio sunt, quod eadem de Sacramento sentiant, quæ *Lutherus*, & omnes fideles, quæ scilicet verbum Dei plane & perspicue tradat. Deinde dicunt, cum animadvertissent, inter Lutherum & alios disputationem de Sacramento ortam esse, quæ non sit nisi Logomachia, quia utrique fateantur, præsens esse fidelibus corpus & sanguinem Domini, admonitos à se esse auditores, ut ab illa disputatione abstinerent, quæ charitati, in Sacramento maxime requisitæ, prorsus sit contraria: confirmatos etiam se esse, lecto libro *Lutheri de fratribus Bohemis*, ejusque benigno de his judicio: neque tamen pro concione pluries, quam bis aut ter, ab uno ex suis mentionem Lutheri factam esse: putantque illum sibi contradicere, dum torqueri & leniri verba dicat, & tamen *Zvvingliani* dogmatis catechesin eorum accuset: se verba Christi clare proponere, perspicere tamen non posse, quomodo ab auditoribus accipiantur: hos se pro Christianis & fidelibus, non vero pro *Lutheranis*, aut *Zvvinglianis*, habere, cum sectarum nomina fugiant, & nullum alium magistrum quam Christum agnoscant: neque illis panem modo & vinum exhibere, sed docere, panem & vinum secundum verba Christi, esse corpus & sanguinem Domini, in mysterio tamen, aut, ut *Lutherus* loquitur, *sacramentaliter*; licet particulas *in, cum & sub*, non probent.

Seckendorff, fol. 63, addit.

§. CCLXXXVIII.

Ad Exegetica *Lutheri* scripta, quæ à collectoribus ad *Summaria* hunc annum relata sunt, pertinent *Summaria Psalmorum*, *Psalmorum* quæ jam A. M. D. XXXI. inceperat. In eorum præfatione agit

Ppp 2

de

de difficult-

rate inter-
pretandi.

de *interpretatione ejusque causis*, & rationes reddit, adductis plus duodecim exemplis, cur aliquando sensum potius quam verba liberius expresserit, aliquando vero verbis arte inhaerit, ac neglexerit Rabbinos Grammaticosque, non tamen sine ratione. Nec tamen putat necesse esse de omnibus vocabulis rationem reddere, cum optima fide & diligentia in interpretando versatus sit, nec invidet cuiquam, si reddere melius possit. Hinc contra Momos & nasutos calumniatores queritur, qui, si vel unicum verbum inveniant non satis accurate redditum, illud carpunt, & de tota interpretatione inique judicant. Non negat tamen, se labi in interpretatione potuisse, ab errore enim nullum hominem, sed solum Deum sive Spiritum S. immunem esse; nec minores, sed, ut putat, majores, pluresque in *Hieronymi* & aliorum versione reperiri: veniam itaque sperat, praesertim ob nimiam linguae Hebraicae difficultatem: provocat nasutos, ut unius vocabuli *in Chen*, quod plerumque vertitur *gratia*, versionem exactam & certam, quae per totam Scripturam valeat, afferant vocabulo Germanico (*gut teutsch*) qui id praestiterit, ei quinquaginta florenos promittit. *O quam longe*, ait, *facilius est, aliorum interpretationes reprehendere, quam meliores dare. Nulli labori peperci, omnem adhibui diligentiam, meliora edat, qui potest, nescio tamen si nostro labore profusus uti nolit, an non ita sit translaturus Psalterium, ut neque Hebraicum neque Germanicum mansurum sit.*

In Summariis observat, librum Psalmorum in quinque partes tribui posse, I. quosdam Psalmos esse *Propheticos*, & varicinari de Christo, de Ecclesia ejusque fatis &c. huc pertinere omnes Psalmos, continentem promissiones atque minas. II. Nonnullos esse *dogmaticos*, qui doceant, quid facere & omittere debeant homines. Atque huc referendos esse omnes illos, qui doctrinas hominum damnent, & verbum Dei commendent. III. Alios *paraceticos*, qui sanctos afflictos erigunt & consolantur.

solan-

solantur contra tyrannorum insultus ac minas. IV. Alios iterum reperiri, quorum argumentum *oratio* sit ad Deum supplicis in quacunque necessitate. V. Quosdam esse *Eucharisticos*, quibus Deo pro variis beneficiis gratia agitur, unde Hebr. *Sepher Tehillim*, id est, *liber laudum* dicatur. Addit tamen, Psalmos non ita accurate in istas partes secundum omnes versus dividi posse, cum sæpe in uno Psalmo duæ ejusmodi partes, vel tres, imo interdum quinque deprehendantur; sed hanc observationem eo facere, ut sciarur, Psalterium illas quinque partes urgere, ac adeo facilius intelligi & memoriæ imprimi possit, si quis ad capita commemorata respiciat.

Sequuntur deinde *Summaria* ipsa in singulos Psalmos, quæ non exscribere licet: in eorum fine monet, ut, si cui ea placuerint, ne Psalterio inserat & textui immisceat: nec convenire, ut *summaria* Psalmis prolixiora sint.

Tom. VI. Alt. pag. 133 -- 160.

§. CCLXXXIX.

Ad *Homiletica* progredientibus scripta, occurrit primo *Homiletica Sermo* egregius, publice habitus *Deßavia*, coram Principe *An-* *scripta. Ser-*
haltino, super 1. Tim. I. 5. 6. 7. *de summa doctrina & vita Chri-* *mo super 1.*
stiana. In *præloquio* mirifice commendat gratiam Dei in verbo *Tim. I. 5. 6.*
 hominibus dando, per Prophetas, Filium suum, & Apostolos, ut *de summa*
 eum recte cognosceremus & coleremus, illud verbum discendo *vita Chri-*
 & tractando assidue; hoc esse vere *Missam audire*, & præceptum *stiana.*
 Dei, quod promissiones amplissimas habeat, quæ nos ad dili-
 gentem auscultationem, ejus lectionem & meditationem inci-
 tare possint ac debeant, cum hic cultus Deo gratissimus sit, &
 omnes reliquos cultus longissime superet, quia verbum omnia
 consecrat, & sanctificat. Ideoque etiam indefinenter verbum
 tractandum fore, cum nunquam satis audiri & legi possit, licet
 tædium facile concipiant plerique etiam inter Evangelicos, &
 non attendant, diabolus subesse, qui satietatem & fastidium

parere studeat. Hunc contemptum turpem sequi excoecationem & pœnas gravissimas. Ex dicto autem sive textu memorato præclare demonstrat Lutherus, post expositam summam legis, tum *necessitatem bonorum operum*, ad justificationis testimonium, & conscientia solatium, tum *fidei*, qua Christi meritum apprehendentes coram tribunali divino consistere possumus, quæ cor purificat, deque hac fide prolixè disserit, quod non fucata aut hypocritica esse debeat. Cur autem hoc caput tam frequenter tractet, rationem addit, sc. ob inveteratam doctrinam de meritis operum, & quod nihil aliud, qui tunc vivebant, ex pulpitis inculcari audiverint, quam: *serva mandata*; nemo autem fuerit, qui ostenderit, quomodo servari possint, ut conscientia & Deo satis fiat, obstante difficultate, quæ invincibilis esse videtur, considerata ab una parte imperfectione hominis manifesta, ab altera necessitate impletionis. Optime autem constare & doceri omnia, si *Lex & Evangelium, fides & opera, distinctim considerentur*, & Pauli doctrinæ obtemperetur, qui satis demonstravit, quid sit cor purum, conscientia bona & fides infucata, sive quomodo ex purificato corde per verbum Dei & fidem in Jesum Christum, opera nostra omnia proficisci debeant, & sic defectus eorum fide & remissione peccatorum, qua sola niti possumus, corrigantur & tollantur. Scripturam docere, quod Deus duo tribunalia, vel fora habeat, *justitia & gratia*; illud pro securis & superbis, hoc pro pœnitentibus & afflictis. Difficile etiam esse, fatetur, his ita propositis assentiri, quia homini per corruptionem insitum est, ut se suaque opera æstimet, solique gratia & misericordia omnia haut libenter tribuat. Sui ipsius exemplum allegat, scribens: *Viginti pene annis ista concionatus sum & scripsi, sentio tamen semper vetus illud & tenax lutum, ut mallem ita cum Deo agere, ut aliquid afferrem, qua gratia ejus sanctitati mea in compensationem daretur, & non possum capere, ut me totum nudum & simplici gratia resignem, & hoc tamen fieri*

pror-

prorsus necesse est; denn der Gnadenstuhl muß allein bleiben und gelten / quia Deus ipse illud posuit. Minime igitur mirum esse, ait, si aliis difficile videatur, fidem ita pure concipere, præsertim, si accedant illi diabolici concionatores, de quibus Paulus ait, quod legem urgeant per hæc similiaque dicta: *fac hoc & viues*. Item: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, Matth. XIX. 17. Quæ quidem bene se habeant, si recte intelligantur.

Tom. VI. Alt. pag. 33--45.

§. CCXC.

Primum istum Sermonem excipiunt aliæ conciones su- *Sermones in*
per I. Joh. IV. 16--21. de *Dilectione*, in quibus egregie differit de *I. Joh. IV. 16o*
vero Christianismo, & ab initio statim conqueritur de odio dia- *ss. de chari-*
boli, contra *fidem & vitam Christianam*, & excitatis à Satana *tateo*
contra pios persecutionibus, non tantum per tyrannos, sed
etiam falsos fratres, qui turbas & schismata excitant, ac doctio-
res sanctioresque esse volunt, quam veri doctores. Contra ta-
les etiam scripsisse *Johannem*, & monuisse, ut, qui Jesum Chri-
stum Filium Dei, in carne venisse confitentur, & credunt, etiam
in vita demonstrant. Eum igitur, qui verus esse & haberi ve- *Verus Chris-*
lit Christianus, coram Deo & hominibus, Christum non tan- *tianus*
tum in ore gerere, nec in charta & libro scriptum, sed in cor- *quis*
de fundatum habere, & id agere debere, ut ipso facto & vita
id prober, sua charitate aliis seruiat, proximum amet & adju-
vet. Si hoc adsit, & alii affirmant atque testentur, tum id cre-
di posse. Ita tamen affectos esse veros Christianos, ut non mul-
ta jactent, sed potius agnoscant, plurimum interesse inter di-
cere & facere, verbum & vitam, ac doleant, se eo perfectio-
nis nondum pervenisse, ad exemplum *Pauli*, Phil. III. 12. Rom.
VII. 18. Eam ob rem *Johannem* diligentissime per totam Epi- *Scopus Jo-*
stolam hortari Christianos, ut videant, ne seipso fallant, per- *hannis per*
suasumque sibi habeant, ac si fide repleti essent, & Christum *totam Epi-*
plane edidicissent, nisi in vita quoque ita reperiant & sentiant, *stolam,*
contra sect-
ac

ros & falsos Christianos.

ac per charitatem demonstrent erga proximum. *Johannis* proinde Epistolam non esse directam contra fidem, ac si operibus fundamentum salutis superstrui possit, ac propter ea fiducia in Christum cadat, sed *adversus securos & falsos Christianos*, qui multa de fide jactant, ne falsa opinione & inani gloriatione se decipiant, quia Christiani & baptizati sint, quod nil amplius requiratur ab ipsis; sed id operam dent, ut fides radicata & fundata recte sit, talemque se demonstret, ut stet, omnesque insultus & tempestates vincat. Alioqui securitatem & jactantiam cito perituram, instar tumi in aëre: nec quidquam valiturum, si quis, prout *Sophista* quoque doceant, cogitet, sufficere ad salutem scintillam gratiæ & fidei; metuendum enim, si plus non adsit, & scintilla in cineribus sopita maneat, ne diabolus aquæ amphoram affundat, ut fides & omnia extinguantur. Aliter enim fieri non posse, quam, si homo ita secure in persuasione fidei incedit, eam tamen nunquam experitur, ut pereat. Hoc Apostolos vidisse, & nos quoque experiri; cum mundus semper ita maneat, ut vel falso de fide gloriatur, vel sine fide admodum sanctus esse velit. Si *de fide & gratia* prædicatur, nemo operibus bonis studere cupit; si *opera* urgentur, fidem plerique negligunt. Pauci valde sunt, qui medium tenent; immo veris etiam Christianis res est difficilis. Suo hoc exemplo *Lutherus* docet. *Fateor*, inquit, *ipse, & mecum alii, non adesse eam diligentiam atque studium, quod nunc majus & ardentius habere deberem, quam sub Papatu. Non est idem ardor zelusque sub Evangelio, qualis Sacerdotum & Monachorum tempore conspiciebatur, cum tot foundationes, tot ædificia fierent, nec quisquam tam pauper erat, quin aliquid contribueret; nunc ægre tota quædam urbs concionatorem alit, rapiunt, furanturque omnes, nec monentes ferunt. Unde est turpissimum hoc vitium? ex doctrina vociferantur stentores nostri, quia docetur, bonis operibus confidi non posse. Audi vero, diabolus est,*

Eidem & opera simul urgere, nec tamen confundere, difficile esse.

est, qui hoc piæ & salutari doctrinæ imputat, quod ipsius & maiorum hominum culpa fit, doctrina illa abutentium. Culpa etiam est *Adami nostri veteris*, qui semper in errorem proclivis est, is negligens fit operum, tanquam non necessariorum, donec tandem fidem ipsam segnitia illa perdat.

Tom. VI. Alt. pag. 45 -- 65.

§. CCXCI.

Succedunt Conciones, Torgaviæ coram Electore habitæ, *Conciones in festo Paschatis, quibus articulum II. Apostolici Symboli pulcherrime exposuit. Haud procul ab initio queritur, arduum esse, & humani rationi prorsus impossibile, ut ex animo dicat: Credo in Jesum Christum &c. licet vulgo facillimum putetur, & in ore omnium feratur, tam in Papatu, quam inter nos. In Italia, scribit, fere nihil de hoc articulo credi, etiam nostrates jam imitari didicisse. Prædicationem igitur hanc ad veros Christianos & serio credentes pertinere. Quia subinde quædam in Loco de Christo ex his Concionibus adduximus, plura adferre hic superfedemus.*

Tom. VI. Alt. pag. 65 -- 85.

§. CCXCII.

Incrementa doctrinæ Evangelicæ hoc anno dabat pax Norimbergensis, superiore anno parata, ut jam liberius prædicaretur in multis locis. In Principatu Anhaltino, hortatu Georgii, Principis, tum Præpositi Magdeburgensis & Mersburg. superiore anno Evangelio locum ampliorem datum, §. CCLXXV. indicavimus. Quod male habuit Ducem Saxon. Georgium, qui hoc anno 1533. acres literas ad istum cognatum suum misit, eique exprobravit, quod Hausmannum, hominem moribus & vita probata, quoad in Magistratus sui obedientia vixerit, nunc vero apostatam, & scætarum Picardorum patronum factum, & Luthe- ro in tanta ipsius impietate assentientem & applaudentem, Deflaviz pastorem constituerint ejus fratres. Graviter vero Duci

Q99 opti-

optimus Princeps ad accusationes, & inter alia sic respondit: quod multa sub Lutheranismi nomine falso proclamantur, Münzerianæ, Cinglianæ, & Anabaptistarum sectis tribuenda, quarum abominabiles hareses injuria Lutheranæ nominentur: & Lutheranismi nomine illud quoque traducatur, cum abusus & traditiones quædam, cum Scriptura S. & Patrum scriptis pugnantes, reprehendantur, illam fortassis ob causam, quod *Lutherus* multos tales abusus monstraverit, cum tamen apud antiquissimos Doctores, & ante *Lutheri* ætatem Ecclesiasticorum & Politicorum querelæ de iis fuerint. Sibi igitur aut ulli alii tanquam probrum objici haud posse, si ejusmodi perniciosos abusus non probet, & abrogare studeat; cum hoc ipsum non ex *Lutheri* instituto, cui ut homini minime credere velit, sed ex S. Scriptura & Patribus didicerit, & vicissim dogmata approbet accipiatque, quæ in SS. literis contineantur, ut articulum illum præcipuum de *justificatione* sola fide, sine operibus, quem credat, & an Deo juvante, usque ad finem vitæ, non ut *Lutherus*, sed ut *Christianus* retinere & constanter confiteri velit. *Hausmannum* quoque egregie defendit & laudat à doctrina, rerum usu, moderatione &c. Quæ uberius *D. Veiel* in *Histor. reformat. per Luther.* ex scriptis *Georgii* Anhaltini Principis exposuit. *Lutherus* d. XXVIII. Martii epistolam ad Principem dedit, eumque singulari elogio mactat, vel potius, ut scribit, gratiam Christi, in eo mirabiliter erumpentem & fulgentem, cum ille unus in toto Imperio, in eo præsertim gradu & statu positus, sit, qui verbum Christi sincere amaret, & fideliter promoveret.

In Ducatu
Clivensi.

Ad progressum etiam Evangelii refertur à nonnullis editum *Johannis Ducis Clivensis*, qui socer Electoris Saxon. erat, quo pastoribus regionum suarum amplissimarum præcepit, ut verbum Dei, missis commentis hominum, docerent, retentis ritibus antiquitatis. Recensuit illud prolixè *Seckendorffius*, & multa alia, ad incrementa Reformationis spectantia, collegit, quem hic sequemur. In

In *Anglia* multi Evangelicam doctrinam profitebantur, *In Anglia.*
 Lutheri dogmata sequentes; quidam tamen Zvinglianam opinionem de S. Cœna præferebant, inter quos fuit *Johannes Frich-
 tus* sive *Frythus*, Londini natus, eruditione præstantissimus juvenis, qui statuit inter alia, *Transsubstantiationem* in Scriptura S. nullibi reperi-
 ti, sed novum Papæ figmentum esse, ex ipsius Sata-
 næ officina depromptum, & nullum dari *Purgatorium*. In car-
 cerem propterea coniectus, quum ista sua dogmata è sacris lite-
 ris invicta plane constantia tueretur, ad ignis supplicium con-
 demnatus est, & d. XXII. Jul. hoc anno sustinuit, & socium
 martyrii ejusdem habuit *Andream Hurvetum*. Ex *Scotia* vero
 profugit & *Wittenbergam* venit *Alexander Alesius*, postea Pro-
 fessor *Lipsienfis* factus, ediditque tunc querelam ad *Jacobum V.*
 Regem, contra Episcopos.

In *Italia* quoque hoc tempore, & quidem *Bononia*, *Ponti-* *In Italia.*
ficiæ ditionis medullio, insignes viri, *Johanni Planitio*, Elect.
Saxon. Legato, in aula Cæsaris tunc agenti, per literas significa-
 runt desideria sua & multorum piorum, doctorum & illustrium
 virorum in nobilissimis *Italiae* urbibus, atque in ipsa adeo *Ro-*
ma, de concilio instituendo, ac ut interea *Biblia* legere conce-
 datur, nec inter *Monachos* & *Laicos* *Bibliorum* opus emere
 hæreticum habeatur, aut *Christum Paulumve* interdum citaf-
 se, *Lutheranum*.

Ernestus, *Dynasta Schönburgius*, cum graviter decumbe-
 ret, ad *Ducem Georgium* scripsit, ut sibi liceret S. Cœna sub
 utraque specie uti; quod cum *Duci* displiceret, ab *Electore* per
 literas petiit, ut virum pium & eruditum ad se mitteret, cujus
 voce institueretur, & de cujus manibus *Sacramentum* corporis
 & sanguinis *Christi*, ex *Domini* mandato & traditione *Aposto-*
lica, sumeret. Missus itaque ad illum fuit *Christoph. Ehringius*,
 tunc *Ecclesiæ Zviccaviensis* Pastor, & *Ernestus* paulo post vo-
 ti compos factus *Glauchæ* decessit.

Succellit quoque hoc anno reformatio magnæ partis *Dynastia Ruthenica in Voigtlandia*, cum Visitatio Ecclesiarum *Saxoniarum*, urgentibus provinciæ Ordinibus, repeteretur, ut & in *Thuringia* in Comitatu *Schwarzburgico*. Publicavit etiam hoc anno *Georgius*, Marchio Brandenburgicus ordinationem Ecclesiasticam in Principatu suo, & pupilli *Alberti*, Casimiro fratre geniti, Franconico, sive in *Burggraviatu Norimbergensi*, diplomate ad præfectos provinciæ omnes & singulos præmissis, quo significabat, se cum Senatu Norimbergensi de hac ordinatione convenisse, ita, ut in urbe & ditione Norica etiam servanda sit. Commendat ante omnia pastoribus informationem plebis & juventutis ex Catechismo (Lutheri minori.)

Seckendorf. pag. 86 -- 73.

§. CCXCIII.

An. 1534.

Anglia de-
fecit à Pon-
tificis.

Anno M. D. XXXIV. intra & extra Germaniam mira rerum vicissitudo fuit, quæ propagationi purioris religionis, Deo mirabiliter dirigente, vel interviit, vel conatus Pontificis & Cleri de extinguendo Lutheranismò, ut dicebant, fregit. In *Anglia* maxime ingens rerum immutatio facta est, quæ obedientiæ Pontifici præstari solitæ jugum excussit; cujus hæc origo & causa erat. *Henricus VIII.* uxorem duxerat *Catharinam, Ferdinandi*, Hispaniarum Regis, filiam, *Caroli* Imperatoris amitam & defuncti fratris sui, natu majoris, *Arthuri*, uxorem, *Julio II.* Pontifice dispensante: deinceps autem, post complures annos, sive ex scrupulo conscientiæ, sive ex cupiditate prolis masculinæ, sive odio in Cæsarem, ab uxoris congressu multos menses abstinuit, & Episcopis mandavit, ut privatim cum Regina agerent, & Pontificis diploma neque verum, neque validum dicerent, eique suaderent, ut divortio acquiesceret; ea autem repugnans Pontificis auxilium implorat, quem Rex quoque de divortio interpellat. *Clemens* Papa causam delegat *Campegio*, Cardinali, quem eo nomine in *Angliam* misit, & *Eboracensi*; qui spem Regi

Regi faciunt, fore, ut ex urbe Roma secundum se judicaretur, & Breve quoque in ejus favorem solita forma cuditur; sed brevi post à Pontifice flammis mandari jubetur, cum tempori inserviens, Cæsarem, cui omnia per Italiam feliciter eveniebant, offendere nollet, ideoque ut Campegio ex Anglia discedendi occasionem daret, litem ad se evocavit. Mutati vero subito consilii causa haud dubie hæc fuit. In gynecæo Reginae erat virgo eximiae pulchritudinis, *Anna Bolenia*, quam Rex adamaræ cœpit, & haud obscure significavit, se eam expetere sibi conjugem. Hoc ubi Cardinalis Eboracensis animadvertit, quem autorem divortii fuisse ferunt, subito mutat propositum, & datis ad Pontificem literis, monet, ne divortium approbet; nam alioqui futurum, ut Catharinæ succedat altera, *qua Lutheri dogmate infecta sit*. Hoc posteaquam Rex per legatum suum, Romæ tunc agentem, rescivit, maximopere offensus fuit, & paulo post *Eboracensi*, qui regni Cancellarius erat, & tres Episcopatus obtinebat, primo magistratum abrogat, deinde duos Episcopatus adimit, & tandem ad se vocat, qui in itinere vitam finit. Pontifex interea Regem subinde monuit, ac minis etiam territavit, ut ab instituto desisteret; cumque nihil proficeret, & Rex propria autoritate, non expectata Judicis Ecclesiastici sententia, *Catharinam* repudiasset, & *Annam* duxisset uxorem, Papam insuper & Cardinales famosis libellis & comœdiis irritasset, commotabile, sententiam adversus Regem præcipitavit, ac pronunciavit in Senatu, matrimonium inter *Henricum* & *Catharinam* esse legitimum, eamque illi pro uxore habendam, ac nisi habeat, pro excommunicato reputandum. Hanc sententiam ubi Rex contra se latam esse cognovit, eam parum ad rem facere dixit, quia antea, ne quid temere videretur agere, missis internunciis per *Galliam, Italiam, Germaniam*, Theologorum judicia & censuras super hac causa exquisiverat, & *Parisienses*, sicut & alii plerique approbaverunt repudium, continuo

decretum fecit, in Senatu Ordinum Regni, seu Parlamento, publicatum & confirmatum, quo se, per Angliam, Ecclesiæ caput declaravit, abdicato Pontificis imperio, capitis etiam pœna constituta eis, qui Episcopo Romano ullam in Anglia potestatem attribuant; Cantuariensi autem Archiepiscopo jus esse voluit, omnes Angliæ Episcopatus conferre, utque singulis annis, ab Ecclesiasticis CL. millia librarum Anglicarum Regi dependantur, ad regnum tutandum contra cujusvis hostis impressionem. Quæstores denique, qui D. Petri denarios per singulas domus, ex veteri instituto Inæ, Regis Britannia, qui A. C. D. CC. XL. opinione religionis ac pietatis, regnum suum Pontifici Rom. vectigale fecit, colligebant, solum vertere iussit, & ne qua pecunia Romam deinceps deferatur, gravissimis verbis edixit.

Tom. VI. Alt. p. 433. a. Sleidan. L. IX. p. 237. seqq. P. Suav. p. 59. seq. Seckendorf. pag. 89.

§. CCXCIV.

*Philippus
Landgr. Ul-
ricum Wür-
temberg ar-
mata manu
restituit.*

In Germania motus sunt exorti, ob restitutionem *Ulrici Ducis Würtemberg.* à *Philippo Landgravio*, armata manu, factam, cum antea sæpius, & in ipsis quoque Comitibus Augustanis frustra pro ipso apud Cæsarem intercessisset. Landgravius enim, Duci arcta cognatione conjunctus, occasionem nactus commodam, absente Cæsare, & dissoluto tum foedere Suevico, cum Rege Gallia pepigit, & agrum Mompelicardum ei pro certa pecuniæ summa oppignoravit, ea lege, ut nisi intra tertium annum ille luat, regni Gallia hæreditarius esset. Conscripto igitur primo vere exercitu quindecim mille peditum, & quater mille equitum, & tunc demum datis ad *Ferdinandum* Regem, cui Cæsar Ducatum contulerat, literis, facti sui rationem explicabat, ad urbem *Lauffam*, copias *Ferdinandi* R. quibus *Philippus Palatinus* præerat, fudit fugavitque, & intra paucos dies totam eam provinciam occupavit, atque *Ulricum* restituit.

Cum

Cum igitur omnium animi erecti essent, quorsum hi motus tandem exirent, *Archiepiscopus Moguntinus*, & *Georgius Dux*, Landgravii socer, coeptum jam ante de reconciliatione *Ferdinandi Regis* & *Electoris Sax.* opus majori cum fervore profecuti sunt, & simul de *Ulrici* causa transegerunt, *Anneberga* primum in *Misnia*, deinde *Cadavia*, sive *Cadani* (*Raden*) in *Bohemia*, his conditionibus: ut religionis causa nulla vis fiat ex utraque parte, sub poena jacturae omnium opum & dignitatum: ut nulla lis forensis moveatur, & ea pax, quam *Cæsar* fecit, servetur: ut *pacificatio Norimbergensis* observetur, & *Ferdinandus* efficiat loco *Cæsar*is, ut *Camera* judicium supersedeat ab omni actione contra *Protestantes*, in quibus tamen nec *Anabaptistæ*, nec *Sacramentarii*, nec id genus aliæ sectæ, comprehendantur: *Saxo* & locii *Ferdinandum* agnoscant pro *Rege Romanorum*, titulumque tribuant, *Ferdinandus* autem vicissim certum modum sancendum & à *Cæsare* confirmandum stipuletur, qui in posterum observetur in electione *Regis Romanorum*. *Ulrici* quoque restitutio approbata, nec ratione religionis ei quicquam præscriptum fuit, (sectabatur autem *August. Confessionem*) quam, ut *Abbatia*, quæ ad *Ducatum* non pertinerent, & singularia haberent regalia, nec in religione, nec in redituum & bonorum possessione turbarentur: & *Ulricus*, ejusque hæredes masculi, sint *Ferdinandi*, tanquam *Austria* Principis, beneficiarii, & extincta forte familia *Württembergica*, *Austriaci* Principes eam regionem obtineant. Hoc posterius caput *Ulricus* indignissime tulit, tandem tamen persuasus ab amicis ad *Ferdinandum* ex pacto se contulit, & veniam petiit.

Tom. VI. Jen. Lat. fol. 433. b. Sleid. p. 242. seqq. Seckendorf. p. 75.

§. CCXCV.

Hanc pacificationem permolestè tulit *Pontificius legatus*, *Petrus Paulus Vergerius*, & cum *Ferdinando Rege*, nomine *Clementis* exposulavit, quod *Principes Lutheranos* in amicitiam rece-

*Transigitur
de eo cum
Ferdinando
Cadene.*

*Pacificatio-
nem illam
agre fert
Pontifex &*

rece-

pro causa
dilat. Conci-
lii urget.

recepisset: ille vero majoris vitandi motus causa, temporibus hoc se tribuisse respondit. *Roma* quoque Cardinalium plerique putabant, Lutheranis ea victoria elatis aliquid concedendum, neque diutius callide atque artificiose, sed sincere ac serio agendum: cumque Cæsar Concilium pollicitus sit, de promissis præstandis esse cogitandum; periculum enim esse, nisi Pontifex viam aliquam satisfaciendi commodam inveniatur, ut Cæsar aliam admittere cogatur, quæ rebus religionis gravius præjudicium, & Ecclesiæ plus detrimenti sit allatura. Verum Pontifex. & major Cardinalium pars animadvertentes, fieri non posse, ut Lutherani ulla Concilii conditiones accipiant Curia Romanæ conducibiles; sibi vero in alias consentire non esse honorificum, decreverunt Cæsari respondendum, exortis inter ipsum & Gallia Regem recentibus discordiarum seminibus, ac apertis inter alios Principes simultatibus, necessario providendum, ut ante Concilii convocationem, odiis depositis, animi reconcilientur. Dissidiis enim nondum oblitteratis, nihil boni effecturos, præsertim hoc tempore, Lutheranis armatis & victoria recens parata in selescentibus. Id ergo primum agendum esse, ut Pontifex ad conciliandam pacem inter Principes officium suum interponeret. Eandem hanc dilati Concilii causam jam ante *Clemens* literis d. XX. Martii ad Ferdinandum Regem, ac Principes & ordines Circuli Saxonici, datis, indicavit, quæ *Georgio Duci* vehementer displicuerunt, ut in Epistola ad *Vergerium* palam conqueritur, ac tanto magis requiri concilium ait, quia dissideant Germani, & obligari ad hoc Pontificem, si Pastor bonus esse velit, ut animam suam ponat pro ovibus: ad Gallum & Anglum, utpote hostes Imperii, non debere respici. Si patrimonio Ecclesiæ decem aureorum millia auferantur, bellum incipi à Pontificibus; nunc tot animarum causa nihil fieri, interim Luthero aliisque sectis robur accedere. Mortuus autem *Clemens* d. 25. Septembr. spem dubiam & fallacem Concilii sustulit.

P. Suav, p. 62. Seckendorf, pag. 73. f.

§. CCXCVI.

§. CCXCVI.

Clemens Pontifex successorem habuit *Paulum III. Farne-* *Paulus III.*
sum, qui videri volebat non, ad instar *Clementis*, Concilium *Pontif. se*
 reformidare, sed illud tanquam utile rebus Pontificiis potius *Conciliis &*
 deposcere & desiderare; quippe certus, ut *Venetus* ingenue *reformatio-*
 scribit, neque se cogi posse ad Concilium, modo, aut loco, re- *nis cupidis-*
 bus suis incommodo, constituendum, & ubi res postulabit, in *simum si-*
 Curia Romana, & reliquo ordine Ecclesiastico, satis esse virium *mulat.*
 ad illud impediendum. Judicabat etiam plurimum in eo esse
 momenti ad pacem in Italia conservandam, cujus ille perstu-
 diosus videbatur, quo pacate omnia administraret. Adhuc
 clare perspiciebat, hoc quasi integumento multa, quæ animo
 conceperat, posse obvelari; multa item, à quibus esset alienior,
 posse declinari. Itaque statim à creatione notum fecit omni-
 bus, utcumque in capita legum solito more juratum non esset,
 sibi tamen esse firmiter decretum, caput illud de convocando
 Concilio exactissime servare; quod in Dei gloriam, & Eccle-
 siæ beneficium cessurum probe cognosceret. Atque ejusdem
 mensis die XVI. in generali Cardinalium congregatione (Con-
 sistorium enim non dicitur nisi post Papæ coronationem) rem
 ipsis dilerte proposuit: validis contendens argumentis, neque
 firmam inter Principes Christianos amicitiam posse coire, ne-
 que hæreses extirpari, si Concilii denunciatio longius differatur:
 ideoque ipsis de forma ejus celebrandi mature considerandum.
 Tres etiam è Cardinalibus designavit, qui de loco, tempore, cir-
 cumstantiis consultarent: simul mandans iis, ut in primo à Co-
 ronatione Consistorio, sententiam suam expromerent. Atque
 ut initium daret contradictionibus, quas in rem suam vertere
 statuerat, subjunxit, quandoquidem decretum sit Concilium
 cogere ad ordinem Ecclesiasticum reformandum, multo esse
 æquius, ut Cardinales ab hoc ipso temporis puncto sui refor-
 mandi viam capebant, quam ut aliis eam curam relinquunt:

Rrr

neque

neque vel fructum, quem sibi certo spondeat, ex Concilio percipi posse, vel præcepta sancitaque Concilii quicquam valitura, nisi Cardinales præstantibus effectis præeuntes, familiam ducant. In primo Consistorio, XIII. Novembr. habito, & deinceps, sæpius reperit necessitatem reformationis Curia Romanæ, ac imprimis Cardinalium; quod alii pietatis studio & serâ voluntate, alii autem ea gratia dictum ab eo interpretabantur, ut Curiam & Cardinales excitaret ad vias, & Concilii disturbandi, & reformationis impediendæ investigandas; conjecturam inde capientes, quod è Cardinalium cœtu tres delegisset, qui nec religionis studiosissimi, nec iussa facere promississimi, sed omnium tardissimi ac pacatissimi essent. Quam suspicionem auxit, quando sequenti mense Decembri *Alexandrum Farnesium*, suum ex *Petro Aloïso*, filio notho, nepotem, & *Guidonem Ascanium Sforziam*, alterum ex filia notha *Constantia*, illum 14. hunc 16. annos natum, Cardinales creavit. Concilium tamen convocandi spe Germanos semper lactavit, vel elusit, ac eo nomine quoque è Germania evocavit *Vergerium*, ut, perspecto ejus statu, nuncios quaquaversum mitteret ad Principes: ipsum quoque *Vergerium*, monente Ferdinando Rege, remittendum esse placuit, qui generale Concilium promitteret, idque daret operam, ne quid astute vel captiose fieri putaretur, quod nimium Clementi acciderat, utque *Mantua* futurum Concilium, ac ibi de conditionibus agendum esse, diceret: imprimis autem attenderet, quam vellent actionis esse formam Protestantes, ut ea perspecta, modum illis deinceps præscriberet, atque leges, quibus minime venturos esse sciret. Mandaverat etiam, ut Principum animos in Angliæ Regem accenderet, cujus ditionem omnem in prædam dare cogitabat occupanti: videret demum, num qua ratione *Lutherus* & *Melanchthon* ab instituto dimoveri possent. Verum de his plura ad annum sequentem.

Sleidan. pag. 245. Suav. pag. 63.

§. CCXCVII.

§. CCXCVII.

In Gallia quoque motus varii exorti sunt. Tragediam *Motus in*
 excitarunt Aureliæ *Franciscani*, qui, ut purgatorio fidem face- *Gallia à*
 rent, novitium Monachum supra testudinem templi colloca- *Francisca-*
 bant, ut, cum nocturnæ preces haberentur, ingentem strepi- *nis exorci-*
 tum moveret, & se spiritum uxoris prætoris, quæ sine pom- *stis excitati.*
 pa, ut volebat, sepeliebatur, & muneris loco Franciscanis tan-
 tum sex aureos, pro sepultura in eorum templo dabat, damna-
 tumque ob nuper natam Lutheranam hæresin diccret, ac ef-
 fodiendum corpus significaret. Fraude detecta, cujus archite-
 cti erant Theologi doctores, rei Lutetiam deducti, & respon-
 dere coacti convictique recusarunt iudices, & privilegia sua
 jactabant; sed frustra, & de communi consilio lata sententia
 damnati sunt, ut Aureliam reducti & in carcerem conditi, pu-
 blice deinceps producerentur, & suum scelus ipsi profiterentur.
 Verum quia istis fere diebus gravis *persecutio in Lutheranos* in-
 cidit, quod Lutetiæ Parisiorum, & alibi, ac in ipso Regis pa-
 latio, noctu chartæ quædam affixæ reperirentur, in quibus de
 religione, deque Missa imprimis multa erant perscripta, ubi
 nonnulli per indicium, alii per suspensionem comprehensi, vivi
 combusti sunt, sententia in executionem non venit, ne, si quid
 gravius fieret, non tam illis debita pœna persoluta, quam or-
 dini facta injuria putaretur, & quicquid eis accideret, Luthe-
 ranis id jucundum spectaculum fore, judicabant. Prodiit ta-
 men libellus hoc tempore authoris incerti, Gallica lingua con-
 scriptus in Pontificios mercatores & caupones, quo Monacho-
 rum fraudes facete quidem sed graviter depinguntur & per-
 stringuntur. De his prolixè *Sleidanus* agit, qui vix alibi acrius
 insectatur errores & artes Monachorum, nec habuerunt *Maim-*
burgius & Varillasius, quod ei opponerent, teste *Seckendorffio*.

Sleidan. pag. 249. seqq. & pag. 246. seqq. Seckendorf. pag. 89. b.

Rrr 2

§. CCXCVIII.

§. CCXCVIII.

Motus Anabaptistarum in Belgio & Westphalia.
Anabaptistæ porro in *Belgio & Westphalia* motus concitarunt, & infano profus modo grassati sunt, *Monasteriumque* urbem primariam occuparunt. Ad eam obsidendam copiarum partem se mitturum esse, *Ferdinando Regi*, pactis *Cadanensibus*, *Hassia Landgravius* promiserat, ut & *Electo Saxonia*. Uterque etiam optima fide pacta executus est, licet Saxo ab *Electore Colonienſi & Ducibus Luneburgicis* moneretur, partem adversam non agere sincere; per latus enim *Monasterienſium* omnes *Evangelicos* peti, ac id agi, ut & ille *Episcopatus*, & *Archiepiscopatus Bremensis*, exemplo *Ultrajectensis*, in *Austriacam* potestatem redigeretur. Nihilominus *Electo* ad conventum *Confluentia* Kal. *Novembris* indictum, legatos mittit, ut cum *Principibus & civitatibus ad Rhenum & in Westphalia*, consilia adversus seditiosos jungerent, ac ipse ad *focerum Clivensem, & Brunsvigam*, ad *Luneburgicos & Hanseaticarum civitatum* legatos profectus nihil non egit, ut *petulantia Anabaptistarum* resisteretur, dato tamen ad respiscendum spatio. Scriptum etiam finito *Confluentino* conventu d. *XIII. Decembr.* fuit ad *Monasterienses*, ut *quieta consilia* admitterent, & *causam arbitrio Principum* permitterent. Verum hæc omnia frustra tentata sunt, & ut ex *sequentium annorum historia* patet.

Tom. VI. Alt. pag. 433. b. Sleid. pag. 244. & pag. 267. seqq. Seckend. pag. 76. b.

§. CCXCIX.

Similitas inter Lutherum & Erasmus.

Hi fere sunt motus publici. Inter *privatos* refero *similitatem*, quæ hoc anno recruduit inter *Lutherum & Erasmus*; dum ille per occasionem *Epistolæ* cujusdam amici, hunc graviter inculsat, quasi religionem *Christianam* in dubium vocet, rideat ac condemnet, quod ex *scriptis* ejus demonstrare voluit; in scribendo autem eum *flexiloquum* esse docet, qui sua eloquentia

quentia tyrannidem quandam exerceat. Id *Erasmus* ægerrime tulit, & acriter vindicavit; quia omnium rerum maxime timebat, ne gratiam & auctoritatem sua scripta amitterent. Sed cum ad personas magis quam religionis confessionem illæ lites pertineant, nihil opus est iis recensendis immorari. *Melanchthon* in Epistola ad Camerar. γεροντικὰ πάθη *seniles affectus* observat.

Tom. VI. Alt. p. 443. b. Sleidan. p. 239. Seckendorf. p. 77. b.

§. CCC.

Ad privatos motus forte etiam referre licebit, vel rationem potius motus sedandi continuatam *Philippi, Landgravii & Argentoratensis* Ministerii curam, de concilianda controversia Sacramentaria. Eam quippe ob causam *Melanchthon*, sub finem hujus anni, in Hassiam missus fuit, ut cum *Bucero* colloqueretur: quem abeuntem *Lutherus* de sua sententia scripto instruxit d. VII. Decembris, ac satis aperte significavit, Zwinglianos nobis plane contrarios in Sacramento esse, & nihil minus (quod male *Burnetus* è MS. refert, ac si nihilominus legeretur, cum *Lutherus* in Germ. habeat *in keinem wege thunlich* / ut notavit *Seckendorf*.) *utile videri*, quam novam & mediam constituere sententiam, qua & illi concedant, adesse vere corpus Christi, & nos largiamur, panem solum manducari. Nam præter conscientiam, considerandum omnino esse, quanta hic fenestra aperiatur quæstionibus & opinionibus, ad Epicureismum profuturis, ut tutius multo sit, eos simpliciter manere in suo signo. Edidit quoque *Lutherus* Epistolam *de Missa privata*, ad amicum, ut titulus præ se fert, vel potius, si argumentum spectes, de præsentia reali corporis & sanguinis Christi in S. Cœna, aut de utroque. Non enim ignorabat, quam vehementer irritasset *Pontificios*, edito libello ad annum præcedentem recensito. Cum vero intelligeret, esse, qui suspicentur aut metuant, ac si sententiam suam de Sacramento mutasset, vel mutaturus cum tem-

Tentata concordia de Eucharistia ab Hasso, ad quem Melanchthon missus est cum instructione Lutheri.

pore, & in hostium castra concessurus esset: licet indicto libello aperte palamque dixisset, se nequaquam Sacramentariis accedere, aut quidquam scripsisse, ad eorum errores stabilendum; tamen prolixiorum illum videri, quam ut omnes integrum perlegant: & quum hoc insigne artificium probe calleant hostes, ut ex suis scriptis quædam excerpant, & torqueant, suamque mentem obscurent, ideoque bonos quosque optare, ut istiusmodi calumniis os obstruat, & brevi epistola testetur, quod nihil prorsus commune habeat cum *Carlstadio*, *Zwinglio*, & sociorum erronea doctrina, nec unquam eidem assensurum. His rationibus inductum se *Megalander* ait, ut denuo constantem suam de Eucharistia sententiam repeteret, & declararet, se in ea ad mortem usque perseveraturum. Post quæ de Missa Pontif. agit, eamque gravissime impugnat, & sacrificos respondere jubet, an institutionem Christi servant, cum aliis ad satisfactionem dent & vendant Missam suam, id est, suum opus. Provocat quoque ad conscientiam adversariorum, qua pavidos esse, eoque minus metuendos sibi dicit.

Tom. VI. Alt. p. 161. b. -- 166. & pag. 335. seq. D. Leucht. antiq. Hesser. fid. pag. 63. Seckendorff. pag. 77. b. seqq.

§. CCCI.

*Exegetica
scripta. Enarrat. in
Esaïam.*

Inter scripta exegetica, quæ hoc anno edidit Noster, eminent *Enarrationes breves Esaïæ Prophetae*, ex prælectionibus illius A. M. D. XXXII. habitis festinanter exceptæ, collectæ, & accessione non contemnenda auctæ editæque hoc anno. *In his*, quod ex *Seckendorffio* breviter referam, tenuit scopum suum, probavit justificationem per fidem, monstravit verum bonorum operum usum; errores breviter arguit, tum Pontificiorum, tum fanaticorum, & quos cum his consentire aliquatenus putabat, Sacramentariorum: ad pietatem egregie suos hortatur: solatia etiam proponit; impiis vero & ingratis pœnas prædicat & minatur: eaque omnia cum nativa quadam simplicitate & perspicuitate,

tate,

tate, ut lectorem sine magno fructu non dimittat. Nonnulla Capp. *Spalatinus* Germanice reddidit, XXXVII. XXXVIII. & LIII. Tomo sexto Alt. inserta.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 294. b. -- 460. Tom. VI. Alt. pag. 342 -- 356. & 356 -- 373. Seckendorf. pag. 80. b. seq.

§. CCCII.

Similiter *Enarratio Psalmi XLV. eructavit cor meum &c. in Ps. XLV.* ex prælectionibus ejus A. 1532. collecta, hoc anno edita est, cuius Versionem D. *Georgius Major* A. 1537. composuit, quæ extat Tom. VI. Alt. Notabiliter dictorum excerpta habet *Seckendorffius*. Psalmi CI. *Misericordiam & judicium cantabo &c.* explicationē Germanicam dedit, miratusque est, hunc Psalmum à Clero & Monachis per tot secula cantatum esse, qui tamen ab eis intellectus non sit; cum alias de Principibus & Magistratibus non ita contemtim judicaturi fuissent. Dolet autem Magistratus abuti libertate Evangelica, quod omnia vincula legum & obsequii rumpant.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 461 -- 468. Tom. VI. Alt. p. 188 -- 215. 373 -- 432. Seckendorf. pag. 82. b. 84. seq.

§. CCCIII.

Homiletica scripta sunt: I. Conciones in Psalm. LXV. *Te Homiletica.* decet hymnus Dessaviae habitæ, z. in Caput XVII. Johannis, in quibus divinitatem Christi, contra impietatem Arianam ejusque renovatores, quos venturos prævidit, mascule propugnat. Statum etiam principalis tum controversiæ de traditionibus & legibus Ecclesiasticis operose tractat. Latine versa à *Vincentio Obsopæo* reperiuntur Tom. V. Lat. Wittebergenf. fol. 164 -- 213. 3. in 1. Cor. XV. Torgaviae, in sacello aulico, præfente ut plurimum Principe habitæ, itidem latine redditæ ab eodem *Obsopæo*.

Tom. VI. Alt. pag. 181 -- 215. ibid. pag. 219 -- 358. ibid. pag. 360. ff. Seckendorf. pag. 84. b. -- 86.

§. CCCIV.

*Incrementa
reformatio-
nis variis in
locis.*

Incrementa Reformationis qualia hoc anno fuerint, ex dictis facile colligi potest. In Germaniæ provinciis & urbibus plerisque satis quiete degebant Lutherani, multumque profuit promovitque cursum Evangelii, & fregit Pontificiorum insultus & machinationes, expeditio Philippi Landgravii in Ducatum Würtemberg. ejusque recuperatio, & secuta transactio Cadanensis. *Philippus Brunsvicensis* in Ducatu Calenbergensi reformationem publice exsecutus est, accito ex Magdeburg. urbe *Amsdorffo*, & constituto Ecclesiarum Ephoro *D. Gotschalco Grappio*. Hannoverani etiam, invito licet Principe suo *Erico*, puriorem religionem amplexi sunt, vocaruntque ex Westphalia *Rudolfum Mylium*, cui dedere collegam *Georg. Scarabaum*, ac deinceps reconciliati cum *Erico*, Urbanum Rhegium, ex *Ernesti* Ducis Luneburg. aula Cellensi acciverunt, cujus consilio rem Ecclesiasticam constituerunt. Pomeraniæ Duces, *Barnimus* & fratris ejus filius, *Philippus*, Comitibus Treptoviæ habitis, reformationem publice decreverunt, & ad Augustanæ Confessionis normam perfecerunt, usi *D. Bugenhagii* opera. *Hamburgenses* Smalcaldici fœderis protectionem implorarunt & impetrarunt, Londinum quoque, rogante Rege, miserunt legatos, interque eos *D. Apinum*, qui de religionis causa sententiam dicerent. In *Dania* & *Norvegia* sub Christiano III. *M. Tauffon* restituto in officium, annitentibus Hafniensibus civibus, purior religio caput rursus extulit. In *Anglia* quoque, cum *Henricus VIII.* jugum Pontificium excussisset, licet dogmata Romana præcipua, interque ea Missam retinuisset, ac in *Lutheranos* sævisset, via strata est ad reformationem postea secutam, & plurimis occasio data, ut veritatem Evangelicam, permixta Scripturæ S. lectione, & abrogatis aliquot abusibus, perciperent & foverent. Certe separatio Regis à sede Romana Protestantibus in Germania quædam commoda peperit, & saltem invidiam eorum minuit,

nuit, ac consilia Paparum in contemptum adduxit, ut *Seckendorffius* ait, cum Germaniæ, de corruptelis Ecclesiæ querenti, nullo modo gratificari vellent, non solum hujus magnam partem omnibus suis artibus recuperare non potuerunt, sed floridissimum, & sibi præ aliis obsequens & subjectum Angliæ regnum amiserunt. *Augusta Vindelicorum* Senatus, auctis expeditione Hassiæ Landgravii in Ducatum Württembergicum, animis, decrevit, ut una & concors religionis professio servaretur, & cum Canonici disputationem semel iterumque oblatam recusassent, totus cultus Missaticus in omnibus templis & sacellis abrogatus fuit, donec S. Scripturæ testimonio comprobaretur. Quo facto Canonici & Sacerdotes relicta *Augusta*, *Dillingam* petierunt, eoque sacra & thesauros suos translulerunt. Inde Senatus in omnibus templis concionatores Evangelicos constituit, & Monialium fana occlusit. Sub finem quoque anni præparatio facta est ad purgandam urbem à dogmate Zvingliano: patetque ex literis Landgravii ad Electorem d. 29. Decembr. hujus anni, *Melanchthonem* cum *Bucero Cassellis* congressum deprehendisse, *Augustanos* eandem cum Saxone & Hesso fidem profiteri.

Seckendorff, pag. 87. seqq.

§. CCCV.

De impedimentis Reformationis & persecutionibus pauca tangere placet. Fieri enim non potest, quin, prodeunte in lucem Evangelio princeps & regnum tenebrarum resistat. Hoc etiam hujus anni experientia docuit variis in locis, præsertim in Gallia, potissimumque Lutetiæ Parisiorum, unde PROGRAMMATUM & INSCRIPTIONUM annus ille, proverbiali quasi dicendi genere, in Gallia appellatus fuit. Eorum autem, qui constantissime tum fortissimeque pugnantes pro Evangelii veritate decubuerunt, præcipui fuerunt *Bartholæus Milonus*, paralyticus, juvenis, extrema membrorum

*Impedimenta reformat.
& persecutiones in
Gallia.*

Sss

omnium

in Germa-
nia.

omnium debilitate captus, lingua saltem brachiisque exceptis, tanto autem pietatis studio & fervore spiritus accensus, ut instituenti & monendi quemque nullum tempus omitteret, vivus combustus est. Eadem fata expertus est *Johannes à Burgo*, Mercator Paris. propter eandem religionis asserendæ causam, & *Nicolaus Valetonus*, quæstor ætarius apud *Nannetes Brittonum*, *Henricus Cuberonensis*, faber cæmentarius, *Stephanus Beatus Tornacensis*, Mercator, *Quoquillardus Vefontinus*, *Nicolaus Scriba*, *Johannes à Plasis*, & *Stephanus Burletus*, Atrebatenses, *Petrus Gaudetus*, eques Rhodiensis, ac *Maria Becaudella* è Pictonibus. In *Germania* obstacula sunt objecta ab *Henrico Brunsvicensi*, qui copias quasdam militum collegerat, approbante & scribente ad nonnullos ejusdem, ceu putabat, factionis proceres, ex Comitum inprimis ordine, Cæsare, eas summe necessarias esse, ad sedandos motus, qui instarent. In Ducatu *Mecklenburgensi* *Albertus*, à *Ferdinando* Rege incitatus & animatus, fratri *Henrico*, Evangelicæ doctrinæ intento, molestus fuit. *Anhaltini* quoque Principes à *Moguntino* & *Brandenburgico* Electoribus variis modis urgebantur, ut à reformatione abstinerent; sed frustra. *Bremenses* à vicinis infestabantur, capto eorum Syndico *D. von der Wpck* ab Episcopo Monasteriensi. Inter adversitates denique in causa religionis referendæ sunt hoc anno, quæ sub ejus finem inter *Electorem Saxonia*, & filium Ducis *Georgii*, *Johannem*, ortæ fuerunt lites, cum hic apud illum questus esset de *Luthero*, quod pro concione publice populum in genua procumbere & orare jussisset Deum, ut *Cardinalem Moguntinum*, & Ducem *Georgium*, tanquam sanguinarios, in orbem præcipitaret. *Lutherus*, cui exemplum epistolarum transmissum erat, respondit, certum se esse, quod contra *Moguntinum* in concione publice sit precatus, nescire tamen se, an *Georgii* quoque memoriam fecerit, quam post *Grimmensem* transactionem fere deposuerit; neque se penitire.

nitere, si dixisset; idem enim nunc dicere, & contra illum post-hac oraturum esse, periculo capitis sui.

Martyrolog. Hanov. edit. p. 237. seq. Seckendorf. pag. 87. a, b. ES pag. 90. b. 91. a, b.

§. CCCVI.

Anno M. D. XXXV. *Petrus Paulus Vergerius*, à Paulo III. Pontifice, ceu diximus, cum mandato peculiari in Germaniam remissus fuit, ad Protestantium animos de modo Concilii habendi perscrutandos, ut deinceps, quæ necessaria viderentur, reponeret. Singulatim autem ei mandavit, ut promissis & blanditiis ageret cum *Luthero*, aliisque reformatæ doctrinæ concionatoribus, ad eos in concordiam alliciendos. Inculcabat quoque Papa ubique *Cajetanum* Cardinalem, tanquam nimis durum ac rigidum, qui in conventu August. A. 1518. conditionem à *Luthero* oblatam, nempe, sc. si adversariis silentium imponatur, etiam taciturum, cumque ad retractionem adactus ad desperationem præcipitem egisset: testabatur insuper, displicere sibi *Leonis X.* acerbitatem, qua tamen aliorum magis impulsu quam suo apte ingenio usus fuerit: nec probare simulatam *Clementis* voluntatem de Concilio convocando, sed bona fide id cupere. Unde *Vergerio* mandatum dedit, ut id absque omni conditione Protestantibus offerret, *Mantuam* tamen, ut urbem commodam & ad Imperium pertinentem, proponeret. Quam candide egerit *Paulus*, non reticuit *Venetus*. Simulata certe & infida omnia fuisse, vel ipse eventus docuit. *Vergerius* igitur in Germaniam reversus, *Ferdinando* primum sua de Concilio mandata à Pontifice exposuit, & cum eodem tempore apud Regem esset *Landgravius Hæssia*, ei quoque Pontificis jussa renunciavit, qui sumto ad deliberandum spatio, tum nihil aliud respondit.

Tom. VI. Alt. pag. 890. b. Sleidan. pag. 252. Suav. pag. 64. seq. Seckendorf. pag. 94.

Ss 2

§. CCCVII.

*An. 1535.
Vergerius
Legatus
Pontificis
Germaniam
remissus de
Concilio in-
stituendo.*

*Vergerius.
Wittenber-
ga cum Lu-
thero collo-
quitur,*

A Ferdinando ad reliquos Principes Protestantes profes-
sus est *Vergerius*, idem illis persuasurus, Romam sincere Con-
cilium cupere, quod nemo eousque crediderat. Die VI. No-
vembri quoque Wittenbergam venit, à præfecto provinciæ
humanissime exceptus & in arcem deductus, sequenti Domi-
nica Lutherum, curru ex arce misso, ad se vocavit, qui co con-
scenso cum *D. Pomerano* ridens dixit: *en l'apa Germanus, &
Cardinalis Pomeranus! opus hoc Dei est.* Legatus, simulac ad-
esse eum intellexit, statim admisit, eique persuasum voluit,
apud Pontificem & Senatum Cardinalium magnam esse illius
existimationem, eoque dolere, ereptum sibi hominem, qui
fructum incredibilem adferre Ecclesiæ potuisset, si ad Dei se-
disque Apostolicæ cultum, studia contulisset, ac propterea
nunc ad eum recuperandum hoc diligentius incumbere. Eum
igitur etiam atque etiam considerare debere, quod doctrina
illa ante 18. annos nata innumerabiles mox sectas progenera-
verit, ex quibus tumultus populares orti, cum plurimorum ho-
minum exitio, unde colligi queat, eam à Deo, omnium bono-
rum fonte, non esse profectam. Cum autem rerum perturba-
tio eo usque progressa sit, ut in remediis adhibendis non sit am-
plius cunctationi locus, Pontificem decrevisse primo quoque
tempore Concilium indicere, ac penes Lutherum esse, ope-
randi facilitatem dare remedio, si non recuset Concilio inter-
esse, amice agere, & Pontificem sibi devincire, qui doctus sit
bene meritis præmia rependere, æque ac antecessores ipsius
nonnulli, qui *Aneam Sylvium, Bessarionem* aliosque ad sum-
mam dignitatem evexerint. *Lutherus* ad hæc, more ingenii sui,
oratione vehementi intrepide respondit, sua parum referre,
quo apud Curiam Romanam sit loco, ejus nec odium exti-
mescat, nec benevolentiam requirat. Negat suam doctrinam
aut novam esse, aut sectas procreasse. Id vero Evangelio esse
pecu-

peculiare, ut ubicunque prædicatur, turbas concitet. Ut Concilium bene vortat, non in sua unius potestate situm, sed magis Pontificis, si illud liberum permittat, ut solus Dei spiritus ibi præsideat & regat, & ad Scripturæ S. amussim controversiæ dijudicentur. Se Româ nil posse accipere, quod cum Evangelii ministerio aliqua consensione respondeat. Nec hilum moveri *Anea Sylvii & Bessarionis* exemplis, quem splendores isti tenebricosi non percellant. Hæc ex *Veneto* excerptimus, cujus fidem rei que veritatem frustra in dubium vocat *Pallavicinus & Maimburgius*, quemadmodum *Seckendorffius* ostendit, ac citat relationem Colloquii *D. Lutheri* cum *Vergerio*, insertam scriptis *Lutheri* Germanicis hujus anni.

Tom. VI. Alt. pag. 492. b. 493. a. P. Suavis pag. 65. Seckendorff. pag. 95. seq.

§. CCCVIII.

Electorem Saxoniam in Saxonia *Vergerius* compellare tum quidem non potuit, Viennam ad Regem *Ferdinandum* euntem, sed tamen domum revertentem, Pragæ offendit, ibique, exposita Pontificis serâ voluntate de concilio cogendo, petit, ut Elector, quod ad locum attinet, consentiat, & ipse veniat. Ad quæ Saxo breviter respondet, se paratissimum esse ad concilii liberi promotionem; quia vero in Germania habendum Principes & Ordines Imperii semper contenderint, sine eorum consensu ab eo discedere, sibi haud licere: securitatem etiam adeundi & redeundi præstandam esse. Ad hæc *Vergerius* excepit, postulatum tantum in Comitibus sed non conclusum esse, ut concilium in Germania haberetur, & Cæsari aliisque nunc Mantuam placere: ad securitatem impetrandam, omnem operam se collaturum promisit, at hæc explicari clarius, simulque ad breve & secretum alloquium admitti se, petit. Annuente Electore, primum retulit, Regem Galliarum jam Mantuam probasse, & sic majorem esse sperandam Concilii libertatem, cum multos

et Pragæ
cum Electro
re Saxo

Prælatos ex eo regno esset adducturus: idemque placere omnibus Germaniæ Principibus. Deinde significavit, quid cum *Luthero* egerit *Wittenberga*, & quomodo jactanti concilium suo suorumque causa non esse necessarium, cum sanam salutaremque doctrinam, & juxta hanc bene constitutas Ecclesias haberent, sed propter exteros, ut ad eos quoque doctrina sua perveniret, exprobraverit hanc jactantiam & persuasionem, quasi non errare posset, & sapientior sanctiorque esse velit, quam tot Concilia & Patres, totque docti viri per orbem dispersi, non minus fideliter nomen verbumque Dei profitentes. Porro Electorem monuit, ne uni viro innitatur, qui errare & à quo decipi queat. Elector iterum regessit, se credere, quod Cæsar ejusque frater, sine gravi causa à decretis Imperii, quoad Concilium, non sit recessurus, & *Luthero* assentire, exterorum magis quam Protestantium causa expetendum esse concilium.

Tom. VI. Alt. p. 493. b. -- 496. Sleid. p. 253. seq. Seckend. p. 97. b. seq.

§. CCCIX.

Protestantium è conventu Smalcald. responsio ad Vergeri-um.

In eandem fere cum Electore sententiam respondent *Vergerio* Principum & civitatum Protestantium legati, *Smalcaldix* mense Decembri congregati, quibus Elector miserat, quæ *Vergerius* sibi *Praga* discedenti exhibuerat, nimirum, se, ut jam ante sæpius declaraverint, expetere liberum Concilium in *Germania*, & omnino sperare, Cæsarem in hoc non esse discessurum ab Imperii decretis, aut suis promissis. Nullo periculo veniri posse in *Germaniam*, ubi Principes omnes & civitates uni Cæsari pareant fideliter, & exteros ab omni injuria defendant; ibi adeo libere & ordine disceptari controversias posse, neque per vim aut factiones absterri viros bonos, quo minus aperte ac palam dicant suam sententiam. Quod de modo seu forma & ordine concilii non nisi in Conventu ipso dicatur esse tractandum, id haud obscure significare, nullam ibi fore libertatem, sed omnia referenda ad Pontificis nutum, qui, cum religionem

Luthe-

Lutheranam aperte condemnauerit non semel, satis prodiderit, se nostrum aduersarium esse, adeoque iudicem hac in causa esse non posse. Quæsitum ergo & promissum fuisse liberum Concilium, in quo communi electione Imperatoris, Regum, Principum & Procerum, ex omnibus ordinibus viri idonei, non obnoxii, deligantur ad audiendum & decidendum secundum verbum Dei. Concilia enim non esse tribunalia Pontificis solum, sed & aliorum ordinum hominum in Ecclesia, ut ex veteris Ecclesiæ exemplis constet, in quibus Principes alique viri Christiani ad audiendum admissi sint. Frivolum ergo & tyrannicum esse, Papam supra omnem Ecclesiæ potestatem evehere. In conciliis enim etiam Cæsaris, Regum, Principum, aliorum piorum & honestorum ex Christianis hominum potestatem valere debere, & deligendos esse ex illis viros idoneos ad audiendum & iudicandum, in illis maxime causis (ut jura Pontificia etiam exigunt) in quibus Pontificis vitia & errores arguantur, falsus nempe cultus & doctrina. Talia negotia communia toti Ecclesiæ Christianæ esse, & obligari Reges & Principes, ut legitimum iudicium procurent, multos enim Episcopos olim per Ecclesias suas, & quosdam per Cæsarem & Ecclesiam condemnatos fuisse. Manifestum vero esse de magnis capitibus nunc controverti, de falsitate cultus & doctrinæ, quam Pontifex non doceat saltem, sed crudelibus edictis ruceatur, sæviatque contra eos, qui abusus illos non probent. Repetunt deinde postulationem liberi Concilii, quale describunt, eoque recusato, protestantur de innocentia sua, si maioribus turbis & distractionibus Ecclesiæ affligeretur, se vero non de futuros affirmant ad promovendam utilitatem publicam, pacem & concordiam. Concludunt, se non posse à doctrina recedere, quæ ad gloriam Dei spectat, per dictum Christi, Matth. X. 32. *qui confitetur me coram hominibus &c.* In cæteris moderationem se & lenitatem ostenturos pollicentur, ut appareat, se concordiam
veh-

vehementer cupere. In hanc Protestantium responfionem veteres novique Romanæ hierarchiæ defensores irruunt certatim, eamque operose destruere laborant, quos & nominavit & refutavit prolixè solideque *Seckendorffius*.

Tom. VI. Alt. pag. 506. seq. Sleid. pag. 255. seq. Suav. pag. 67. seq. Seckendorf. pag. 99. & pag. 100. b. 101.

§. CCCX.

*Regis Gallia
legati ora-
tio ad Pro-
test. Smal-
caldie,*

Ad eundem Smalcaldiæ Conventum, ideo à Protestantibus institutum, ut deliberarent de securitate & pace firmanda, quæ infringi infirmarique ferebatur à Cæsare & Ferdinando Rege, variis rumoribus, licet uterque cum literis, tum legationibus hanc suspicionem amoliri studebat, *Rex Gallia & Anglia* legatos miserunt; ac ille quidem, post literas Kal Februarii ad Principes & Ordines Germaniæ scriptas, *Guilielmum Bellajum, Langæ Dominum, Consiliarium & Cubicularium suum intimum*, qui primo operose excusavit supplicia in Lutheranos, ut paulo ante dictum fuit, statuta, cum non fuerint, quos illi pro suis reputare possent, ratione religionis, aut nationis, sed hæretici, scelesti, seditiosi, quietisque publicæ turbatores. Deinde affirmat Regem solere de ipsis amanter & perhumaniter loqui, atque agnoscere quædam ab illis sanctissime declarata esse, moderatius tamen facta nonnulla optare, præsertim in ceremoniis. In privato etiam colloquio cum *Pontano, Melanchrone, Jacobo Sturmio, & Landgravianis*, falsus est, Regem in articulis de primatu Papæ, de Cæna Domini, de Missa, de mortuorum invocatione, de libero arbitrio, de justificatione, de conjugio sacerdotum, de votis monasticis, non esse alienum à *Philippi* sententia, quam in Locis Communibus expressit. Regem concilium omnino cupere, sed rogare, ne quem locum concilii recipiant, nisi de sui & Angliæ Regis consilio, & ut, dum de loco & tempore concilii disceptatur, illi ex Theologis suis quosdam in Galliam mitrant. Denique eos valde sollicitabat, ad ineundum cum

Rege

Rege suo fœdus. Ad singula Protestantes respondent, acci- *Ad quam*
piuntque excusationē suppliciorum in seditiosos, si tales fuerint, *respondent*
& rogare se Regem dicunt, det operam, ne promiscue sæviatur *Protestantes*
in omnes, & ut illi serventur, qui demonstratis erroribus, pu-
ram Evangelii doctrinam in Aug. Confess. expressam, profi-
teantur; multa enim crimina confingi solere in homines pios
& innocentes. Dissidium acerbum natum esse ex adversario-
rum obkinatione, qui doctrinam Evangelii acerbissime con-
demnarint, & hoc solum nunc agant, ut, cum de forma & mo-
do concilii tractari nolint, & extra fines Imperii illud indicant,
sub nomine Concilii veritas opprimatur. Obsecrare igitur se
Regem, efficiat, ne violentum cogatur concilium in loco su-
specto & periculoso. Quod de communicatione doctorum ho-
minum legatus adduxerit, opus habere magna deliberatione,
qua de re, utpote improvisa, cum plerique nullum habeant
mandatum, renunciaturos se regi per literas pollicentur, ubi
primum aliquid constitutum fuerit; nil magis enim se cupere,
quam ut doctrina salutaris quam longissime propagetur. *Maim-*
burgius ea, quæ inter *Longæum* & fœderatorum Principum
consiliarios Theologosque acta sunt in privato colloquio, &
Sleidanus fideliter ex archivis & scriniis Principum, retulit, im-
pudenter falsitatis arguit, cui opponit *Seckendorffius* relatio-
nem *MS. Spalatini*, ex qua haud dubie quoque desumpta sunt,
quæ in brevi relatione actorum hoc anno de *Luthero* ejusque
doctrina diserte in eam sententiam narrantur. *Melanchthonem*
vocatam jam antea esse regis literis, certum esse, idem ex *Ca-*
merario ostendit. Suasit *Lutherus* iter, sed *Electo* renuit.

*Tom. VI. Alt. pag. 890. Sleidan. p. 260. seq. Pezel. in Collect. Concil.
Melanchth. P. I. pag. 214. ff. Seckendorff. p. 104. b. 105. 106.*

§. CCCXI.

Angliæ Regis Legati, *Eduardus Foxus*, *Episcopus Herfur-* *Anglia le-*
tensis, & *Nicol. Heyth*, Archidiaconus, quibus se junxit *Barnes*, *gati oratio,*
T r r t e s t a t i

testati sunt, Regem suum optime erga Saxoniam Electorem ejusque socios affectum esse, praesertim cum hoc eos imprimis agere videat, ut pura Dei cognitio ad alios quoque propageretur, & cupere etiam, ut verus Dei cultus, abrogatis abusibus & abolitis veniis seu naeniis indulgentiarum, ceu in Anglia factum, restituatur, & ad eam rem perficiendam & tuendam non recutare sese ipsis conjungere. Pontificem autem hoc agere totis viribus, ut ejusmodi pacem & concordiam, quae firmo Scripturae fundamento nitatur, impediatur & evertatur, nec perveniri ad conciliationem posse, quoad illius saevitia & dominatus duret, etiamsi concilium simulet, in quod ne consentiant prius, quam publica pax orbis Christiani constituta sit, Rex petat, atque ut in posterum sibi liceat de his rebus privatim cum delectis aliquot conferre; sic enim animatum Regem erga religionem & ipsos esse, ut omnes suas fortunas atque seipsum eo sit impensurus. *Protestantes* respondent Legatis, gratum sibi esse, quod Rex è finibus suis Papae tyrannidem (unde dimanavit omnis falsus cultus) eliminavit, ejusque astum de Concilio detexerit, Deumque precari, ut pergat: se in doctrina Augustae professam constanter perseveraturos, & nullo periculo parcituros, ut ea cursum suum retineat, & delegisse quosdam, cum quibus conferre de religione prolixius possint.

Protest. respond.

Tom. VI. Alt. p. 890. c. Sleidan. p. 263. seqq. Seckendorf. p. 110. seqq.

§. CCCXII.

Regem Galliae & Angliae in foedus non recipiunt.

Tametsi vero Galliae & Angliae Rex Protestantes per legatos suos magno studio sollicitavit de foedere secum ineundo; non tamen statim, prout putavit, obtinuerunt, quia Nostri semper Caesarem exceperunt, adversus quem nihil faciendum sibi esse demonstraverunt, cui utrumque Regem adversari sciverunt. Neque eos latebat, Angliae Regem praecipue causam matrimonii sui respexisse, & in ea non solum Theologorum Wittenbergensium approbationem, sed & confœderatorum

torum

torum societatem ideo quæsiuissè, ut Cæsari injuriam materteræ vindicaturò, tanto fortius resistere posset. Nec moveri persuaderi se passus est Elector Saxon. postquam Legati Anglici secretum, ut ferebant, ei reuelarunt, narrantes Legatum *Henrici Wiatum* ex aula Hispanica retulisse, Cæsarem vehementer infensum ei & Hasso esse, eosque hostes & rebelles suos vocasse, cum ad *Wiati* expostulationem (quod *Polum* Cardinalem ab Henrico proscriptum admisisset, & benigne tractasset) excanduisset. Urgebat etiam hoc Elector, prius exacte de articulis religionis cum Rege conveniendum esse. Hanc tamen conditionem *Landgravius* in deliberatione, *Northusæ* hac de re instituta, mitigandam esse contendebat, & fœdus iniri volebat, licet in quibusdam capitibus fidei Anglus dissentiret, modo contra Pontificem & pro libertate Concilii ac decisione controversiarum ex S. Scriptura consilia & vires jungeret. Interim Elector per legatos suos cum sociis id agebat, ut splendida legatio in Angliam mitteretur; ejustamen loco literæ solum scriptæ sunt, quibus petebant Protestantes, ut Rex mentem suam de articulis, de quibus inter legatos ejus & Theologos *Wittenbergenses* conventum fuerat, ac de Concilio, cujus indictionis fama jam incebuerat, aperiret. Cæterum pridie Natalis Christi decretum factum, quo fœdus in annos decem prorogatum, de reliquo apparatu constitutum & decretum est, recipiendos esse qui velint & cupiant, modo Augustanam Confessionem profiteantur, & sortem communem subeant: in his erant *Pomerania Principes*, *Ulricus Würtembergicus*, *Rupertus Palatinus Bipontinus*, *Guilielmus Nassovius*, *Augusta*, *Francosurtum*, *Campodunum*, *Hamburgum*, *Hannovera*.

Tom. VI. Alt. p. 890. c. Sleidan. p. 261. Seckendorf. p. 103. & 112. seq.

§. CCCXIII.

Hoc anno toto *Anabaptista Monasterienses* in furore persecrerunt, & dignas tulerunt infantiæ pœnas, decepti à Rege suo, *Anabaptista Monast.*

Ttt 2

Johan-

expugnati *circidati.* *Johanne Leidenſi*, qui toti multitudini promiferat fore, ut ad
 Palcha liberentur ab obſidione ſimul & inopia. Occupata enim
 urbe ille captus miſere cruciatur, palo alligatus, & extinctus cum
 ſociis, caveis ferreis illigantur, & ad ſummam turrin penſiles
 exponuntur. *Lutherus* duobus hoc anno ſcriptis eorum ca-
 lumnias & furorem repreſſit, juſtaque cenſura proſecutus eſt.
Lutheri
contra eos
ſcripta. Primo *praefationem* fecit ad *Urbani Regii conſutationem Mona-*
ſterienſium novorum Valentianorum & Donatiſtarum, qua & A-
 nabaptiſtarum & Papiſtarum convicia in ſe jacta refellit; illo-
 rum quidem, quando clamabant, Lutherum ipſo Papa dete-
 riorem & duplicem Papiſtam eſſe; horum vero, dum eum pro
 omnium fanaticorum primario habent. Sed neutri, inquit,
 ſcopum feriunt; aberrabunt enim perpetuo omnes, & irride-
 bit vanos jaculatores, qui habitat in caelis, *Pſal. II.* & conſola-
 tur ſe ſuosque dicto *Chriſti Matth. X. 25.* Deinde aliam praef-
 miſit praefationem *auf die neue Zeitung von Wünſter* / qua deplo-
 rat perditos illos homines, à cacodaemonibus miſere agitados,
 & Dei miſericordiam celebrat, quod Satanæ imperum adhuc
 coerceat, neque laxiſ habenis illum graſſari permittat, & tur-
 pitudinem ruditatemque ejus manifeſtet. Optat igitur ut nul-
 lus in orbe terrarum aſtutior ſit diabolus, quam ille Monaste-
 riensis, cujus dogmata perſtringit abſurda, quantum ea ex no-
 vae ſectæ libellis tum in vulgus ſparſis perſpici poterant, de
 fide, de Chriſto, de Pædobaptiſmo, reſno tyrannico, matri-
 monio &c. ſtatuebant enim neminem Chriſtianum, neque ma-
 giſtratum, neque adeo conjugem legitimum fuiſſe, niſi rebapti-
 zatum; quo modo ſeipſos omnes pro ſpuriis & illegitime natis
 ſtolide declarabant. Conciones quoque Noſter ad eos refellen-
 dos habuit, quas poſtea typis publicari permittit, quæ in tres
 partes diviſæ extant, & Latine verſæ etiam ſunt.

*Tom. VI. Alt. p. 436 -- 460. 477. b. -- 480. Sleidan. p. 278. ſeqq. Se-
 ckendorff. pag. 114. ſeq.*

§. CCCXIV.

§. CCCXIV.

Oppressis ita & refutatis seditiosis Anabaptistis, (nam ob errorem in fide nemini bona conscientia mortis pœnam inferri posse, quia hæc in nullius potestate, sed purum Dei donum sit, recte sentiebat Landgravius, & metuere se etiam exemplum hujus rigoris dicebat, in Evangelicos redundaturi; Elector quoque Jureconsultos Wittenbergenses, qui tribus Anabaptistis pœnam capitis decreverant, acriter reprehendit) *Lutherus* perrexit strenue in oppugnandis Pontificiis, & confirmandis Evangelicis. Hoc nomine edidit *commentarium in Epistolam ad Galatas*, quem ex legentis ore studiosi exceperant, maxime *Georgius Rorarius*, Diaconus Wittenberg. ipse vero revidit, & præfationem addidit, consiliumque sibi (Tom. IV. Jen. Lat. fol. 175. b.) præcipue fuisse scripsit, ut inter enarrandum *Articulum de justificatione* quam clarissime traderet, qui unus in suo corde regnet. In *præfatione* prolixius dolet, tanta monstra vel in solis Anabaptistis prorupisse, in quibus vere Satan, tanquam extremum halitum regni sui efflaturus, horribilibus motibus suos ubique exagitet, & quasi vellet per eos subito, non solum seditionibus orbem subvertere, sed etiam per innumeras sectas totum Christum devorare. Paulo post observat *Papistas & Anabaptistas* conspirare hodie in unam hanc sententiam concorditer contra Ecclesiam Dei, etsi verbo dissimulent, quod opus divinum pendeat ex dignitate personæ. Sic enim, inquit, docent *Anabaptista*, Baptisma nihil est, nisi persona sit credens. Ex hoc principio necesse est sequi, omnia opera Dei nihil esse, si homo non sit bonus. Baptisma autem est opus Dei, sed homo malus facit, ut non sit opus Dei. Ex hoc ultra sequitur, Conjugium, Magistratus, Servitus, sunt opera Dei; sed quia homines sunt mali, ergo non sunt opera Dei &c. Sic & *Papista* non cessant urgere usque hodie opera & personæ dignitatem supra Gratiam, & fratres suos *Anabaptistas* (saltem verbo) fortiter juvare.

juvare. Caudis enim sunt conjunctæ istæ vulpes, sed capitibus diversæ. Fingunt namque se foris magnos hostes illorum, cum tamen intus vere idem sentiant, doceant, ac defendant, contra unicum illum Salvatorem *Christum, qui solus est justitia nostra.*

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 1 -- 193. Tom. V. Alt. p. 509 -- 890.

§. CCCXV.

*Theses con-
tra Concil.
Constan-
tense.*

Publicavit etiam *Lutherus* hoc anno *theses* contra *Concilium Obstantiense*, ut vocat, eoque *Constantiense* indigitat, quia in eo decreta erat sacri calicis ablatio, hac clausula: *non obstante Christo & Ecclesia.* In *presutione* Jesum Christum sollicitat, ut tandem evigilet, & meretricis *Babylonicæ* pudenda detegat, seductis & ex ignorantia peccantibus remittat, obstantes autem & repugnantes visitet, nec misereatur omnibus, qui operantur iniquitatem. *Theses* sunt CXCIV. fatis acres, sed veræ, ut vel ex principio patet. Primæ enim *theses* his conceptæ sunt verbis: *hoc tempore non licet querere: fasne sit an non, mandatum Christi de utraque specie servare, vel ommittere? sed: an Christianum sit, vel non, homines vi adigere contra mandatum Christi? & an Christi mandatum heresis, & Christus ipse cum omnibus, qui jussa ejus observant, heretici sint ac vocari debeant? Christi mandatum negligere, peccatum est, & obrepere negligentia etiam interdum sanctis potest, ut fieri potuit, ubi Ecclesia diaboli astutia specie utraque fuit orbata, priusquam sensit; at Ecclesia vera non cogit homines à Deo ejusque verbo discedere, sed eo potius adigit & impellit.*

Tom. VI. Alt. pag. 480. b. -- 487. b.

§. CCCXVI.

*Articuli
falso jaçtati
de concordia
cum Pontif.
explorati.*

Circumferebantur *nonnulli Articuli*, à *Papistis* nuper ad modum depravati, quibus *consensus Lutheri & Collegarum* cum *Pontificiis* jaçtatur, & via atque media ad concordiam venditabantur, *de traditionibus & ceremoniis, de Confessione, de Justificatione, de Missa & utraque specie Sacramenti, de invocatione Sancto-*

Sanctorum, de votis Monasticis & Cœlibatu Sacerdotum. Conveniebant fere media cum iis, quæ Melanchthon in Galliam scripserat, sed maligne alicubi depravata sunt. Lutherus Epistolam ad *Brixium Thonoverdam & fratres Ecclesiæ Susatensis* propterea dedit, eosque monuit, ne imponi sibi sinant ejusmodi fucis & fraudibus adversariorum, in quibus sæpe quidem deprehensi sunt, nunquam tamen erubuerint; nihil autem his quidquam eos effecisse. Fatetur in Comitibus Augustanis multa Pontifici oblata esse, etiam à se ipso, in commonitione sua ad Ecclesiasticos, ac nominatim, ut Papa sit, qui esse velit, ea lege & conditione, si Pontifex Evangelii doctrinam liberam & puram permitteret, atque promoveret, ut teneretur facere ratione officii, & se adhuc in ea persistere opinione; sed vereri ut hanc conditionem accipiat, cum facile subodoretur, si id faceret, Papam se mansurum non esse. Suadet igitur Susatensibus ministris, ut idem respondeant iis, qui articulos istos depravatos objiciant. Addit, videri sibi quosdam hoc agere jactatis istis articulis, ut discordiæ semina inter se & collegas spargerent. Verum sperat se divina ope evasurum, constanter in Confessione suæ fidei sæpius edita perseveraturum, ac nunquam cum Pontifice concordiam initurum esse, nisi is Evangelium ab se agnitum & prædicatum acceperit.

Tom. VI. Alt. pag. 496. b. - 499.

§. CCCXVII.

Extat etiam *indictio sancti & liberi Concilii*, qua Papæ *Indictio* abominabilis doctrina, turpis vita & tyrannis acerbe accusatur, per D. M. L. facta sub persona Spiritus Sancti, veri Dei *concilii libe-* & supremi Domini ac gubernatoris S. Christianæ Ecclesiæ. *ri sub per-* Videtur autem ad superiora tempora pertinere, quia Papæ *sona Spiritus* *S. composita* *à Luthero.* *mentis* mentio fit, qui sine voluntate & consensu Spiritus S. ex proprio sensu & cupidine dominatus in Ecclesiam Christianam per Simoniam & varias fraudes impudenter ac nefarie curam

ram

ram animarum invaserit, & sacrilege se vicarium Dei in terris jactitaverit, interea vero horrendas abominationes in perniciem innumerarum conscientiarum, per falsam suam & blasphemam doctrinam, & corruptissimam vitam invexerit, tyrannidem in pios & innocentes Christianos quamplurimos exercuerit, igni ferroque vastitatem passim intulerit, & Ecclesiam sanguine innoxio, tanquam instrumentum & mancipium Satanæ, patris omnium mendaciorum, & autoris homicidiorum, impleverit, & adhuc in sceleribus tantis pertinaciter perseveret, licet plurimi boni, interque eos etiam Carolus V. Imperator, Concilium liberum serio flagitaverint, quo scandala e regno Christi tollantur, falsa dogmata & vitia in capite & membris emendentur. Hinc motum Spiritum S. (quem loquentem inducit) precibus filiorum suorum dilectorum, & omnium Christianorum, habito cum Patre & Filiis consilio, presentibus omnibus angelis, statuisse ex divina potestate, immediate, & quamprimum universale, liberum ac Christianum Concilium indicere & convocare, in quo ipse presideat, causas Ecclesiæ & religionis audiat, & ad beatum certumque finem deducat. Publice itaque illud promulgari, & evocari omnes atque singulos Christianos, ut certo certius compareant, nil pensi moderatique habentes omnia Romana interdicta, decreta, fulmina, artes & fraudes &c.

Tom. VI. Alt. pag. 499. seqq.

§. CCCXVIII.

Reformationis progressus in Ducatu Wurtembergico.

Quos progressus in opere Reformationis & purioris doctrinæ propagatione observare liceat, ex dictis nullo negotio colligitur. Quædam saltem sive vestigia sive indicia hic notabimus. In Ducatu Wurtembergico *Ulricus* Dux cœptam superiore anno religionis curam continuavit, usus opera *Erhardi Snepfii*, Marpurgensis Professoris, à Landgravio, & *Ambrosio Blaureri*, à Constantiensibus, *Johannis Brentii*, ab Hallensibus, *Matthæi*

Matthæi Alberi, à Reutlingensibus, & *Valentini Vannii*, à Georgio, Marchione Brandenburg. missorum: & quia conservacionem antiqui status in Monasteriis Dux in pacto cum Ferdinando Rege promittere coactus fuerat, media quadam via incessit, & sacra Pontificia in monasteriis abrogavit, Evangelicosque ministros constituit; monachis autem, & qui manere, & qui abire, aliudque vitæ genus instituere in Ducatu volebant, alimenta præbuit: manentibus præscripsit, ut sacras literas legerent, psalmos canerent, Missam & Confessionem illam coactam omitterent, & pro cucullis aliis vestibus honestis uterentur. Non deerant quidem impedimenta, partim à plebe rudi vetustis ritibus inhaerente, partim ab Episcopis vicini *Constantiensi*, *Augustano*, *Spirensi*, *Wormatiensi*, & *Wurzburgensi*; pervicit tamen constantia Ducis, & postea emendatius cuncta fuere constituta ab ejus filio, *Christophoro*.

Seckendorff. pag. 122. seq.

§. CCCXIX.

Hoc anno quoque Augustæ dissidia super articulo de S. *Concordia*
 Cœna exorta, & per aliquot annos protracta, feliciter sunt com- *inter Augu-*
 posita, & inita concordia inter ejus urbis ministerium & Theo- *stanos ex*
 logos Saxonicos, annitente cum primis & promovente nego- *Saxonicos*
 tium *Luthero*. Cum enim *Melancthon* ex Hassia, quo sub finem *Theologos*
 anni superioris à Landgravio vocatus erat, hac ipsa de causa, *de S. Cœna.*
 retulisset, qua ratione *Bucerus* aliique suam mentem expo-
 sissent, *Lutherus* ab Hassiæ Principe dicere sententiam jussus,
 respondit, se concordiam non recusare, cum ex *Philippo* intelle-
 xisset, 1. concionatores illos Suevos pollicitos esse, se juxta for-
 mulam Augustanæ Confess. & Apologiæ docturos, 2. cum
 aperte confiteantur, Christi corpus vere & substantialiter in S.
 Cœna distribui, accipi & manducari. 3. Prudenter judicavit,
 cum controversia late sparsa sit, ita ut pauci credituri sint, dis-
 sidentes hæcenus per omnia consentire, moram aliquam inter-
 Uuu ponen-

ponendam esse, donec plena sanciatu concordia. Causam esse communem, non suam, nec privati alicujus, ideoque tempore indulgendum esse & amicis colloquiis, ut manifestum fiat, an pure & orthodoxe sentiant, aut subdoli quid foveant; ne concordia deinceps major discordia fiat. Mense Julio Augustanus Senatus D. Gereonem Satlerum, Medicum, & Caspar Huberinum, literis instructos, ad Lutherum misit, quibus & certam concordia: spem confirmabat, & Urbanum Regium rursus petebat seniore Ministerii. Lutherus ad hæc respondet, lætissima sibi fuisse, quæ legati nunciassent, & ad concordiam offert omne suum studium, cum perspiciat, quod serio agerent. Regium à Duce Luneburgensi, cui, Augusti An. 1530. pulsus, operam suam addixerat, obtineri non potuisse; alium tamen idoneum virum se inventurum & missurum pollicetur. Eundem affectum sincerum & gaudium de concordia: spe certa testatus est in Epistola ad Ministerium ejus urbis.

Tom. VI. Alt. pag. 434. a. pag. 488. a. fol. 890. c. Seckendorf. p. 124.

§. CCCXX.

Cæsaris litera severe ad Protestantes.

Hunc Evangelii cursum Pontificii impedire & sistere studebant, eamque ob rem Carolum V. ab expeditione Africana, postquam Guletam & Tunetum expugnasset, atque viginti Christianorum captivorum millia liberasset, Neapolim redeuntem, instigarunt, ut ultima die Novembris literas satis severas ad Protestantes daret, iisque exprobraret, quod bona Ecclesiastica invadere ausi essent, & cum in judicium propterea vocentur, pacem illam & transactionem Noribergæ factam, obducerent, nec ablata restituerent: quod sibi minus æquum videretur, & non possit non esse molestum atque grave. Sed nostri respondent anno sequenti, ut mox videbimus.

Tom. VI. Alt. fol. 890. c. Sleid. p. 253. Seckendorf. p. 125.

§. CCCXXI.

An. 1536.

Vergerius initio anni M. D. XXXVI. ad Pontificem reversus

sus

sus renunciavit, Protestantes fretos promissionibus Cæsaris, *Carolus V.*
 Concilium liberum postulare, intra fines Imperii. De *Luthero* *Roma cum*
 ac fociis nihil spei esse reliquum, nisi continuo armis oppri- *Papa vulpe*
 mantur. Ille, ubi operæ navatæ præmium Episcopatum *Capi-* *vulpinan-*
is Istria in sua patria tulisset, à Pontifice *Neapolim* transcurrere *dum censer,*
 jubetur, ad hæc ipsa referenda Cæsari, quibus intellectis sta- *Concilium*
 tim Romam profectus est ovans, ibique de rebus Italiae & pa- *urget, sed*
 cificandæ Germaniæ ratione secretos habuit sermones cum *sua sectatur*
 Pontifice, qui ex *Vergerii* consilio *Carolus* ad arma contra *commoda.*
Lutheranos capienda incitabat, & omisso bello cum Galliæ Re-
 ge transigi posse putabat: quod tamen parum tempestivum
 Cæsari tum videbatur, qui in *Mediolano*, à Gallorum armis
 defendendo, exercitus sui robur impendere volebat. Sentie-
 bat quoque Pontificem, eo cogitationes suas conferre, ut
 iste Ducatus Italo obtingeret, ideoque bellum sibi contra Lu-
 theranos suasisse; cum Cretensi igitur Cretisandum existimans,
 suam quidem ad bellum *Lutheranis* inferendum propensionem
 profitetur. Verum, ne cum tam multis in caput suum conjura-
 tis uno eodemque tempore conficiendum esset, fatius videri
 causæ suæ æquitatem patefacere, & concilio prius indicto, omni-
 bus facere testatum, pacis quam armorum vias ante fuisse ten-
 tatas. Neque Pontifici erat ingratum, quandoquidem conci-
 lium erat indicendum, eo potissimum tempore convocari,
 quo occupatis à Rege Galliæ Sabaudia & Pedemontio, belli
 flamma universam Italiam pervasura credebatur. Inde proba-
 bilem dari colorem, ad concilium armis circumvallandum,
 quasi custodiæ & tutelæ causa. Id sibi haud quaquam displice-
 re, modo conditiones eæ apponantur, quæ authoritati, existi-
 mationique sedis Apostolicæ nihil detrahant. Sperabat autem
 Cæsar, intra biennium bello *Insubria* se defungi & tum *Germa-*
nia incumbere: ac interea, durante bello Italico, Papam coer-
 ceri, ne more Pontificibus recepto, in Galliæ Regis bello at-

triti partes concederet, & *Germaniam* ad obsequium sibi præstandum adduci posse; quo ille potissimum respiciebat, non ad Pontificis obedientiam. Itaque indictionem Concilii multum urgebat, ejusque rei diploma secum asportare cupiebat. Sed cum cauto esset opus, ne quidquam Pontificiæ dignitati derogaretur, deliberationem placuit instituere, & deligere certos Cardinales ac Episcopos, qui formulam conscriberent, inter quos etiam *Vergerius* erat. Editur ea d. II. Junii, ac dies constituitur Concilii XXIII. Maji sequentis anni, Mantuæ habendi, cujus scopus magnifice prædicatur, ut Ecclesia ab hæresibus & erroribus repurgetur, disciplina in pristinum statum restitatur, pax Reipubl. Christianæ & libertas nationum oppressarum ab infidelibus, horumque conversio promoveatur. Aliud quoque Pontifex diploma vulgavit, d. XXIII. Septembr. ad civitatem Romanam, totius orbis Christiani caput, ab omnibus sordibus atque vitiis emendandam, delectis eam in rem Cardinalibus quatuor, qui, licet ad reformandam *Pœnitentiarium*, *Datarium*, & *Curiam Romanam* sine mora ac tergiversatione animum adjecerint, nihil tamen, quod operæ pretium esset, effecerunt: nec fructum multo majorem sibi ex Concilio spondebant homines mediocri judicio præditi, quod tempore tam alieno esset indictum, flagrante inter Cæsarem & Galliarum Regem bello.

Tom. VI. Alr. p. 1054. b. -- 1057. ap. 1057. b. -- 1059, Sleid. p. 286. 289. seq. 293, Suav. p. 68. seq. Seckendorf, p. 126.

§. CCCXXII.

Conventus Inter hæc Protestantes conventum Francofurti d. XXIV. April. indixerunt, & d. X. Maji finierunt, in quo superiore anno Smalcaldiæ tractata perfecerunt, & legationem decreverunt, quæ ad Cæsaris litteras, quibus cum ipsis de occupatis Ecclesiasticorum bonis expostulaverat, responderet, & sua postulata exponeret; sed antequam legati pervenissent in Italiam,

liam, Cæsar d. VII. Julii *Savilia* alias ad eos litteras dedit, qui-
 bus rigorem priorem emollivit, & certo illis persuadere vo-
 luit, se pacta servaturum, neque religionis causa cuiquam fa-
 cturum bellum, nec ullum in Germania motum excitaturum
 esse. Idem quoque *Ferdinandus* Rex per litteras d. XI. Augusti
 confirmavit, & quæstus est de calumniis Gallorum, quod ora-
 tionem Cæsar ad Pontificem Romæ habitam, mala fide Ger-
 manice versam sparsissent, & inter alia etiam finxerint, ac si
 Cæsar contra pacem Norimbergensem Protestantes bello ag-
 gressurus esset. Misit igitur orationem typis exscriptam, ro-
 gavitque ut ei fidem haberent, & de Cæsar's voluntate, ad pa-
 cem servandam, & ad concilium pro concordia in religione ha-
 bendum, summo studio tendentis, certi essent. Contraria uti-
 que disseminaverant Galli, & *Langaus*, hoc nomine denuo à Rege
 missus, cum tutum per Germaniam iter non haberet, per Epi-
 stolam Principibus persuadere conabatur, iis à Cæsare pericu-
 la parari: gloriatus quoque est, sua industria Germanos à Cæ-
 sare alieniores redditos esse. Nullis tamen Protestantes Gal-
 liæ Angliæve Regis illecebris moveri se passi sunt, ut à fideli-
 tate, qua Cæsari obstricti erant, recederent, ac in conventu
 Francofurtensi disertis verbis renunciarunt Anglo fœdus am-
 bienti, se ea omnia excepta velle, quæ ad Imperium atque
 Cæsarem spectarent, cui fide & jurejurando sint devincti. Cer-
 tum quoque est, plurimos inter Protestantes Cæsari in expe-
 ditione contra Gallos hoc anno militasse.

Tom. VI. Alt. p. 2061. a. Sleid. p. 288. 291. Seckendorf. p. 125. 127.

§. CCCXXIII.

Cum fama diplomatis, & mox ejus exemplum Germa-
 nicum ad Electorem Sax. pervenisset, mandavit ille d. XXIV.
 Julii, ut Theologi & Jureconsulti Wittenbergenses sententias
 conferrent, quid faciendum esset, si Legatus Pontificius, ut
 ferebatur, veniret, Principes ad Concilium invitaturus. Sub
 finem

Uuu 3

finem

finem anni *Luthero* etiam reliquisque Theologis injunxit, ut articulos fidei denuo expenderent, & ante d. XXV. Januarii, ob instantem conventum *Smalcaldicum*, liquido mentem suam aperirent, in quibus capitibus ad summam rei pertinentibus persistendum esset. Quid responderint, suo deinceps loco & ordine memorabitur. Non frustra fuit Principum sollicitudo.

Seckendorff. pag. 126. b.

§. CCCXXIV.

*Vorstii nunci-
cij Pontif.
legatio, in-
structio &
scopus.*

Pontifex enim nuncium ad *Ferdinandum* Regem in Germaniam misit *Petrum Vorstium*, Belgam, Episcopum Aquensem, Rotæ Romanæ assessorem, ut Principes Protestantes invitaret, & Episcoporum ad Concilium missionem maturaret, & pro re nata cum *Smalcaldicis* ageret, idque ex consilio Ducis Georgii, qui, *Julio Pflugio*, Numburgensi Episcopo, & *Cochlao*, adjutoribus, suppeditare posse sperabatur, quo modo Protestantes ad scopum Pontificis iterum adducerentur. Quæ ratione etiam nutans in religione Romana *Electo Brandenburgicus* confirmaretur, à *Moguntino* instrui debeat. Frustra tamen illi conatus fuerunt, nec impediri progressus Reformationis potuerunt, de quibus nunc dicendi locus est.

Idem Seckendorff. pag. 137. a.

CCCXXV.

*Archiepi-
scopus Colo-
niens. refor-
mationem
quandam
instituit.*

Primo loco recensendus est *Archiepiscopus Coloniensis, Hermannus, Comes de Wida*, qui jam olim de emendatione Ecclesiæ cogitaverat, nunc in proposito haud dubie ab Electore Sax. apud quem *Torgaviæ* in autumno, venationi cervorum interfuit, confirmatus, provinciæ suæ Concilium instituit, vocatis eo reliquis suæ ditionis Episcopis, *Leodiensi, Trajectensi, Monasteriensi, Osnabrugensi & Mündensi*, & moderante stylum *Joanne Groppero*, Juris Pontificii D. & Professore, decreta sunt facta, de historiis seu legendis, ut vocant, Sanctorum, & fabulosis non attingendis, miraculisque non impudentius jactandis,

dis,

dis, nisi quæ Scripturis aut satis certis autoribus prodita fuerint; ac ut potior pars detur Evangelio & Epistolæ explicandis: *de S. Cæna*, vera & realis præsentia corporis & sanguinis Christi asserta, sed *communio sub una* defensa fuit, ut & *Missæ sacrificium representativum*. Unde liquet pleraque dogmata Pontificia, à Protestantibus impugnata, novis Interpretationibus & veluti coloribus vestita, nec apertam aut cordatam fuisse reformationem tum susceptam, cum magis solliciti fuerint de palliandis excusandisque abusibus, quam iis tollendis. Interim haud abs re observavit *Seckendorffius* publicam confessionem Cleri magnæ illius diœceseos reformationis necessitatem, quam hodie præfracte negant adversarii, teste *Groppero*, agnovisse. Unde non potuit non Synodus ista cum suis decretis fucatis idem fatum subire & experiri, quod alii ejusdem generis scripta henotica habere solent, ut neutri parti placeant, aut satisfaciant. *Hermannum* quoque jam tum meliora vidisse & intendisse, *Jo. Lumpius*, Doctor Colonienfis, in Epistola expressit, d. VI. Octobr. hujus anni, dum scribit, *Archiepiscopum nondum audere, quæ sentiat, prodere, ob Monachorum & Theologorum superstitiosa supercilia, quibus adhuc insipidum sit, quod ex eorum non prodeat culina*. Addit etiam, *Minoritanum, qui Prasuli à concione & confessione sit, cucullum adhuc ferre, sed aliud sentire, & in templo majori concionari quendam puram Evangelii doctrinam, advolantibus non tantum ex vicinia, sed etiam Hassiacæ ditione, procul distita, tot millibus, ut templum vix eos capiat*. Post aliquot annos *Hermannus*, cui scriptum editum minus placebat, ulterius progressus est, ut suo loco dicemus.

Tom. VI. Alt. p. 1061. b. Sleid. p. 292. Seckendorf. pag. 137. b. 138. a, b.

§. CCCXXVI.

Cum etiam hoc anno in fœdus Evangelicorum recepti sint *Reformatio Barnimus & Philippus*, Pomeraniæ Duces, hoc velut complementum fuit reformationis, ab aliquot annis in illa provincia *Reformatio Barnimus & Philippus* progressus in Pomerania amplif-
rancia.

amplissima, privatis & publicis studiis cœptæ, quemadmodum ex reformationis historia superiorum temporum liquet. *Bugenhagium* enim constat eo accitum, ordinationem brevem conscripsisse A. 1534. & sequente anno iastitutam visitationem generalem, reformata monasteria, & inspectionem Ecclesiarum Pomeraniæ in duas partes divisam esse, Stralsundum tamen nec ordinationi nec visitationi se submittere voluisse. Utramque vero stabiliverunt memorati Duces, & Electori Sax. significarunt, se vocante Deo omnipotente ad unionem fidei Christianæ, veramque agnitionem verbi divini pervenisse, & ut hoc in suis provinciis prædicaretur, nec alii ritus, quam qui cum verbo Dei convenirent, observarentur, edixisse: & ab Electore petierunt, ut in fœlus Smalcaldicum reciperentur. Quod factum est iisdem, quibus alii fœderis focii sese obligaverunt, conditionibus.

Tom. VII. Alt. pag. 1061. a. Seckend. pag. 139.

§. CCCXXVII.

Concordia inter Saxonicos & Argentor. Ulmenf. &c. inita. Ad progressum etiam Reformationis refero *Concordiam Wittenbergæ* initam inter Saxonicos Theologos, nominatim, *Lutherum, Jonam, Crucigerum, Bugenhagium, Melanchthonem, Mœnium, Myconium, & Pastores Eccles. Argentinenfis Capitonem & Bucerum, Ulmenfis Frechtum, Eslingensis Otterum, Augustanæ Wolffartum & Musculum, Memmingensis Gervaf. Scholasticum, (Schüler) Francofurtensis Bernhardum, Furfeldensis Garmanum, Reutlingensis Alberum & Schradinum.* Hujus *Concordiæ* negotium *Philippus, Hassiæ Landgravius*, nunquam non urfit, ut ex præcedentium annorum historia luculenter satis constat. Hoc autem anno vehementer sollicitatus est ab Argentinenfis & Augustanis, ut illud perficeret. Igitur ad Electorem Sax. d. 25. Januar. scripsit, & de Theologorum conventu sciscitatus est; quo tempore & loco habere eum velit. Elector *Isenacum* primo nominat, deinde *Grimmam*, ob valetudinem

nem

nem Lutheri, sed quia exteros tenebat cupido Wittenbergam
 visendi, recto itinere, præmissis nuntiis, eo profecti sunt, co-
 mitantibus eos *Menio* & *Myconio*, qui de S. Cæna in itinere cum
 iis disceptarunt, & solida argumenta protulerunt. Ubi Witten-
 bergam venerunt, d. 22. Maji in ædibus *Lutheri* omnes compa-
 ruerunt, ibique *Lutherus*, post literas, quas hospites attulerant
 ex variis locis, perlustratas, serio graviterque iis exposuit, ne-
 gotium magni momenti esse Concordiam, quam querant,
 nec agi aliquid posse, antequam de S. Cæna consensus adsit aper-
 tus. Quanquam enim ille jactetur, sibi tamen contrarium vi-
 deri, nec ferre se posse, ut *λογομαχία* tantum dicatur contro-
 versia de hoc argumento; neque enim de simplicibus verbis,
 sed de veritate verborum Domini Jesu Christi in S. Eucharistia
 sollicitum se esse. Revocari igitur postulabat, quæ de figurato
 sensu verborum Christi in institutione Christi docuissent, & ut
 eadem secum sincere profiterentur, ac, ne præcipitanter gera-
 tur res, sequenti die renunciare illos voluit, quid sentirent.
 Tum *Bucerus* confessus est, se aliter quædam intellexisse, neque
 satis probata docuisse, eoque revocaturum se illa esse ore &
 scripto. Adhæc suo & Helvetiorum, quorum mandata habe-
 ret, & *Blaureri*, Constantiensis Pastoris, nomine profitebatur,
 panem verum esse corpus Christi, & vinum esse vere sangui-
 nem Christi, vereque offerri & sumi ore corpus Christi natura-
 le & substantiale, ut & sanguinem, à dignis ad salutem, ab in-
 dignis ad judicium. Post hæc *Lutherus* alios quoque ordine &
 singulatim interrogavit, qui omnes idem se sentire cum *Buce-
 ro* & per annum integrum ita docuisse, docereque deinceps
 velle, professi aperte sunt, & rogarunt obnixè, ut Saxonici o-
 missa suspitione fraudis, ipsos haberent pro sociis Augustanæ
 Confessionis, quam una cum Apologia sincere amplectantur.
 Quibus intellectis *Lutherus* cum suis in cubiculum digressus, eo-
 rumque sententiam, & quid factu opus sit, rogavit: qui cum

uno ore respondissent: si pastores sic corde crederent, prout ore confessi sint, & docerent, nihil amplius in illis desiderari posse; denuo tamen eos interrogandos esse de statu causæ, ut aperte & rotunde confiteantur veram verborum Christi sententiam. Hoc cum illi fecissent, pax & concordia utrinque fancita & dextræ datæ sunt. Addebatur etiam à Saxonis monitum, extraneis observandum, ut in doctrina contraria animis auditorum eximenda caute & sensim procederent, & veram sententiam perspicue proponerent & exponerent, & si phrasis (*impie accipiunt verum corpus Christi*) apud suos intolerabilis videatur, vocabulum Pauli (*indigni vel increduli*) adhiberent, ac rem ipsam dextre explicarent. Id se facturos receperunt. Datum deinceps *Melanchthoni* negotium est, ut formulam concordiæ conscriberet: quod cum fecisset, ac interea *Capito & Bucerus*, ut consensum suum re ipsa testarentur, ad communionem sacram accederent, & *Alberus* mane, *Bucerus* à meridie, & *Lutherus* vesperi conciones d. 28. Maji haberent, subscriptio sequenti die secuta est.

Articuli approbati.

Articuli utrinque approbati sequentes fuerunt. I. *De S. Cæna* ita habebat: *constentur juxta verba Irenæi, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena & cælesti. Proinde sentiunt & docent, cum pane & vino vere & substantialiter adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi.*

II. Articulus.

Et quanquam negant, fieri Transubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti: tamen concedunt, Sacramentali unione panem esse corpus Christi: hoc est: porrecto pane sentiunt simul adesse & vere exhiberi corpus Christi. Nam extra usum dum reponitur, aut asservatur in pixide, aut ostenditur in processionibus, ut sit apud Papistas, sentiunt non adesse corpus Christi.

III. Ar-

III. Articulus.

Deinde hanc institutionem Sacramenti à Christo factam sentiunt valere in Ecclesia: nec pendere ex dignitate vel indignitate Ministri & sumentis. Quare, sicut Paulus ait, etiam indignos manducare Sacramentum: ita sentiunt, corpus & sanguinem Christi vere porrigi etiam indignis, & indignos vere illa sumere: ubi servantur verba & institutio CHRISTI: sed tales sumunt ad iudicium, ut Paulus ait: quia abutuntur Sacramento, cum sine vera pœnitentia & fide eo utuntur. Ideo enim institutum est, ut testetur, illis applicari gratiam & beneficia Christi: illos inseri Christo, & sanguine ejus ablui, qui agunt pœnitentiam, & erigunt se fide in Christum.

De Baptismo etiam aliisque capitibus disputatum conventumque est, Pædobaptismum contra Anabaptistas defendendum, nec hoc Sacramentum pro nudo signo sed pro lavacro regenerationis & salutis medio habendum esse; & licet sciri exacte nequeat, qua ratione operatio ista in infantibus fiat, certum tamen esse, quod in eis excitentur novi & sancti motus, prout exemplo Johannis constat. Absolutionem & Confessionem privatam omnes optabant in Ecclesia retineri posse, non solum solatii sed etiam institutionis ac disciplinæ gratia, apud rudiores necessaria. Pontificiam tamen confitendi rationem nequaquam restituendam sed rejiciendam esse. Tandem de Communionem & congregationem Ecclesie consenserunt, omnes ad eam excitari monerique debere, ut ea societas in auditione verbi Dei & concionum, inque Sacramentorum administratione & precibus, decenter & serio conservetur.

Formulam illam de S. Cœna publicatam fuisse sive è suggestu in templo, sive ex cathedra Academia, Seckendorffius observat, cui hæc subjecta verba: Cum autem pauci convenerimus, & opus sit, utrinque hanc rem ad alios concionatores & superiores referre, nondum licet nobis de concordia pacisci, priusquam ad

Formula
Concord. ad
confirmatio-
nem aliorum
dilata.

alios retulerimus. Cum autem profiteantur omnes, se iuxta Confessionem & Apologiam Principum Evangelium profitentium, in omnibus articulis sentire & docere velle, maxime cupimus sanciri & constitui Concordiam. Et spes est nobis, si reliqui utrinque ita consenserint, *solidam futuram esse Concordiam.* Ex *Myconii* sane, Superintendentis Gothani, relatione ad *Vitum Theodoricum*, Norimbergensem Pastorem, liquet, clausulam de relatione ad alios Ecclesie ministros & magistratus, pro universalis consensu obtinendo, additam fuisse.

Ejus effectus.

Quis igitur *effectus* hujus Concordie fuerit, ex sequentium annorum historia patet, quanquam pauca reperiantur. Id certum exploratumque habemus, in *Hassia* hanc Concordie formulam receptam, & servatam servarique iustam esse in Testamentis Principum, Statutis Academicis & Agendis Ecclesiasticis, inde à *Philippo* Magnanimo, in presentem usque diem. Civitates omnes Imperii in Germania superiori, quorum Pastores aderant & subscripserant, in doctrina vera de S. Coena perstiterunt; licet quidam ex Theologis Zvinglianam sententiam postea retinuerint. Eandem etiam Helverii rigide servarunt, licet *Bucerus* nihil non moverit, ut conciliationem vel consensum plenissimum, vel impetratum esse, vel impetrari posse ostenderet: qui tamen una cum *Museulo* postea defecit, si vera sunt, quae *Petrus Martyr* in Epistola ad *Scholarchas Argentinenses* in hanc sententiam scripsit: *Quod concordia inita inter Martinum Buceros atque D. Lutherum & ejus Symmistas, non subscripserim, ea causa est, quod per verbum Dei & conscientiam nequeo dare, illos, qui fide sunt destituti, percipiendo Sacramenta corpus Christi sumere. Neque mirum est me huic articulo nolle assentire, cum ipsemet Bucerus in hac nostra Scholame presente secus publice docuerit, dum acta Apostolica explicaret, atque idem longe aliter cum esset in Anglia (ut ex quibusdam ejus articulis possum ostendere) scripserit.*

Mulca

Multa essent, quæ addi de hac Concordia, Bucero & Helvetiis possent; sed brevitatis nostra id non permittit. Plura vero qui desiderat, *Leonhardi Hutteri* Concordiam concordem evolvat, & præfationem attente legat, ubi tum προηγμένα, tum ἐκβάστα hujus Concordiæ prolixius nonnihil enarrat, ac contra *Hospinianum* evidenter demonstrat, *Lutherum* ne latum quidem unguem à doctrina sua de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cæna discessisse, ac initio exiguam admodum spem firmiter Concordiæ, tum tentatæ, concepisse, nec consentire prius voluisse, quam *Bucerus* & cæteri testarentur, se paratos esse revocare *Zwvinglii* & *Oecolampadii* doctrinam, quam ipse tanquam falsam damnet, ac promittant, se in posterum, juxta formulam positam, credituros & docturos. *Buceri* autem ὑβρίαν καὶ πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδεῖαν τῆς πλάνης, quidam è nostratibus observasse se putant, orthodoxos nunquam probasse; nec ex ea *Lutheri* constantiam infringi posse, cum negari nequeat, *Bucerum* mox post sancitam illam Concordiam, humani aliquid passum, & in gratiam Gallorum, aliarumque *Zwvinglianarum* Ecclesiarum, astute admodum tria confinxisse indignorum genera; sic futurum ratus, ut & *Luthero*, & *Zwvinglianis* satisfaceret, sed eventu prorsus irrito ac infelici. Mirius tamen alii de *Bucero* sentiunt, eumque à malitia & vafritie alienum fuisse contendunt. Vid. *M. Alberti Menonis Verpoortensis* Commentatio Historica de *Mart. Bucero*, ejusque de Cæna Domini sententia, quæ hoc anno prodiit, p. 78. seqq.

Tom. VI. Alt. p. 1045. b. -- 1054. Solid. Declar. p. 729. f. Seckendorf. p. 129 seq. D. Leuchter. de antiq. Hess. fide p. 68. seqq. Hutter. l. c.

§. CCCXXVIII.

Promovit etiam purioris doctrinæ cursum Noster *Luthers* scriptis, inter quæ præcipua sunt *Enarrationes in Prophetam theri exegeti Joëlem, Amosum & Obadiam*, ex prælectionibus ejus collectæ; posteriores *Paulus Cærolus* A. 1555. & *Steph. Agricola* Germanice

Xxx 3

reddi-

reddidit, quæ Tom. VI. Alt. insertæ leguntur; sed Commentarius Germanicus in Joëlem, qui ibidem compareret, non est versio Enarrationum hoc anno editarum, sed alterius Commentarii, qui A. 1546. compositus & post mortem Lutheri editus est. Perstringit in illis, pro more, data occasione, doctrinam & mores Pontificiorum, ut in Amos. III. 15. *rapacitatem Ecclesiasticorum*, & inprimis Pontificum, quos *pauperum devoratores* vocat, cum in nulla provincia Italiæ major paupertas & mendicitas deprehendatur, quam in regione Pontificibus subjecta: ad Cap. VI. 6. tyrannidem & crudelitatem Principum & inprimis Ecclesiasticorum, quod non curent *confractiorem Josephi*, sed eos premant, exhauriant, misere Ecclesias dissipari sinant, dum neque ipsi doceant, neque eos qui doceant, alant, imo crudeliter in bonos Doctores sæviant &c. Reliqua scripta in Indice recensibimus.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 497--542. Tom. VI. Alt. pag. 919. ff. 100. ff. 1036. ff.

§. CCCXXIX.

An. 1537.
Deliberatio
de admissio-
ne nuntii
Pontif. &
comparatio-
ne Evange-
licorum in
Concilio.

Diximus supra (§. CCCXXIII.) Electorem Sax. cum fama increbuisse, de indictione Concilii & adventu Legati Pontificii, Theologos pariter ac ICTOS suos in consilium adhibuisse, quid tum factu opus, & 1. an admittendus audiendusque Nuncius ille esset, & 2. an Evangelici in Concilio comparere possint, aut debeant. Prius cum consulti affirmassent, Elector in contrariam ivit sententiam, ac adventantem Nuncium abigendum censuit, cum Papa acerrimus Evangelicorum hostis sit, & Concilii indictione nihil aliud quærat, quam ut dominatum suum Antichristianum firmet, & Protestantes in exitium præcipitet. Ab his aliisque rationibus vix abduci & flecti in mitiorem partem se passus est, ut admitteret *Vorstium*, adventum suum per litteras Vinarix scriptas Electori d. 30. Januarii significantem, & d. 25. Februar. Smalcaldix comparentem; ubi

ubi literas binas Pontificis Electori obtulit, quas accipere Saxo noluit, priusquam cum sociis, ad quos causa pertineret, contulisset. Qua re legatus non parum offensus fuit; luit tamen operam, & non magna ejus ratio est habita. De posteriori deliberationis capite sententiæ non parum variabant. Machinas enim Pontificias omnes facile penetrabant, sed quæstio difficilis remanebat: *utrum prorsus recusari possit comparitio in Concilio, an eo saltem sine offerenda, ut protestatio interpone- retur, & defectus Concilii indicarentur?* Huc inclinabant Wittenbergenses; Hassiaci autem jus indicendi Concilii Cæsari, non Pontifici competere contendebant. Alii aliud quid proferabant. Nemo tamen ex omnibus fœderatis, qui in comparitionem ad Concilium, quale indictum à Papa erat, consentiebat, nisi prius de modo agendi & securitate mittendorum satis provisum esset. Secutum igitur est responsum, sine ullius contradictione, & legato Cæsareo, *Matthiæ Heldo*, & Pontificio, dandum, de edendo & publicando libello, quo causæ recusati concilii exprimerentur & omnium oculis exponerentur. Quamobrem libelli exempla *Electores & Landgravius* Regibus *Angliæ, Scotia, Polonia, Hungariæ, Portugalliæ, Daniæ, Sueciæ, Electoribus Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, & Palatino*, Republicæ *Venetæ & Helvetiorum*, mittenda cum litteris receperunt.

Tom. VI. Alt. p. 1074. b. -- 1087. b. 1226. Sleidan. Lib. XI. p. 296 - 320. P. Suav. p. 70. ff. Seckendorf. p. 143. seqq.

§. CCCXXX.

Verum inter præcipua acta conventus hujus merito referuntur *Articuli Christianæ doctrinæ, qui à Protestantibus Concilio, si quod vel Mantua, vel alibi congregandum esset, exhibendi fuerant, indicantes, quid recipi vel concedi possit Pontificiis à Nostriis, quid non?* Eos *Lutherus* jussu Electoris conscripsit, & *Amsdorfo, Agricola & Spalatino* exhibitos, ac ab his subscriptos, Electori misit, eique statuendum reliquit, quatenus

*Articuli
Smalcaldici
à Luthero
conscripti.*

nus & in quantum illos accepturus sit. Pro qua opera Elector Megalandro gratias agit, eamque gratissimam sibi esse testatus est, & Ecclesiæ Christianæ utilissimam, utpote ita fundatam in Christo, ut portæ inferorum adversus eam non sint prævalitura, adeoque nec Pontifex, nec Concilium ei adhærens: seque bis lectis articulis convictum esse, quod veri sint, & cum Augustana Confessione congruant: nec opus habere, ut cum quoquam ulterius de illis deliberet; sed confessurum eos, ubicunque opus sit, coram Concilio & toto orbe, & toleraturum omnia, quæ de se suisque Deus pro suo arbitrio sit decreturus. De Pontifice nullam sibi sollicitudinem esse, neque hæsitare se, quo minus ei vehementissime resistat, adeoque non assentire Melanchthoni, qui putet bona intentione & pacis causa tolerandum esse ipsius dominatum. Hi ergo articuli non tantum ab Electore, sed etiam ab omnibus Smalcaldiæ congregatis, recepti & unanimi consensione approbati sunt, & decretum est, ut Concilio publice offerrentur, & fidei nostræ confessionem explicarent; non, quod nostris Ecclesiis Concilio sit opus, cum ita per Dei gratiam, puritate verbi & vero usu Sacramentorum, ac cognitione vocationum & verorum operum sic satis sint illustratæ & constitutæ, ut à Concilio de his rebus quidquam melius sperari & expectari nequeat; sed propter adversarios, ut nævi multi & crassi in statu Ecclesiastico, & vitia in statu Politico, v. g. usura, avaritia, luxus ac fastus in vestitu, crapula, alea, pompa, vitiorum & scelerum concursus corrigantur, ac tandem calumniis virulentis de incertitudine & mutatione dogmatum apud Lutheranos, os obturetur. Quæ omnia ex præfatione *Lutheri* ad Articulos Smalcaldiæ prolixius peti possunt.

*Hos artic.
esse symboli
Eccles.
Luther.*

Hos Articulos *scriptum esse Symbolicum* Ecclesiarum nostrarum, inde probatur, quia unanimi consensione approbati & recepti sunt. An vero in conventu ipso Smalcald. factum hoc

hoc

hoc fuerit, vel deinceps, dubia res esse videtur. Sane illustr. *probat, &*
Seckendorffius ex Archivis id se deprehendisse existimat, Arti- *quando id*
 culos quidem placuisse summopere omnibus, & subscriptos à *factum, dis-*
 Theologis, non tamen autoritate Procerum statim publice *quivitur.*
 receptos esse, cum in *Recessu* illorum mentionem haud fecerint,
 in quo tamen non solum *Aug. Confess. & Apologiam*, sed etiam
 scriptum novum de *Papatu* approbent, ac *Lutherus* ipse, qui
 sequenti anno eos publicaverit, publicationis causam non ad
 Principes retulerit, sed illam potissimum allegaverit, ut con-
 stantem suam confessionem denuo testaretur. Verum ad hæc
 atque alia talia, quæ moveri dubia possunt, facilis, ut opinor,
 est responsio. Nam 1. *Lutherus* non suo sed publico nomine
 articulos conscripsit: 2. eos à *Nostris* (fœderatis Smalcaldicæ
 congregatis) receptos, & *unanimes confessione approbatos*, ac de-
 cretum fuisse scribit, ut *Concilio* (si quod tandem à *Papa & Pon-*
tificiis sine mendaciis & fraudibus, vero, legitimo & Christiano
modo institueretur, sicut omnino deberet) publice offerrentur,
 & *fidei nostræ confessionem* (communem Principum & Theo-
 logorum) *explicarent.* 3. Doctores & Concionatores de man-
 dato Illustrissimorum Principum, & ordinum ac civitatum
 Evangelii doctrinam profitentium, subscripserunt, (Form. Conc.
 pag. 356.) & 4. Ordines quoque subscripturi procul dubio fuif-
 sent, si Articuli Concilio exhiberentur. 5. Quia novum scri-
 ptum de Papatu, sive de *potestate & primatu Papæ*, à *Melanch-*
thone confectum, approbarunt, eo ipso quoque omnes præce-
 dentes articulos approbarunt. 6. Non per solam subscriptionem *Melanch-*
 fit Symbolum, sed aliis quoque modis. *Restrictio, & reservatio* *thonis sub-*
 circa potestatem Papæ, qua in subscriptione usus est *scriptio arro-*
thon, *Luthero* haud innotuit, & *Articulo IV. Partis II. pag. 312. ff.* *carbone no-*
 repugnat, ubi statuit, Papam ne humano quidem jure cum *tata.*
 emolumento Ecclesiæ pro ejus capite haberi posse, sed *Episco-*
 pis omnibus par jus competere. Unde ad subscriptionem *Me-*
lanch-

lanchthonis, quæ Germanice Tom. VI. Alt. p. 1241. extat, hæc nota apposita legitur: O quantum mutatus ab illo. Zuvor hat er gesagt: so der Pabst das Evangelium zulieffe / daß mans allent halben frey öffentlich lehren und predigen dörfte / solte man Ihm seinen Primat über die Bischöffe / die Er sonst ohne das unter sich hat / nachgeben / und das Jure humano. Nun aber gibe man dem Pabst den Primat, nicht allein über die Bischöffe / so Er sonst hat / sondern auch über die unsere / ja Christi Kirche / die zuvor den Antichrist verdammet / verbannet / und sich gänzlich von Ihm abgesondert haben. Dergleichen gibe man auch seinen Bischöffen das Regiment über die Kirchen Christi / so doch der Pabst mit seinen Wölfen den Bischöffen / das heilige Evangelium jekt greulich / denn je zuvor geschehen / verflucht / lästert / verbannet / und wider die Kirche Christi / und uns arme Christen auffo greulichste / wie ein rechter Weerwolff / ja wie der leidige Teuffel selbst / beyde mit Feuer und Schwerdt / und wie Er nur immer kan und vermag / wüthet und tobet. Das heist / meyne ich / nach der neuen Christen Sprach gemäß gehandelt. *Lutherine, vel cujus glossa sit, non satis compertum habeo, nec definire audeo; licet à Lutheri stylo non multum abhorrere videatur.*

Tom. VI. Alt. pag. 1226--1250. Form. Concord. p. 298--359. Sleidan. Lib. XI. p. 296--320. P. Suav. p. 70. seq. Seckendorf. p. 151. seq.

§. CCCXXXI.

*Perunt
Theologi bo-
na Eccles.
adhiberi ad
Ecclesiarum
Scholarum-
que conser-
vationem &
ministrorie
sustentatio-*

In hoc ipso conventu, die Matthiæ, nomine omnium, qui aderant Theologorum & concionatorum, Principibus & Ordinibus exhibitus fuit libellus supplex, quo queruntur, quod licet in quibusdam regionibus & civitatibus satis prospectum sit de alimentis Pastorum, ex redivisibus Canonicatum & Monasteriorum, itemque scholis & hospitalibus: tamen etiam multa loca sint, ubi magnus deprehendatur defectus, & Ecclesiarum Scholarumque ministri vel exiguis admodum salariis fruuntur, vel plane vastata & orbata relinquuntur, cum interea non solum

lum Magistratus sed etiam privati homines bona illa Ecclesia-
 stica pro arbitrio ad se trahant, & plebs quoque parum confe-
 rat subsidiorum. Cum vero Regum Principumque officium
 sit, Ecclesiarum Scholarumq; nutritios se præstare, ac Josaphatus,
 Ezechias, aliique nonnulli hoc nomine celebrati fuerint, ro-
 gant propter Deum, ut Principes summam necessitatem con-
 siderent, & Status moneant, quo bona illa, ad religionis conser-
 vationem & propagationem dudum donata ac destinata, licet
 multi accesserint abusus, conseruentur, & ad Dei gloriam, &
 in usus Scholarum ac Ecclesiarum adhibeantur, distractio au-
 tem & devastatio omnibus modis caveatur. Annuerunt promte
 Principes, ac in *Recessu* solenniter testati sunt, se unanimiter
 convenisse, quod parochiis in sua ditione & jurisdictione do-
 ctos, honestos & pios pastores, concionatores & ministros præ-
 ficere, illisque ex bonis Ecclesiasticis, pro cujusque loci & di-
 strictus ratione & conditione, ita prospicere velint, ut cum ux-
 oribus & familia sufficienter ac honeste sustentari possint. Scho-
 las quoque se constituturos, vel constitutas conservaturos, ordi-
 naturos in super stipendia, & erecturos hospitalia, ac id demum
 omne facturos polliciti sunt, quicquid Christianorum Princi-
 pum & Magistratum officium exigat. Hinc calumniæ Pon-
 tificiorum valide refutantur, quasi Lutherus & socii Principes
 ad spolia bonorum Ecclesiasticorum invitaverint. Contrarium
 potius evidenter liquet.

Tom. VI. Alt. p. 1116. Seckendorf, pag. 157. seq.

§. CCCXXXII.

Mandarunt etiam Principes Theologis, ut *Augustanam Revisio* &
Confessionem ejusque *Apologiam*, Carolo V. Augustæ exhibitam, *subscriptio*
 denuo summo studio perlegerent, & si quid observarent, quod *Aug. Conf.*
 sacris litteris non congrueret, aut non ita docerent in Ecclesiis *& Apologia*
 suis, mutarent, ac rursus propriis manibus subscriberent *denuo facta.*
Aug. Conf. & Apologia. Facta est hæc subscriptio d. XXIV. Fe-

Yyy 2

brua-

bruarii. Hujus rei in decreto sive *Recessu* hujus conventus mentione facta est his verbis: *postquam Theologos nostros primarios, & S. Scripturae peritos hic congregavimus, illi de omnibus articulis Confessionis & Apologiae, quam Augustae exhibuimus, Christianum habuerunt colloquium, & per Dei gratiam unanimiter in omnibus inter se consenserunt; articulum vero de primatu Pontificis latius & melius conceperunt, ut scriptum ostendit.*

Tom. VI. Alt. p. 1226. a, b. Seckendorf. p. 157. a.

§. CCCXXXIII.

In art. Smalcald. & concionibus distis suis Lutherus Papam Antichristum aperte dixit.

Quod §. superiore notatum est, facere potest ad retinendas adversariorum calumnias, de mutata, vel amissa confessione Augustana genuina, & quod in ea *Papa* non sit pro *Antichristo* habitus. Prudenter utique egere Elector & Principes, quod repetere & stabilire voluere confessionem fidei, non quod de veritate ejus dubitarent, aut ab ea recederent; sed quod utile esse judicarent, ut omnia denuo, post tot adversariorum contradictiones, in examen vocarentur, ac tanto clarius confidentiusque in concilio futuro proponi & exhiberi possent. Hinc Lutherus in secunda Part. articulo. *Papam* vocavit *sacrilegum & damnatum Judam, leonem rugientem, ipsum verum Antichristum, qui supra & contra Christum se extulerit.* Cumque ob gravissimum calculi morbum, cujus levandi nullum remedium ab imperito medico sperare poterat, & finem vitae imminere sibi putaverat, Smalcaldiam relinquere & domum proficisci cogere *Lutherus*, respexisse urbem ac dixisse fertur: *impleat vos Deus odio Papa.* Hanc vocem vehementer exagitant *Pontificii*, sed inmerito, cum incorrigibilem *Papam* cum Clero satis perspiceret, ejusque astum & vim in Evangelicos plerique sentirent. Unde ubi Gothæ malum recruduit, quo in itinere, ex ipso vecturæ motu levatus fuerat, ad mortem se præparans *D. Pomerano* ultimas preces commisit, ac inter alia dixit, *scire se, quod recte fecisset, eoque nomine Deum laudare.*

laudavit, Papam aggrediendo, utpote inimicum Deo, Christo, & Evangelio. In conventu quoque Smalcald. publicis in concionibus Dom. Invocavit super Evangel. Matth. IV. habitis, non tantum jejunia Pontificiorum rejecit, & proverbium Latinum eo quadrare dixit: *Italorum devotio & Germanorum jejunia, fabam valent omnia*; sed etiam, occasione triplicis tentationis Satanicæ, Diabolum triplici colore depinxit & proposuit, primo *nigrum* in persecutionibus primitivæ Ecclesiæ truculentis: deinde *candidum*, cessante persecutione, sub Imperatoribus Christianis, excitatis subtilioribus hæreticis, ut Ario & similibus, qui ex Scripturis argutarentur: denique tertio *cælestem* & plane *divinum*, qui Dei loco sese objiciat & adorari velit; hunc ad Antichristianismi tempora refert, oblata enim Prælati Ecclesiæ potentia & opulentia, effectum esse ait, ut secularis ille fastus & luxus Dei loco coleretur, & horrendæ abominatio- nes, quarum multas recenset, grassarentur; regnum autem hoc Antichristi universaliter & plene non nisi per adventum Christi destrui posse, ex parte tamen subversum iri, non vi, vel auctoritate Cæsaris & Principum, sed restituta Evangelicæ doctrinæ puritate.

Form. Conc. p. 310. 313. 314. seq. Tom. VI. Alt. p. 1062. -- 1072. 1226. b. Tom. IX. Alt. p. 1574. a. Seckendorf. p. 151. a. 165. b.

§. CCCXXXIV.

Conventus ergo hic multum profuit ad reformationis *Progressus* progressus ampliores. Nam non tantum confirmati sunt No- *reformato.* stri in agnita veritate puriori, sed alii quoque allecti, & ad- *Epistola* versarii à persecutione deterriti sunt. Huc referenda est primo *Ferdinandæ* loco Epistola Regis Ferdinandi, quam Calendis Februar. hoc *R. ad Lu-* anno ad Lutherum dedisse fertur & statuitur à Theologis no- *ther.* stratis, *Lysero, Matthia Hoe, Gerharo, Sagittario, Calovio, Alberto* & aliis: qua significat, se juvenem adhuc ex Hispania in Germaniam venientem, à concionatoribus & confessionariis

Yvy 3

riis

rius suis monitum & edoctum, abhorruisse ab ejus scriptis & dogmatibus, utpote hæreticis & Romanæ Ecclesiæ statutis adversis; lectis autem quibusdam illius libris, & cum primis interpretationibus Psalmorum, de regimine Regum Principumque agentium, hortatu etiam confessionarii sui Franciscani, nuper mortui, ut sine mora cum regnis & principatibus suis, Evangelium reciperet, à Luthero in lucem productum, ac diligenter & fideliter prædicatum, excitatum relationibus insuper *Offlingii*, Cancellarii Bohemici, & *Ungnadii*, ex ejus concionibus & colloquiis Torgæ habitis, confirmatum, tolerare libenter doctrinam istam velle ac posse; maxime cum expertus sit, Papam cum gregalibus sua hæctenus duntaxat quæsiuisse, & Laicis paleam pro tritico tribuisse. Propter has igitur aliasque causas, statuisse, splendidam legationem virorum Evangelio faventium, in Hispaniam ad fratrem Carolum mittere, ac monita precesque illius Franciscani aperire, cumque ad consensum invitare: & si id impetrari nequeat, senihilominus Comitiam loco commodo indicturam, & de religionis fideique concordia, ordinum doctorumque virorum consilio, transactionem unanimum, secundum verbum Dei (*Göttlichem und Biblischem Ermessen nach*) promoturum esse.

De fide harum litterarum quidam dubitant, ac dubitandi rationes *Seckendorffius* non celavit, iisque motus rem in medio reliquit. Nobis tamen causæ allatæ nondum sat graves esse videntur, ut epistolæ fides infringatur. Nam quod 1. litteræ illæ in scriniis Dresdensibus, diligenter licet inquisitæ, haud sint repertæ, non probat, quod nullæ adfuerint; cum vel amitti, vel ab infideli corruptaque manu removeri potuerint. Quod 2. Lutherus nullam earum mentionem fecerit, nec Electori quicquam ea de re significaverit, non satis certum est. Multi illustres viri ad Lutherum scripserunt, quorum literæ interciderunt. Illud 3. fortius esse videtur argumentum, quod publica

acta

acta Ferdinandi hoc ipso anno, cum animo & proposito in literis expresso, parum congruant. Verum propriis hic *Seckendorffii* verbis respondere licet: mutabiles sunt Regum animi, magis sæpe, quam privatorum, quod vel exemplo *Francisci*, Galliarum Regis, demonstrari potest. Quanta sit Cleri potentia & impudentia, haud obscurum est, qui simulac de Regis erga veritatem Evangelicam & Lutherum amore aliquid expilcatus est, impedimenta objecit. 4. Ut credam has litteras non esse supposititias, me movet inter alia illud etiam, quod Pontificii, quantum quidem mihi constat, nunquam nobis tale quid exprobrarunt; illud sane haud intermissuri, si cum ratione fieri potuisset. *Johannes Permejerus*, Austriacus, regiarum harum litterarum copiam A. 1643. edidit, quas an aliquis Pontificiorum in dubium vocaverit, ignoro. Post tantum certe tempus, quo scriptæ feruntur, innotuisset facile fraus, si quæ latuisset, nec ausus fuisset vir, publicarum rerum apertissime gnarus, eas producere denuo, si supposititias esse nonnulli demonstrassent. D. *Sagittar.* refert *Michaelis Saxe Reysers Chron.* P. IV. pag. 332. & *Melch. Haimsfeld.* Tom. I. *Reichsfagung* fol. 174. meminisse hujus Epistolæ.

Tom. IX. Alt. append. p. 1588. b. 1589. a. Seckendorff. p. 162. a, b.

§. CCCXXXV.

Nec parum emolumentum ad propagationem Evangelii attulit cura Evangelicorum de augendo tædere. Ita receptionem in illud, sive protectionem potius, Elector Saxon. *Henrico Saxoniae Duci*, *Georgii* fratri, procuravit, ut, cum puriori doctrinæ jam addictus esset, ac *Wittenberga* concionatorem aulicum *D. Jac. Schenckium* vocasset, reformationem in sua ditione hoc anno susciperet, ad formulam visitationis A. 1528. & seqq. in Electoratu peractæ, frustra contradicentibus *Georgio* & aliis. Cæptum quoque est in hoc conventu tractari de recipiendo in fœderis societatem *Johanne Marchione Brandenburgico*, Electoris fratre,

Ad fœdus Smalcald. invitati ei quo inserti propagationem Evangelii adjuverunt.

fratre,

fratre, sed effici negotium haud potuit, quia socer *Henricus Brunsvicensis*, frater, & Dux *Georgius* quovis modo eum abstrahere studebant. *Georgii Marchionis Brandenburg. Onolsbaccensis* Legati, quoad capita religionis assentiebantur, sed foederis formulæ subscribere nolebant, caussantes, Herum pactis cum Cæsare & Ferdinando Rege constrictum, & unitum etiam Saxoni & Landgravio hæreditaria inter familias conventionem esse. *Fridericus Dux Lignitiensis* in Silesia consensum quoque suum in religione per legatum testatus est confœderatis, & simul Electorem interrogavit, an licitam putaret defensionem adversus Cæsarem, aut Regem, si vim religionis causa intenterent? In foedus tamen assumi noluit, propterea quod inter Imperii Principes locum non haberet, sed in Silesia, sub regni Bohemici clientela ditiones teneret, contrariæ religionis proceribus & populis circumdatas. Interim constantiam in doctrina Evangelica, quam in sua provincia introduxerat, amplissime pollicitus est. Hoc anno etiam *Rex Dania Christianus* ab Electore Sax. petiit, ut *D. Pomeranum* ad se mitteret, cujus opera in plantanda ac propaganda doctrina verbi divini, & reformandis Ecclesiis uteretur. Huic petito annuit *Jo. Fridericus Elect.* & *D. Bugenhagium* mense Junio dimisit, cujus vices in concionibus die Solis, Mercurii & Sabbathi habendis, Lutherus in se suscepit.

Tom. VI. Ale. p. 1122. 1127. a. Seckendorf. pag. 158. 160. b. 161.

§. CCCXXXVI.

*Prorogatio
Concilii, per-
peram à Pa-
pa facta,
profuit.*

Profuit etiam nonnihil prorogatio Concilii à Pontifice facta, cujus causa vel pretextus erat, quod *Dux Mantua, Fridericus Gonzaga*, sumtus haud exiguos ad præsidium militare alendum, tuendæ urbis & securitatis causa, à Papa flagitaret, & jurisdictionem in advenas, etiam Ecclesiasticos sibi arrogaret. Quæ conditiones cum duræ Pontifici viderentur, & (ut agebat) veteribus institutis contrariæ, atque libertate Ecclesiastica, quæ tan-

tan-

tanta sit, ut Doctores unanimi consensu confirmet, etiam concubinas Sacerdotum foro subijci Ecclesiastico, alienissimæ, utrumque abnuat, ac statuit, nullum *Mantua* concilium celebrare. Diplomate igitur publico d. 20. Maji se excusavit de mora, quæ non sua, sed aliena culpa acciderit, ac, cum nequeat ita prope de alio loco idoneo constituere, cogatur Concilium ad Calendas usque Novembreis differre. Non multo post *Rex Anglia* & suo & regni procerum nomine scriptum evulgat, quo ostendit Pontificem convocandi Concilii potestatem non habere, & indixisse illud tempore prorsus incommodo, quo bellum Cæsaris cum Rege Galliarum ardeat in Italia, atque adeo etiam loco non satis tuto: se igitur, licet concilium Christianum ex animo cupiat, ad Pontificium neque venturum, neque legatos missurum esse, quippe cui nihil sit commune cum Romano Episcopo, aut illius edictis; quam cum alio quovis Episcopo. Concilia olim Cæsaris atque Regum autoritate esse convocata, & hunc morem nunc imprimis revocandum, cum de Curia Romanæ defectibus tam graves passim instituuntur querelæ, qui sine vitæ periculo coram accusari nequeant, nisi legitimum & liberum habeatur Concilium. Non esse sibi suisque cautum de fide publica, nec novum Pontificibus, fidem datam fallere, & innocentum cruore se polluere; id vero sibi tanto diligentius cavendum, quanto magis constet de odio Papæ in se acerbissimo, cum ob prostrigatam ejus è regno suo tyrannidem, tum ablatos annuos census. Jam quod in Mantuæ Principem prorogati concilii culpam conferat, nec tamen quo loco sit habendum, præfigat, id esse orbem terrarum ludificari. Quod si ipsi loci deligendi potestas fiat, vel suæ ditionis sat amplæ urbium, per vim & dolum occupatarum olim & mala fide possessorum, aliquam, vel Principis alicujus sibi devincti, procul dubio designaturum. Itaque cum de vero Concilio plerique omnes judicio præditi desperent, sibi optimam videri rationem, ut in

*Anglia Rex
 scripto Papa
 exprobrat
 artes subdo-
 las.*

suo quisque populo Magistratus religionem emendet, quasi quis meliorem habeat, se minime recusatorem.

Tom. VI. Alt. p. 1226. b. Sleidan. p. 320. seq. P. Sarp. p. 72.

§. CCCXXXVII.

Papa facti
& somno-
lentiam in
Concilio
convocando
agnovit
Pallavicini-
nus, & Fer-
dinandus
Rex expro-
brauit.

Papa simu-
lat Curia re-
formationē,
cujus capita
delecti scri-
pto compre-
hendunt,

Nec Rex Angliæ tantum sed complures quoque in Italia Pontificis actiones in sequiorem partem interpretabantur. Et quamvis ille Concilii dilati culpam Duci Mantuæ adscriberet, illi tamen eam magna sermonis libertate in ipsum rejiciebant. *Pallavicinus* diffiteri haud potuit, Pontificem non tam sponte, quam ne Germani Nationale Concilium, quod summe oderat, & periculi plenum esse existimabat, convocarent, in Concilii indictione perstitisset: desperasse quoque, ut Protestantes ad id adducerentur, & ad confirmandos solum Catholicos respexisse, idque per Nuncios *Cæsari* & *Ferdinando* significasse. Idem quoque non dissimulat, *Ferdinandum* Nuncio Pontificio tarditatem in Concilio promovendo objecisse, graviterque exprobrasse, atque adjecisse, fore ut hac ratione omnem fidem apud Germanos amittat, urbemque *Tridentinam* jam tum proposuisse. Papa igitur, ut ignominiam deleteret & hominum spem aleret, ac aliquid facere videretur, diploma sub idem tempus promulgavit de emendatione Curia Romanæ, ac delegit in id quatuor *Cardinales* & quinque *Præsules*, hisque mandavit, ut morbos, qui medicam manum requirebant, accurate circumspicerent, & adulatione omni remota libere indicarent, ac remedia simul eisdem cito & facile removendis applicarent, ut ad bonam valetudinem Ecclesia redire posset. Eum in finem jusjurandum illis remisit, magno tamen silentio rem agere jussit. Delecti, habita deliberatione, *reformationis capita* scripto comprehendunt, & Pontifici tradunt, indicantes 1. fontem malorum omnium, nempe propensionem Pontificum ad aures adulatoribus aperiendas, eorundemque facilitatem in derogando legibus Ecclesiasticis, ac Simoniam.

2. Abu-

2. Abusus XXIV, in rerum Ecclesiasticarum administratione, & quatuor in Romano regimine, in ordinatione Clericorum, pensionibus, permutationibus, reservationibus, ignorantia prædicatorum & confessoriorum, dispensationibus &c. 3. remedia. Hoc scriptum exhibendum Pontifex Cardinalibus dedit inspiciendum, ut deinceps in Consistorio caperent consilia. Eo cum ventum esset, adversis frontibus inter se pugnabant Purpurati. *Nicolaus Schombergius*, S. Sixti Cardinalis, *Capuanus* vulgo dictus, emendationis omnis impatiens, contendebat prolixè, temporum conditionem nullam admittere reformationem; *Lutheranos* enim inde jactantiæ occasionem sumturos, quasi ipsi Pontificem eo adegerint, ut non tantum abusus tollantur, sed etiam laudabiles Ecclesiæ ritus. At *Joannes Petrus Caraffa*, Cardinalis *Theatinus*, contra disseribat, adeo necessariam his temporibus reformationem esse, ut sine piaculo grandi non possit omitti. Cum itaque sententiis variatum esset, in aliud tempus negotium dilatum fuit: tantum præcepit Pontifex, ut res omnis silentio tegeretur. Ipse tamen *Cardinalis Capuanus* ejus scripti exemplar clam in Germaniam ad amicum quendam misisse dicitur: quod nonnulli sic accipiunt, ac si Papam & reformatores deridendos præbere voluerit; alii autem putant, id conscio Pontifice factum esse, ut sic aliquod ejus propositum & studium apparet emendationis. Simulac in Germaniam delata illa consultatio fuit, cum animadversionibus *Jo. Sturmii* Latine prodiit Argentorati, & Germanice *Wittembergæ* cum *Lutheri* epigrammatis festiva & pictura primæ editioni præfixa, quæ Papam repræsentat in sublimi folio sedentem, cinctum Cardinalibus, caudis vulpinis, ad longurios alligatis, veluti scopis omnia sursum deorsum perpurgantibus. Sola autem præfatio in Tomos relata, extat, omissa versione & notis aculeatis margini adjectis. Summam igitur præfationis indicabimus. Ei præfigit *Chrysippi* sophisma. *Si mentiris, etiam*

quod Cardinalibus & Consistorio ad examinandum daturum, sed neglectum,

& vulgatæ cum censura Sturmii & Lutheri.

quod verum dicis, mentiris. In præfatione perstringit Papam; quod cum Concilio non aliter agat quam felis cum pullis, (er schleppt sich mit dem armen Concilio, wie die Katze mit den Jungen) cum in Germania haberi nolit, Mantua non possit, nec Vicentia. Sic Marcolfum eum futurum cenlet, qui nullam arborum, cui suspengi velit, reperire potuerit. Quare suadet, ut sancti homines Concilio non urgeantur, cum reformari nollint, & tamen haud abs re metuant, si Concilio locus detur, turpitudinem eorum revelatum iri, sic müssen Feder geben / oder Haar lassen / ac minimo vitio deprehensio vociferaturos alios, Papam & Romanam Ecclesiam errasse, eumque, qui semel malus fuerit, semper præsumi talem. Minime igitur committendum esse, ut Concilium cogatur, in qua quæstio, an Papa errare possit, & erraverit? ventiletur: vel tale instituendum, in quo nil decernatur, quam quod ipsis placeat, quale Lateranense fuerit, ut stet pro ratione voluntas Papæ, & omnia jura sint in scrinio pectoris ejus. Unde etiam non amplius summum, sed maximum Pontificem & Principem eum vocent docti & adulescentes ejus, quem titulum Romanorum Cæsares Ethnicis, ut Julius, Nero, alique gesserint; nunc enim eos non amplius dicere: Papa est Roma, sed ita: Princeps est ad urbem. Fucum ergo esse, quicquid de Concilio vel Reformatione Curie Romanæ jactitent, & ab iis nil intendi aliud, quam ut simulata aula Pontificiæ reformatione deinceps Ecclesiæ reformatio, in Concilio supervacanea censeatur, & nemo sit, qui reformetur, und ist diese Reformation nichts / denn des Niemandes Reformation. A Cardinalibus enim tantum festucas aliquantulum tangi, trabes crassissimas fileri & confirmari; excolari muscas, camelos deglutiri.

Tom. VI. Alt. p. 1227. a. 1253. seq. Sleidan. Lib. XII. p. 323. — 330. Suav. p. 73. seq. Seckendorf. pag. 161. b. 162. a. 163. seq. Conf. Heideggeri Histor. Papat. p. 222. seq.

§. CCCXXXVIII.

§. CCCXXXVIII.

Cum igitur Pontifex dictum in modum Concilii vana spe *Lutheri* iactasset Protestantes, & eluderet, & appropinquante mense *scriptum il-* Novembri, Concilio destinato, illud novo diplomate *Vicentiam* *luforium* indixisset, injuriam ei minime fecit *Lutherus*, quod luserit in *contra Con-* scriptis aliquot de Concilio à Papa indicto, sed non congregato. Extat scriptum anonymon, quod *Lutheri* genium sapit hanc inscriptionem habens: *Questio totius sancti Ordinis luforum chartis de Karnöffel, ad Concilium Mantuanum*, in cuius exordio lufores Papæ significant, posteaquam percepissent, omnia ad Concilium spectantia expedita, aulam Romanam jam reformatam, totam Romam piam factam, omnes Ecclesias omnibus in locis bene constitutas, omnes hæreses, & Lutheranam præsertim, extinctas esse, atque adeo nihil amplius superesse, quam quod ipsorum ordo præteritus & oblivioni traditus sit: vilum sibi esse, ne frustra Concilium convocetur, sed aliquid tractaretur, quæstiones proponere momentosas: v.g. *Cur Karnöffel Casarem & Papam pungat, cum tamen, multorum prudentum iudicio, gregarius miles sit? item, cur diabolus diabolice liber (Teuffels frey) sit, ita ut nec Casar, nec Papa, nec Karnöffel eum pungeret queat, cum tamen Papa Vicarius Dei & Dominus in Inferno sit?* Deinde donationem Constantini, veluti præcipuum *contra do-* caput sanctissimæ Pontificiæ fidei, edidit Germanice conversam *nationem* & glossis illustratam, ad dilatandum Concilium Mantuanum, & ostendit multis argumentis, etiam ex historia depromtis, eam fabulam esse, & crassum vereque Pontificium mendacium, inter quæ hæc urget: 1. cur Papa Occidentem totum à Constantino donatum per XII. secula non repetierit, aut possederit? 2. Cur donationis literas non ostendat vel hodie, indeque probet, se esse Regem Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ &c. 3. Quod Germanici Imperatores, ut Duces Saxonix, Ottones & Henrici, Italiam & Romam ante quinque (sex & amplius) secula possederint,

derint, Pontifices constituerint & deposuerint, Episcopatusque distribuerint omnes, testibus omnibus historiis, donec perdit nebuloſes, *Bonifacius VIII.* ac deinceps *Johannes XII.* & *Benedictus XII.* urbem Romam occupaverint, & ſenatum abrogaverint. Cætera brevitatis cauſa prætermitto, utpote ſatis nota vel ex *Hieronymo*, proſus ſilente donationem iſtam, & aperte ſcribente, Episcopum Romanum non majoris eſſe authoritatis, quam alterius civitatis Episcopum, omnes æquali gaudere poteſtate. *Si*, inquit, *quæritur autoritas, major eſt orbis urbe.*

*Præſatio in
Concil. Gam-
grenſe Ky-
mci.*

Huc etiam pertinet præſatio in Concilium Gangrenſe in Paphlagonia ante XII. ſecula coactum, & à *Johanne Kymco Germanice verſum*, qua laudat hoc Concilium, licet Nationale tantum fuerit, & melius longe affirmat, quam omnia Concilia, quæ unquam Pontifex celebraverit. Reprehendit etiam Pontificios, quod veterum Conciliorum & Patrum testimonia eludant & crepent, *Papam eſſe ſupra Concilia, & non poſſe errare.*

*in Huſſi E-
piſtolas.*

Item præſatio in aliquot Epistoſas *Johannis Huſſi*, è carcere ſcriptas *Conſtantia ad Bohemos*, qua eam ob cauſam ſignificat ſe *Huſſi* litteras è Bohemica lingua in Latinum ſermonem transferri curaffe, non ut invidiam conſtet *Concilio Conſtantiens*, ob damnatum innocentem *Huſſum*, ſed ut moneat eos, qui monendi ſunt, ut ſibi caveant, & deterreantur illo exemplo, quandoquidem ibi veritas magno impetu, & deinceps diu ſatis oppugnata fuerit, nunc autem triumphet, caput tollat, & velut in theatro traducat concilium illud ſectarium, cui potentiam & tyrannidem omni cum alacritate ademerit. Deum ita demonſtraffe, quod ſuperbis reſiſtat & diſſipet elatos corde, absque perſonarum reſpectu. In poſtſatione (ut ſic dicam) *Lutherus* repetiit monitum ſuum, poſtquam oſtendit ex testimonio *Eraſmi Roterod.* *Huſſum exuſtum ſed non convictum*, *Andreae Prolis*, *Staupitii Antecessoris*, & *Maximiliani Imperatoris*, ſine cauſa cum damnatum eſſe, & *Huſſum* nil aliud feciſſe aut docuiſſe,

enisse, quam hoc, Pontificem, si impius sit, non posse caput esse sanctæ Ecclesiæ, non negasse eum caput Ecclesiæ esse, sed sanctæ Ecclesiæ, quemadmodum impius pastor sit pastor, sed non membrum verorum sanctorum gregis sui. Denique etiam Legendam (sive Lügendam) de S. Chrysostomo ad sanctos Patres in Concilio imaginario (Bermeyntem) Mantua, missam edidit. In præloquio memorat causam præmissæ ad Concilium illud Legendæ, quod jam ante 9. annos à Leone Papa temere & diabolicè proscriptus provocaverit ad concilium universale, eamque provocationem nunquam deseruerit, sed constanter ei adhæserit, & adhuc prosequi eam velit; ideoque existimaverit, indictum Mantuæ concilium ad se quoque pertinere, ac coram adesse voluerit, valetudine tamen & inopia impeditus haud potuerit, ac propterea Johannem Chrysostomum permoverit, ut prodromi & suas vices apud Papam sustineat, cum Papa libenter aurea, pulchra & jucunda verba audiat. Post hæc mendacium de S. Johanne Chrysostomo enarrat, eum in finem confictum, ut purgatorium & missa stabiliatur, quemadmodum in Epilogo observat, ubi vocat mendacium prorsus diabolicum hanc Legendam, cui, & aliis talibus, totum regnum Pontificium superstructum sit, & quod in Concilio, si quod instituat, stabiliatur.

Tom. VI. Alt. pag. 1087. b. -- 1109.

§. CCCXXXIX.

De progressibus & impedimentis Reformationis Augustæ Augustani Vindelicorum, pauca addere placet. Cum enim, ut suo supra Senatus a-
loco dictum est, Senatus & cives plurimi illius civitatis Pontificiam religionem deseruissent, & puriori doctrinæ nomen de-
didissent, Ecclesiastici plerique genere nobiles, propterea irati pologia ob
urbe discessissent, ac ea res ad Cæsarem proceresque Imperii reformatio-
delata esset, Senatus purgandi sui causa scriptum iis transmisit, nem suscep-
quo sequentia maxime argumenta proposuit: quod reformatio-
dudum,

dudum, tanquam summe necessaria, in Comitibus Imperii decreta, eamque ob causam concilium promissum, sed præter spem dilatum, & jam ita indictum sit, ut felix successus ex illo nequeat expectari. Quum igitur Magistratui cura religionis incumbat, eam sibi haud fuisse negligendam, licet Clerus obstiterit, veteribus superstitionibus, præsertim missis & cultui imaginum pertinaciter inhærens; hunc autem, quum Senatus missas prohibuisset, & juramentum fidelitatis exegisset, urbe excessisse, & pretiosam suppellectilem sacram asportasse, & antea multa odiose & seditiose fecisse atque ausum esse, quæ tolerari diutius non potuerint. Proferunt denique se Augustanæ confessioni Cæsari A. 1530. exhibitæ assentiri per omnia, & causam suam, si opus fuerit, è Scriptura, Patribus & jure Cæsareo, defensuros. Haic deinde scripto paulo post suo suorumque nomine respondet Episcopus publice, ac à Cæsare & ordinibus Imperii restitutionem in jura & possessiones petunt.

Tom. VI. Alt. p. 1226. b. 1227. a. Sleid. p. 296. Seckend. p. 168. b. 169. ad

CCCXL.

Senat. No-
rinb. trans-
actio cum
Episc. Bam-
berg.

Norimbergensis quoque Senatus hoc anno, cum Ecclesiis suis minus bene prospiceret Episcopus Bambergensis, ad cujus diocesin pertinebat urbs, supervenientibus pacificationibus & induciis quibusdam in causa religionis, transactionem cum Episcopo iniit, & in quietam juris patronatus possessionem venit, & ministerii Evangelici ordinationem rectius curare potuit.

Seckendorff. pag. 169. b.

§. CCCXLI.

Litteræ Lu-
theri ad Is-
nenses &
Helvetios
de concor-
dia.

Solicitus porro valde fuit Lutherus de propaganda puritate verbi & concordia vera sancienda atque firmanda cum Bucero & sociis, Wittenbergæ anno superiore tentata. Eo nomine litteras dedit ad Senatum Isenensem, in quibus eum certum securumque esse jubet, quod à sua sententia de S. Cœna nun-

na nun-

na nunquam recesserit, licet quidam id contendant & glorientur. Sperat quoque aliquos Concordiam sincere optasse, & secum sensitse, ac fore, ut alii idem faciant. Scripsit etiam I. Decembr. ad *Tigurinos, Bernenses, Basileenses, Sangallenses, Schaffhusanos, Müllhusanos & Bielenses*, seque illis primum purgat de diuturno silentio, imposito ex occupationibus plurimis & valetudine adversa. Deinde significat, se magna cum voluptate intellexisse ex ipsorum litteris de serio ad concordiam studio, & Deum Patremque omnis dilectionis & amoris rogat, ut bonum istud opus perficiat, & utrinque corda eo flectat. Hinc petit, ut contra concordiam clamantibus resistent, populumque in simplicitate doceant, ac illis id officium committant, qui eo vocati & idonei sint; quemadmodum Wittenbergæ faciunt in scriptis & concionibus, ubi nihil agant, quod non ad concordiam promovendam spectet, cum res ipsa testetur, contentiones & concertationes nil quicquam profuisse, sed potius damna multa intulisse. Ad articulos ab *Helvetiis* memoratos respondet, se in primo nil deprehendere quod desiderare queat, ac consentire, quod verbum Dei externum solum non sufficiat, sed interna Spiritus S. operatio accedere debeat, Evangelium tamen orale verbum & virtus Dei vocetur ad salutem omnium crudenti, Rom. I. 16. per quod Deus vocet & trahat, quos vult per Spiritum S. Ad ea vero quæ ultro citroque scripta nec satis intellecta sint, provocat ad Bucerum & Capitonem, qui clarius omnia explicare possint. 2. In articulo quoque de *Baptismo* nullam differentiam observare se scribit, sed ad illum etiam requirit, cum aqua & verbo Spiritus Sancti operationem. 3. De *S. Cæna* ait, nos nunquam docuisse, aut docere, quod Christus de cælo descendat & rursus ascendat visibiliter, vel invisibiliter; omnipotentia autem divina committere, quomodo corpus & sanguis ejus nobis detur, si secundum ejus institutionem sumitur, & inharere simpliciter ipsius verbis: *hoc est corpus*

A a a a

meum.

meum. Hic est sanguis meus. Addit etiam, si alii alios non intelligant, optimum fore, ut amice inter se agant, & rancorem omnem, quo Spiritui S. locus fit: hacque in re Capitonem & Bucerum bene consulere posse. 4. De *excommunicatione* tandem scribit, nescire se, an aliquid controversum sit, neque literam de hoc capite superfuturam, si perfecta fiat concordia de S. Cœna.

Tom. VI. Alt. pag. 1111, seq. 1115. b.

§. CCCXLII.

Scripta Lutheri præcipua.

De scriptis Lutheri hoc anno editis, nihil attinet singulatim referre, cum jam subinde eorum mentio facta sit, & vir sanctus non multum laborare potuerit, partim morbo impeditus, partim variis negotiis districtus; satis tamen multa fecit, dixit & scripsit, pro ingenii capacitate & donorum cœlitus concessorum ubertate. Inter scripta tamen eminent *Homilia in Caput I. Johannis*, quas Wittenbergæ pro D. Pomerano, in Daniam profecto, habuit, calamo Rorarii & Solini exceptæ. *Quanta in iis sit pietas, eruditio, orthodoxia in arduo & sublimissimo fidei articulo, de naturis & persona Christi, quanta in omnibus populo rudi explicandis facilitas & simplicitas*, id, juncto meo voto Seckendorffii desiderio, *vellem, ut ii, quibus Lutheri incomparabilia dona vel ignota, vel non satis æstimata sunt, lætationis experimento discerent.* Nec taceri debet brevis, perspicua & nervosa *explicatio Symboli Apostolici*, in ædibus Quæstoris Smalcaldiensis instituta, cum valetudinis causa in templo verba facere non posset; quam notabili hoc voto finiit: *Deus Spiritum suum sanctum largiatur, ut ista credere possimus & perfecti Christiani moriamur.*

Tom. VI. Alt. pag. 1117 -- 1125.

§. CCCXLIII.

*An. 1538.
Papa fucus
in reformat.
& violenta*

Annus M. D. XXXVIII. arctissimo nexu cum præcedentis anni historia cohæret, ubi notavimus *Pontificem*, ut fucum faceret, & non solum Germanis, quos simplices admodum eoque

eoque deceptioni facile obnoxios subdoli Itali putant, sed etiam toti orbi Christiano illuderet, delectis quibusdam è Purpuratorum & Præsulum ordine negotium reformandæ Curie dedisse, eosque vano & nugatorio labore occupasse, ac novo diplomate Concilium *Vicentiam*, in agro Venetorum, urbem Germanis gratam, qui magnum libertatis publicæ zelum ostendebant, transtulisse ad Calendas usque Martias hujus anni. Hinc Angliæ Rex denuo scriptum evulgat, hancque Papæ illusionem pluribus verbis exponit, quæque priore libello monuerat, confirmat, & excusatum se cupit, quod nihilo magis *Vicentiam* quam *Mantuam* petere statuerit, cum idem ibi quod hic evenire possit. Ludibrium igitur esse, quicquid agat *Paulus*, neque tam effrenem licentiam ei diutius concedendam. Nihil quoque aliud spectabat Pontifex, quando legatis suis, *Vicentiam*, temporis fallendi gratia, profectis, eodem tempore (mense Majo) *Niceam oppidum Liguria* maritimum profectus est, ut colloquio inter Cæsarem & Gallia Regem interesset, & quod præ se ferebat, pacem inter potentissimos Principes conciliaret; sed, ut alii conjectabant, ad Ducatum Mediolanensem familiæ suæ comparandum. Ibi post multam actionem, etsi de summa rei non conveniret, inducias minimum ad decem annos faciendas obtinuit. Nec suis defuit commodis & necessitudinibus Papa; siquidem ejus è filio nepoti *Octavio* pacta hic fuit in matrimonium Cæsaris filia notha, *Margaretha*, quam Florentiæ Princeps *Cosmus* ambiverat post necem *Alexandri Medicei*. Contendebat quidem etiam Pontifex ibidem à Cæsare & Gallo, ut legatos suos ad Concilium mitterent, & absentibus imperarent protectionem; sed cum de utroque Principes se excusarent, facile fuit, ut *Suavis* mentem Pauli aperuit, ei satisfactum, non multum laboranti, in quam partem, affirmativam, vel negativam, propenderent. Satis illi fuit procurare conventionem inter utrosque Principes de hæreticis sive Protestan-

tibus, *junctis viribus, vi subigendis.* Deus tamen pro sua sapientia & bonitate irrita fecit illa consilia, & pusillum gregem non tantum inter machinationes hostium conservavit, sed etiam auxit: &, quod supra dicebamus, de prorogatione Concilii superiore anno facta, id nunc quoque de nova protractione dicendum est, quando Pontifex literis legatorum certior factus, magnam esse *Vicentia* solitudinem, & diplomate XXVIII. Julii promulgato, Concilii tempus ad usque Pascha anni sequentis rursus produxit.

Sleidan. p. 331. Suav. p. 74. seq. Seckendorf, p. 170. seq.

§. CCCXLIV.

Fœdus sanctum scil. Heldus Norimbergæ contra Protestantés procurabit.

Ejusdem generis fuit fœdus Norimbergense, quod *sanctum* vocabant Pontificii, quasi pro gloria Dei susceptum & veteris religionis defensione ad annos XI. cujus author fuit *Matthias Heldus*, Pro-Cancellarius Cæsaris, qui superiori anno ad conventum Smalcaldicum venerat, & satis longam, audacem arrogantemque ibi ad Protestantés habuerat orationem, ut forte haud abs re dubitatum sit, an in mandatis omnia acceperit, quæ liberius effutiit. Utcunque vero ea res se habeat, dubium certe nullum erat iis, quibus publica consilia & negotia penitus perspecta fuerunt, quin *Heldus* privato potius arbitrio, vel Cleri instinctu, quam Cæsaris jussu, *Norimbergæ* quosdam, Moguntinum & Salisburg. Archiepisc. Bavarix Duces, Georg. Sax. & Henricum Brunsvic. in conspirationem traxerit contra Protestantés, sub vano & falso prætextu, ac si hi, ut *Maimburgius* ait, religionem Catholicam prorsus abolere, & subditos ad Lutheranismum adigere vellent, vel, ut alii verius referunt, Smalcaldix bellum offensivum, quod vocant, contra Pontificios pararent. Hoc arcanum quidam ex scribis *Heldi* inter pocula, præsentibus nonnullis, prodidit, qui audita ad Senatam Augustanum retulerunt, hicque de istis molitionibus Electorem & Landgravium edocuit. Postea etiam *Johannes Navius*, Archigrammateus Lu-

cem-

cemburgensis, à *Maria*, Cæsaris sorore, Belgii gubernatrice, ad Landgravium missus, Cæsarem *Heldii* acta minime probare, palam affirmavit, & Landgravius ei per litteras objecit, quod Smalcaldix fœderatis interpretationibus suis spem pacis ademerit, deinde hos alterius partis proceribus odiosos reddiderit, eosque nulla necessitate ad fœdus defensivum, cum nulla offensus iis metuenda fuerit, sine mandato Cæsaris induxerit. Prolixè hæc *Seckendorffius* persequitur, *Sleidanus* autem breviter.

Tom. VI. Alt. p. 1370. b. Sleid. p. 338. Seckendorff. p. 171. seq.

§. CCCXLV.

Quod vero Nostri in fœdus & nunc & ante coierint, ne- *Protestantes*
quaquam vitio eis verti debet, quum non ignorarent, fabam in *conventum*
se cudi, & undique occasiones conquiri ac captari ab adversa- *Brunsvici*
riis, se invadendi, licet à Cæsare optima quæque sperarent, *instituant.*
quia ille talia semper promittebat. Cum igitur, ut vetera ta-
ceam, ex *Heldi* declamationibus Smalcaldix factis, & ejus per
Germaniam negotiatione, imprimis in Camera Spirensi, nihil
tanti expectandum esse cernerent, mense Aprili conventum
Brunsvici instituerunt, ibidemque de recusanda jurisdictione
Camerali, cujus processus omnes Norimbergensibus pactis
suspensos esse contendebant, & pro vi publica habebant, si ad
executionem sententiarum arma caperentur, multum egerunt,
variantibus autem opinionibus, nihil tum concludi potuit, sed
res ad uberiores deliberationem dilata injunctumque fœdera-
tis fuit, ut sententiam quique suam scripto consignatam Electo-
ri & Landgravio intra certum tempus mitterent. Receptus est
tum in societatem fœderis *Christianus III.* Daniæ Rex, *Conra-*
duus, Comes Teckelburgicus, Metropolis Livoniæ, *Riga*: & perfe-
cta fuit conventio cum *Johanne*, Marchione Brandenburg.
Electoris Joachimi fratre. Actum quoque cum *Alberto*, Boruf-
fix Duce, à Camera Imperiali proscripso, quam ob causam re-
cipi in fœdus nequivit: omnes tamen ei favorem benevolen-

tiamque promittebant. Similiter patrocinium promissum *Elisabethæ Hassiacæ*, viduæ *Johannis Sax. Ducis Georgio* nati. In eo conventu decreta est pia & decens bonorum Ecclesiasticorum administratio, & cura religionis purioris sedulo conservandæ, & ad seros usque posteros propagandæ. Cæterum *Henricus Brunsvicensis Dux*, Electori Saxon, Landgraviq & sociis ad conventum profecturis cavere fide publica recusavit, stimulatus à *Georgio Saxonæ Duce*; jam enim agitabat belli consilia, & multarum turbarum fax & tuba fuit.

Tom. VI. Alt. p. 1370. a. Sleid. p. 330. Seckendorf. p. 174.

§. CCCXLVI.

*Et Isenaci
de pacis con-
dit. & auxi-
lio contra
Turc.*

Inter hæc cum fama de apparatu novo *TURCARUM* magno & conatu invadendi rursus Germaniam increbuisse, Rex *Ferdinandus* ad mitiora consilia contra Lutheranos capienda permotus est, quorum auxilia petebat; ad Electorem tamen Saxon. ob litem de electione sua nondum compositam, hoc nomine non scripsit, sed ad alios quosvis sigillatim. Quod Elector præter morem & contra libertatem Germanorum Principum, fieri animadvertens, & varia inde metuens, ne quid inconsulto ageret, *Lutheri* de auxiliis ferendis sententiam rogavit, qui simplicitate Theologica respondit, male omnino factum à *R. Ferdinando*, quod Electorem non æque ac alios de auxiliis interpellaverit; quia tamen Rex non ex sua persona, vel sævitia in Evangelicos, sed respectu populi Christiani, qui cum eo simul periclitetur, considerari debeat, Electori suadet, ut auxilia non denegat, & insuper habeat suspensionem aut metum, quod victis Turcis Pontificii exercitum in Evangelicos ducturi sint. Dubitandum quidem haut esse, quin adversarii pessima consilia foveant; sed in Dei manibus, non eorum arbitrio rem versari, quod hucusque experti sumus, qui non nostris sed Dei viribus substiterimus: neque ex incerti mali metu, bona in præsens debita, salva justitia & pietate omitti debere. Interventit tamen

mox

mox Elect. Brandenburgicus, *Cæsari & Ferdinando* totus additus, licet religioni Evangelicæ jam aperte faveret. Hic ergo & litteras & legatum ad Saxonem misit, auxiliaque contra Turcam flagitavit; nec tamen negavit, ea dari à Protestantibus non posse, nisi de pace interna securi redderentur, ac eam in rem studium suum offert. *Saxo*, communicato cum *Landgravio* consilio, respondet, rem ad fœderatos omnes pertinere, seque, ne quid prætermittant, quandoquidem Imperii Comitia tam subito cogi nequeant, conventum sociorum *Isenaci* in Thuringia ad d. XIV. Julii indicturos: nec dubitare, si *Ferdinandus R.* è vestigio pacem firmam & securam, quamque reliqui Principes, Pontificiæ Religionis, ratam habeant, apud Cæsarem impetret, faciatque, ut actiones Cameræ cessent, quin auxilia libenter submissuri sint. Deliberatum autem est *Isenaci* de conditionibus, quibus pax ineunda esset, sic tamen, ut Cæsaris mandatum interveniat, & Palatinus ac Brandenburgicus mediationis partes in se suscipiant, in alio conventu, *Frankofurti* ex eorum consilio in sequentem annum indicendo, causam discutendi & transigendi. Placuit id Cæsari, & Legatum destinavit *Johannem Vesalium*, Archiepiscopum Lundensem. Ex *Pallavicino* arcana Cæsaris relata ad Ferdinandum mandata exponit *Seckendorffius*, quem videas licet. Unde constat, non solum Pontificem, sed & Cæsarem cum cæteris antiqui ritus Principibus, ad bellum Evangelicis inferendum illosque extirpandos penitus animatos paratosque esse.

Sleidan. pag. 334. Seckendorf. pag. 175. seqq.

§. CCCXLVII.

De Regis Galliæ versutia & arte decipiendi restantur legationes Nostratum elusæ. Cum enim Protestantes à Rege Daniæ intellexissent, Comitem *Fürstenbergium* ipsius legato affirma-
 masse, quod R. Galliæ, licet inducias cum Cæsare pararet, nihilominus etiam ad fœdus cum Evangelicis ineundum inclinet,
 Legationes Nostratum
 à Rege Gall.
 elusæ.

in

in conventu *Serveſta* d. V. Febr. habito, decreverunt per legatos Gallum ſibi conciliare, ei ſe excuſare, quod obſequio erga Cæſarem retenti ſcæderis tractatus, per *Langæum* oblatos proſequi hucusque non potuerint, ac denique eum rogare, ne ſe à Cæſare adverſus ſe moveri ſinat, neque in Italia concilium habendum conſentiat. Quod cum repetitis vicibus feciſſent, Rex etiam ſemel iterumque ea promiſiſſet, tandem poſt longam moram & varia itinera, quibus Regem ſecuti erant, nil niſi litteras magnificis verbis refertas acceperunt de amicitia & ſcæderis antiqui (imaginarij ſcilicet) inviolabilitate & conſervatione; quod vero cum legatis nihil concluſum ſit, ita excuſabatur, obortas eſſe quasdam difficultates, de quibus Legati neceſſarium putaverint ad heros ſuos referre. *Momorancius* ſane (quem Rex hoc tempore Magiſtratum equitum, *Conneſtablium* vulgo dictum, creavit) cum Legati oblata à *Langio* urgerent, reſpondere non eſt veritus, alia nunc eſſe tempora. Secutum tamen non multo poſt tempus fuit, quo Regem iſtorum omnium pœnitere cœpit.

Seckendorff. pag. 177. b. -- 179. b.

§. CCCXLVIII.

*Legatio
Proteſt. ad
Anglum.
Pape in
eum fulmen
ejuſque
cauſe.*

Neque multo melius tractavit *Rex Anglia* Proteſtantium Legatos; eorum enim ſcripto prolixo, quo articulos à Rege & Episcopis improbatos, nempe de communionem ſub utraque, de abolenda Miſſa ſacrificatoria, de conjugio Clericis permit- tendo, acris reſponſio, Regis nomine exhibita fuit; dimiſit tamen eos ſatis comiter, & in litteris ad Electorem Sax. omnia duriora artiſcioſe emollivit, nec exiguam ſpem in futurum oſtendit. Nullam profecto cauſam habuit Anglus Pontificiorum errores ita acriter propugnandi, qui *in terris Eccleſia Anglicana immediate, ſub Chriſto ſupremum caput* vocavit, & Legato *Montio* ad conventum *Brunſvicenſem* miſſo mandavit, ut cum Principibus ibi deliberaret de jungendis conſiliis adverſus Papæ

Papæ tyrannidem & ambitionem, illusiones item omnium Christianorum Principum, & malitiam in negligendis remediis, quæ afflictis conscientis conducant. Sensit etiam hoc ipso anno fulmen Papale horrificum, ante tres annos jam fabricatum, sed nunc demum, impulsu Cæsaris & Curia Romanæ, quæ Angliam vel recuperandam, vel evertendam censebat, evibratum. Ejus causa aliquando tribuitur scriptis, quæ Rex contra Concilium *Mantuae & Vicentia* indictum, publicavit; sed *Paulus Sarpus* alias addit graviores, Catharinæ divortium, abdicatum Ecclesiæ obsequium, *Cardinalis Koffensis* cædem, & *Divi Thoma Cantuariensis Archiepiscopi*, quod Ecclesiasticam libertatem & immunitatem acrius defenderet, ab iis, qui gratum Henrico II. Regi officium præstare se putabant, trucidati, & ab *Alexandro III.* inter divos relati, reliquias sepulchro exemptas per carnificem publice ustulandas, cineresque in flumen dispergendos curaverat. Formulæ diri programmatis sensus hic erat: Regem regno abjudicari, fautores ejus omnes bonis, honoribus, & fortunis omnibus exui. Imperatum subditis, ut imperium Regis detrectarent; extraneis, ut nullum cum ea gente commercium haberent: omnibus, ut contra Regem & populum armis insurgerent, regno & fortunis in prædam, populo in servitutem relictis.

Sleidan. p. 333. Suav. p. 75. seq. Seckendorf p. 180. 229. b. 230.

§. CCCXLIX.

Ex Gallia igitur & Anglia nihil præsidii pro religionis pu- *Persecutio*
rioris defensione, nedum propagatione, tum sperari potuit; *in Gallia &*
quin & persecutionibus sævitum est in veritatis testes. Siqui- *Germania.*
dem *Lotetia*, sub idus Aprileis, Tolosanus quidam juvenis &
litterarum studiosus, propter esum carnis ante pascha fuit ex-
stus. Consimili erant in periculo tres quidam Germani Belgæ,
propter eandem causam; sed admoniti per Senatorem quen-
dam, fuga sibi salutem quærebant. Multis insuper religionis

Bb bb

doctri-

doctrinaeque causa emigrandum fuit ex Gallis atque Belgio, quos Senatus Argentinensis recepit, iisque templum aperuit, ut Ecclesiam constituerent. Huic primus aliquot annos praefuit *Joannes Calvinus*, Noviodunensis, deinde *Petrus Brulius*. In Germania aulus est *Henricus Brunsvicensis* in ditione patris sui, *Ertici*, Evangelii progressum, quem praecipuae urbes curabant, impedire, dura minatus *Northemensibus*, qui concionatorem Evangelicum advocaverant.

Tom. VI. Alt. p. 1375. b. Sleid. p. 330. 333. Seckendorf. p. 181. b.

§. CCCL.

*Melanchth.
dissertatio
de periculis,
& consulta-
tio nostratium
de defen-
sione.*

Extat inter acta legationis Nostratum in Galliam prolixa dissertatio, à *Melanchthone* conscripta, de periculo libertati Germaniae à consiliis *Hispanorum & Burgundorum* imminente, cum querela de multis Caesaris in eam attentatis; sed parum attendebatur, & majus periculum religioni puriori imminere ab Italis; ad *Melanchthonem* enim de Pontificis gravissima ira litterae ex Italia venerunt, quarum ille mentionem fecit in Epistola ad *Landgravium* d. IV. Novembr. data. Hinc indicto licet conventu Francofurtensi, multa fuit tum inter Principes & cum Theologis consultatio, an & quatenus licitum esset, defensionem parare, vel etiam ab adversariis vim praevinire. Interim Deus ipse suam causam egit, effecitque, ut Evangelium propagaretur, quemadmodum nunc strictim recensebimus è *Seckendorffio*.

Seckendorff. pag. 179. b. 181. b.

CCCLI.

*Elect. Bran-
denburg.
propensio ad
doctrinam
Evangel.*

Electoris Brandenburg. *Joachimi II.* propensio ad doctrinam Evangelicam, magis magisque erumpens, haud parum adjumenti attulit Nostris, quemadmodum ex supra dictis colligi potest. Nam cum *Melanchthone* collocutus & ab eo in multis informatus, spem fecit populo suo, piam doctrinam mirifice fruienti & expetenti, se emendaturum Ecclesiam, repugnantibus

bus

bus sacrificulis, quorum magnam habebat multitudinem, vi & artibus variis, ut solebat istud hominum genus rude & spurcum. Successum autem Reformationis in Marchia sequentes anni clarius docebunt. Ejus soror *Elisabetha* quoque, *Erici* Brunsvici *Ejus sororis* censum Ducis Hanoverani, conjux serio ad doctrinam Evan- *Elisabetha* gelicam animum applicuit, ac à *Landgravio* mitti sibi petiit *conversio.* Pastorem vicini oppidi *Hassiaci Wizenhusæ*, *Antonium Corvium*, non solum ad se melius instruendam, & Sacramentum administrandum, sed etiam posthac ad provinciam reformandam.

In *Ducatu Mecklenburgensi* magno purioris doctrinæ zelo *initia refor-* flagrabat *Magnus*, *Episcopus Suerinensis*, *Henrici* Ducis filius; *mat. in Du-* quare cum comitia istius Ducatus in oppido *Parchimensi* habe- *catu Meck-* rentur, per totam regionem, quam Pater fraterque ejus com- *lenburg.* muni jure regebant, *Missas* & alios abusus veteres, etiam apud *Canonicos* & *Monachos*, abrogari volebat; sed, renitente fratre, perficere destinata non potuit: interea ivit, qua licuit, & in locis sui *Episcopatus* ubi jurisdictionem simul habuit, reformationem procuravit.

Nordlinge etiam hoc anno, *Senatus* *Missas* sacrificatorias, *Nordlinge* ceu abominabiles & illicitas, publice in urbe abrogavit, & or- *perfecta.* dinationem rituum à ministerio conscriptam, ad *Concilium* usque universale, vel aliam constitutionem, confirmabat, nec nisi purum Dei verbum prædicari volebat.

Alia loca taceo, quo *Evangelii* sonus pervenit; ejus enim *alibi in-* doctrina longe lateque propagata, ac desiderium in populis etiam *choata* Pontificiis Principibus subjectis, accensum fuit. Unde cætus vagas sacerdotum libidines ferre amplius nolebant, & *Monachi* quoque conscientix testimonio convicti, continentiam singulare Dei donum esse, ac lege *Ecclesiastica* neque acquiri neque sanciri posse, monasteria passim deserebant, & *pastoratus* seu *sacerdotia curata* vocabant, ita ut *Alexander*, cum *Legatus* ad *Ferdinandum* à Pontifice mitteretur, ad mille quingenta in *Ger-* maniz

manix aditu, seu provinciis Austriacis reperisse se conquestus sit. *Georgius* Sax. Dux in Comitibus Lipsix habitis publice factus est denudatos pastorum & cœnobiales conventus, & maluit Clero conjugiorum libertatem & populo integrum Sacramenti usum à Pontifice & Episcopis stipulari ac pacisci, & reditus ad alendos instruendosque studiosos Theologiæ & constituendos doctos in oppidis pastores impendere. Sed evicerunt præfules, ut sæva denuo edicta contra eos, qui sub una communicarent, aut in vicina loca Electoratus, audiendi Evangelii causa excurrerent, promulgaret.

Seckendorff, pag. 182. seq.

§. CCCLII.

*Scripta Lu-
theri Lati-
na.
Comment.
in Cantis.
Cant.*

Inter scripta præcipua hoc anno à *Luthero* edita latino sermone referuntur: I. *Commentarius in Canticum Canticorum*, quod nova ratione explicat statuitque esse encomium Politicæ Judaicæ tunc florentissimæ, & thesauro verbi Dei præ aliis omnibus gentibus ornata; alibi tamen, ubi dicta ex hoc libro citat, ea de Christo & Ecclesia, vel anima fideli, mystice applicat. II.

*in 18. Capp.
Matthæi.*

Annotationes in Matthæi priora octodecim capita, septimo excepto, quas inter cœnandum dictaverat in gratiam amici, non eo animo, ut ederentur. Sunt tamen in his extemporaneis notis, quæ & textum egregie explicant, & salubria de fide & sanctimonia monita continent. Pro more etiam passim perstringit errores & abusus Pontificiorum, de purgatorio, de primatu Papæ, de operibus &c. III. *Enarratio in Psal. LI.* ex prælectionibus ejus

in Psal. LI.

A. 1532. collecta, & hoc anno à *M. Vito Theodoro* edita. Multa subinde hinc citata reperies in Locis nostris, inpr. de Peccato,

*Pref. in Ep.
Hieron. ad
Evagr.*

Pœnitentia & gratia Justificationis. IV. *Præfatio in Epistolam S. Hieronymi ad Evagrium de Potestate Papæ*, quam illo tempore in publicum ducere & singulariter inspiciendam proponere voluit, ut, quemadmodum ait, *habeat juvenus præteritarum rerum imperita testimonium de veteris Ecclesia statu, adversus*

reli-

reliquos defensorculos & patrunculos, frigidos sane & elumbes, meretricis istius Romana, de causa sua non leviter periclitantis. Hinc enim videri, ævo Hieronymi, (ut & Ambrosii ac Augustini) nullum in Ecclesia fuisse Archiepiscopum, Patriarcham, Primatem, Metropolitanum, multo minus Papam seu œcumenicum Pontificem; sed omnes Episcopos inter sese æquales: nec tum differentiam donorum & gratiarum spiritualium fecisse superiores Episcopos.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 270--415.

§. CCCLIII.

Ex scriptis Germanicis laudari præ aliis debent *Explicatio- Germanica* *nes in Johannis capita II. XIV. XV. & XVI.* quas, ut compila- *Explicat. in* *tores Tomorum Megalandri referunt, ipse Lutherus omnibus* *Joh. II. XIV.* *XV. XVI.* *aliis scriptis suis prætulit. Edidit etiam Lutherus hoc anno, ut* *supra notavimus, articulos Smalcald. sed sine indice subscriben-* *Art. Smal-* *tium, & discrepat etiam hæc editio plus quam sexaginta locis* *cald.* *ab exemplo manu Spalatini descripto & à Theologis subscri-* *pto, sed tantum quoad verba, quæ Lutherus substituit commo-* *diora, non quoad substantiam dogmatum. Nec subjuncta ei est* *dissertatio de potestate Pontificis, aut censura in Melancthonem,* *incipiens his verbis: o quantum mutatus ab illo &c. (vid. supr. p.* *338.) desumpta ex editione Jo. Stolzii, concionatoris in aula Vi-* *nariensi, similitatem redolens, quæ tum inter Electorales &* *Ducales Theologos vigebar.*

Contra Epigrammata M. Simonis Lemnii, programma du- *Program-* *ma in epi-* *grammata* *Lemnii.* *rissimis verbis, ea maxime in parte, qua Albertum Mogunti-* *num adoritur, conceptum vulgavit, irritatus, non tantum* *quod maledicus Poëta plus quam Satânico furore totam Aca-* *demiam Wittenbergensem, ac se præcipue, spiculis suis ferire* *non sit veritus; sed etiam ea in Electorem & Landgravium vi-* *braverit. De qua acerbitate Brandenburgici Principes omnes* *questi sunt apud Electorem Sax. qui se incio id factum iis referi-*

psit, *Landgravius* autem, eandem acerbitatam *Lutheri* accusanti, respondit liberius, & *Moguntini* in se acerbitatem non uno modo declaratam opposuit, ut & merita *Lutheri*, sicque in meliorem partem interpretatus est, & condonavit, quæ irritatus *Megalander* præcipitanter evomuit.

Concio in Gal. l. 14.

Concionem in *Galat. I. 14.* *Christus dedit semetipsum &c.* egregiam edidit, & qua luculenter & nerve articulum de justificatione hominis peccatoris coram Deo per fidem tractat.

Versio symbolorum.

Publicavit etiam versionem Germanicam *Symbolorum*, *Apostolici*, *Nicæni*, *Athanasiani*, *Ambrosii* & *Augustini*, ut denuo ostendat, se cum vera *Ecclesia Christiana* consentire penitus, licet recesserit ab illa, quæ symbolis errores admiscuerit.

Præfationes & Epistolas in *Indice* indicabimus.

Tom. VI. Alt. p. 1227 -- 1370. Tom. VII. Alt. p. 46 -- 233.

§. CCCLIV.

An. 1539: conventus Francofurti habitus.

Sub finem anni M. D. XXXVIII. & initium XXXIX. *Nostri* ad conventum *Francofurti* indictum se parant, & *Saxo* atque *Landgravius* ad omnes socios miserunt, eosque ut frequentes adessent, rogarunt, cum in finem, ut ante omnia pacem firmam tentarent, aut, si obtineri illa ab adversariis nequeat, de defensione prospicerent. Atque eo tanto magis movebantur, quanto certius resciverant, *Henricum* *Brunsvicensem* totum ad rumpendum otium publicum spectare atque in hoc incumbere, ut belli adversus *Protestantes* initium fieret: hujus enim litteras ad *Moguntinum* & *Heldum* datas, una cum scriba *Stephano Fabro*, *Landgravius* cepit, & quæ sibi inique ab hostibus tribuantur, quæque moliantur, inde perspectis, retulit ad socios. *Brandenburg. Elector* dolorem propterea testatus, primus omnium iter *Francofurtum* suscepit, ut pacis negotium promoveret. Nec *Saxo* quidquam prætermisit, atque *Theologorum* sententiam antea exploravit, qui quatuor responsis datis,

Henrici Brunsvic. consilia detecta.

tis, licitam esse affirmarunt defensionem contra fœderatos No-
 rimbergenses, Evangelicæ doctrinæ extirpationem, & veterum
 superstitionum renovationem vi molientes, imo etiam præven-
 tionem aggressionis, si constaret, accinctos ad eam esse. Ad-
 diderunt tamen, expendendas vires, nec Deum tentandum
 esse. Hinc Elector *Dolzigium* in aulam Cæsaris misit, qui à
Nuenario Comite secreta investigaret, & pacifica Protestan-
 tium consilia promittitudinemque eorum ad subsidia adversus
 Turcam demonstraret, ac hostium calumnias refutaret. Nostri
 quoque in conventu ipso Francof. declararunt, se media pia
 pacis & concordix perpetuæ proposituros & acceptaturos, de
 bonis Ecclesiasticis per conscientiam disposituros & aliis nil præ-
 scripturos esse &c. Hæc aliaque talia, æqua licet, ab Oratori-
 bus Cæsaris & Regis rejecta sunt, ac post multam disceptatio-
 nem secuta est d. XIX. April. qualiscunque conventio, in qua
 induciarum ad quindecim menses observatio, & colloquium
 de religione inter doctos ex utraque parte sed non contentio-
 sos, in quo tamen nullæ Pontifici partes relinquuntur, habend-
 dum, & confirmatio pactorum Norimbergensium promitte-
 bantur. Consensum quoque est utrinque in dimissionem co-
 piarum militarium, & exclusionem ab induciis Anabaptista-
 rum & sectarum impiarum, diversam ab A. C. sententiam fo-
 ventium. Cæsar approbationem pactionis Francofurtensis
 quoad colloquium Norimbergæ de religione habendum distu-
 lit, instigatus à Pontifice, qui indigne tulit, res religionis in
 Germania tractari, & colloquii directionem ad se spectantem,
 ab Evangelicis recusari, sicque concilii à se indicti famæ præju-
 dicium recusari; licet, quod *Sarpinus* ingenue libereque fatetur,
 id haberetur, nec ne, non multum laborabat. Stimulabat au-
 tem Papam *Alexander*, ei referens, quod *Joannes Vessalius Lun-*
denfis Archiepiscopus, Pontificius delegatus, Lutheranorum po-
 stulatis assensisset, muneribus ab iis corruptus, cum magno se-
 dis

dis Apostolicæ præjudicio, & Cæsareæ Majestatis ignominia. Hæc ubi rescivit Papa, protinus *Johannem Riccium Montepolitianum*, ad Cæsarem in Hispaniam misit, qui istam *Lundensis* perfidiam nunciaret, & à comprobandis pactioibus Francof. ipsum avocaret, Lutheranorumq; fraudem exponeret, qui cum Imperatore semper malitiose egerint, & religionis stabilien-
dæ obtentu, longe diversa à religione consecutur. Vias in-
super alias indicaret, ad Germaniam in ordinem redigendam,
Pontifice, pro modulo virium ipsius, jam præparato, ad auxi-
lia, quam possit maxima suppeditanda. Foedus inter Princi-
pes Germaniæ catholicos, Cæsari esse augendum, & Luthera-
nis fautores detrahendos; eamque ob rem pecunias copiose in
Germaniam esse mittendas, ut tam donis quam promissis ho-
mines impellantur, ad se foederi Catholico adjungendos, Pon-
tificem idem facere decrevisse. Neque fore alienum, belli Tur-
cici prætextu, aliquot Hispanorum, vel Itatorum cohortes in
territorio Regis Romanorum alere. Hæc scilicet sunt pacifica
consilia Sauli potius, Ecclesiarum vastatoris, quam Pauli œcu-
menici, ut videri volebat lupus, Pastoris. Cæsar melius ani-
matus, assensionem retinuit, nec animi sui sensum, utrum
colloquio Norimbergam Augusto mense indicto, assentiri vel-
let, nec ne, declarandum putavit. Succedente vero conjugis
suz morte, & Gandavensium populique circumjecti seditione,
cum minus quam antea rebus Germaniæ vacare posset, suspen-
sa omnia reliquit. Hæc fere *Sarpus*. Aliunde constat, Cæsari Lun-
densem se purgasse, eumque hujus acta vel ideo laudasse, quod
spe induciarum Protestantium impetum Francofurti retinuisset.
Pallavicinus apud *Seckendorffium* retulit, Cæsarem apud Ponti-
ficem querelas & excusationes protulisse, quod consilii loco ad
colloquia & tractatus particulares animum advertisset, veritum
quippe, ne Concilium in conventum nationalem degenera-
ret, importuna Germanorum flagitatione, & Catholicorum
cum

cum Protestantibus coalitione, à qua in comitiis Ratisbon. A. 1532. res parum abfuerit. Proposuisse igitur rursus indictionem alicujus conventus, cui tamen adessent Pontificis & Galliarum Legati, concordiam in religione promoturi. *Ferdinandus Rex* itidem ab *Aleandro* instigatus non solum à colloquio promovendo abstinuit, sed & *Wormatiensem* conventum d. 18. Maji indictum, ad Kal. Junii prorogavit, ut interea cum Pontif. partibus Principibus separatim consultare posset; exiguum tamen successum ea ars habuit.

Tom. VII. Alt. p. 300. b. 302. 304. b. -- 307. 401. a. Sleidan. p. 341. seq. P. Suav. p. 76. seq. Seckendorf, p. 200 -- 208.

§. CCCLV.

Pontifex, cum animadverteret, tam frequentibus Concilii indictionibus & frustrationibus homines quidem detineri spe aliqua, sed existimationi suæ plurimum decedere, & illusionem istam effectum aliquem rebus suis incommodum producere posse, apud se statuit, missis ambiguitatibus, serio negotium aggredi. Itaque in Senatu Cardinalium proposuit Concilii convocandi necessitatem, atque ut de eo deliberetur, & in hanc vel illam partem aliquid certi decernatur, cupere se indicavit. Cardinalium nonnulli, *Sarpio* scribente, quibus reformatio omnis erat in visa, ut hoc se metu liberarent, suspensiones Concilii de die in diem, plane damnabant; & manifestam Pontificis declarationem requirebant, de Concilio non ante convocando, quam sublatis impedimentis inter Principes amicitia coaluisset, sine qua inutiles essent omnes de Concilio cogitationes. At è Cardinalibus prudentiores quique, cum hoc metu alium timorem æquis ponderibus librabant, à conciliis provincialibus, aut aliis forte remediis asperioribus, magis quam ab Concilio generali sibi metuentes, his consultius visum, nullum diem præfigere, sed ad voluntatem Papæ Concilium suspendere: quippe animo jam certis, ubi utilitatis ratio

Cccc

suade-

suadebit concilium non esse convocandum, discordiæ inter Principes, aut alio aliquo obrentu, suspensionem eam continuare: sin periculum à Provinciali Concilio, aut à colloquio, aut aliunde impendebit, prævertendo huic malo, Concilium generale, loco & tempore præfinitis, indicare: sed de eo celebrando aut contra, pro rerum oportunitatibus Concilium esse capiendum. Hæc cum placuisset sententia, secundum eam factum diploma Junii XIII. quo Concilium antea indictum, ad Pontificis ac sedis Apostolicæ beneplacitum suspenditur.

Manifestum esse hinc arbitror, Pontificem dum ad illusionem de spe Concilii sæpe facti declinandam de concilio convocando deliberaverit denuo, rursus nova illusionem decipere voluisse non tantum Protestantes, sed etiam Cæsarem, Reges & Principes Pontificios, qui serio & mature Concilium flagitabant.

P. Suavis pag. 78. seq.

§. CCCLVI.

Lutheri liber de Concilio & Ecclesia.

Cum igitur antea & nunc in omnium ore esse inciperet Concilii nomen, *Lutherus* librum constantem aliquot partibus de eo lingua populari vulgavit, ac fraudes astutiasque Pontificis in sæpius promisso sed semper studiose prolato Concilio, ab initio detexit, scripsitque, se non semel sollicitum fuisse, nec cessasse, sed sæpius dixisse, Papam cum sociis suis non ante concilium coacturum, quam Cæsarem, Reges & Principes constrictos habuerit, ut libere decernere queat, quicquid arridet, ad tyrannidem suam stabiliendam & Christianitatem magis, quam unquam antea factum, opprimendam. Neque aliter ludere Papam cum Imperii proceribus, quam ludi cum canibus soleat, quibus bucella panis mucroni cultri affixa offeratur, sed eam captantibus, ora feriantur, ut non solum damnum verum etiam dolorem sentiant. Hoc autem si ferre Reges Principesque possint, nos quoque pati posse; Christum nihilominus Ecclesiam suam servaturum, ac denegata à Pontifice reformatione eam
apud

apud Dominum nostrum Jesum Christum quærendam esse. Interim Papam & Clericos ipsi adhærentes ita satis testari, quod veri sint *Antichristi* & *ἀντικριστοί*. Hinc ad rem accedens, negat reformationem ex veterum conciliorum actis & decretis, aut Patrum scriptis institui posse, ac rationibus multis hoc probat. Concilia sigillatim percurrit, initio facto ab Apostolico Actor. XV. & post enumerata œcumenica, ut vocant, ad primariam quæstionem progreditur, & quæ sit Concilii potestas, ostendit. Compendium tractatus retulit *Sleidanus*, prolixius autem recensuit cuncta *Seckendorffius*: & nos suo loco plura inde repetemus.

Tom. VII. Alt. p. 235--296. Sleid. p. 345. Seckendorf. p. 245. seqq.

§. CCCLVII.

Externa hæc, quam hucusque descripsimus, facies, pa-
rum spei relinquere videbatur Evangelicis ad purioris doctrinæ
propagationem; Dei tamen, qui mirabiliter ducit sanctos suos,
& diligentibus ipsum omnia in bonum vertit, gubernatione fa-
ctum est, ut subito non spes tantum ampla affulgeret, sed even-
tus quoque præclare ei responderet. *Catastrophe enim Misniæ, Duce,*
ut *Seckendorffius* ait, *quam tot hominum, Evangelicam doctrinam*
appetentium, millia diu desideraverant, & Lutherus ominatus
erat, morte Ducis *Georgii* secuta est, ad exitum conventus Fran-
cofurt. d. XVII. April. Testamento antea scripserat hæredes
Henricum fratrem, ejusque filios *Mauritium* & *Augustum*, ea le-
ge, ne formam religionis mutarent, sed simulac id facerent, ut
Cæsari & Ferdinando Regi tamdiu cederent, donec aut ille, aut
filii, aut ex ea familia proximus agnatus conditionem im-
pleant. Hoc testamentum à provincie proceribus jurata fide
confirmari & promitti volebat, ab eo se non decessuros. Illi
vero autores Duci fuerunt, ut legatos ad fratrem mitteret, qui
ad conditionem istam implendam eum argumentis persuade-
rent variis, imprimis quod multum paratæ pecuniæ, exquisitæ

Cc cc 2

suppel-

suppellectilis, & argenti adesset. Sed frustra fuerunt; *Henricus* enim ad suos consiliarios dixit: videri sibi legationem repræsentare Satanam, mundi regna Christo promittenti, si ipsum adoraret; se in agnita veritate persistere constanter velle. Hoc responso *Georgii* legati *Dresdam* reversi, novas mox & mitiores condiciones proponunt, petuntque aliquem ex *Henrici* ministris mitti, quod dum fit, occumbit interea *Georgius*, iliaca passione oppressus, & *Henricus* ilico *Dresdam* profectus, summo populi applausu exceptus est, ac cum facile suam in fidem adegit, conterritis & lugentibus monachis, qui reformationem haud abs re reformidabant, cui etiam solita obstacula, minæ scilicet & blanditiæ, ac subdolæ artes mox objiciebantur: illæ quidem à *Ferdinando* Rege, quæ tamen intra verba & litteras substituerunt; hæ autem à *Johanne Episcopo Misnensi*, qui statim post *Georgii* discessum, jure quasi suo datis ad *Henricum* litteris, ab eo postulavit, ne quid in religione innovaret, pollicitus, se ipsum de pia reformatione cogitaturum: quem in finem postea libellum misit, sub hoc titulo: *Doctrina Christiana generalis de articulis cuilibet fidei scitu necessariis*, qui continebat explicationem Symboli Apostolici & Decalogi, convenientem magna ex parte cum stylo & sententia *Lutheri* ac sociorum, ita ut vel *Pflugii*, vel *Vicelii* opera satis ibi deprehendatur. Nec dissimulavit paucos esse ad ministeria Ecclesiæ idoneos, & Scholarum instaurationem requiri, seque eam in rem, & ut lectores Scripturæ S. in monasteriis constituentur, ac monachi ad studia excitentur, & visitationes diligenter fiant, serio incubiturum. Addit tamen querelas de *Missa Dresdæ* jam abrogata, eamque restitui petit. *Henricus* tempore ad legendum librum opus esse respondit, legatosque dimisit, sed librum confestim *Vinariam* Elector transmisit, qui Theologorum *Wittenbergenf.* judicium de eo flagitavit. Hi rescribunt, se deprehendisse commentum *Misnensium* Sacerdotum ab initio speciose
ince-

incedere, suis (Theologorum) plumis ornatum, nihilominus plenum veneno esse, durissimis verbis damnare doctrinam, quam Princeps *Henricus* cum multis aliis sequatur, in nullo Concilio damnatam. Adducunt etiam rationes, cur rejici debeat, i. quod paucos articulos, eosque callide incrustatos, contineat, præcipuos autem, & controversos prætereat, nempe *Missas solitarias, communionem sub utraque, & conjugia Cleri.* 2. Quod injuste accuset Protestantés, ac si ab Ecclesia desciverint, nec salvari possint, nisi ad eam redeant. 3. Errores varios indicant de Missa, votis monasticis, imprimis de Justificatione. *Lutherus* nominatim & separatim suadet, ut *Henricus*, si Evangelium habere velit, idololatrias abroget, quarum maxima sit Missa, ex jure Domini à Deo accepti, als *Lands-Fürst und Schutzherr von Götze gefest schuldig.* Unde nec Misnæ nec Stolpæ tolerare eam amplius possit. Autoritate supremæ Jurisdictionis visitationem esse instituendam, cum eam homines desiderent & petant. Paruit, ut videtur, *Henricus* his consiliis & non tantum Missam privatam sustulit, sed etiam visitationem instituit, nec dimoveri se à cœptis est passus, quando Episcopus iterum iterumque contradixit, & Augustanam Confessionem rejectam in Comitibus asseruit.

Tom. VII. Alt. p. 381. b. 382. a. 401. Seckendorf. p. 208 -- 217.

§. CCCLVIII.

Celerrime igitur reformatio in Ducatu *Georgii* divina ope *Misnia tota celeriter reformata fuit.* peracta est, præparatis jam ante & avide eam appetentibus animis quamplurimis, cum nullus *Georgii* rigor impedire penitus potuerit, quo minus homines ad vicina Electoratus loca excurrerent, ut Evangelium audirent, aut ex frequentibus cum Evangelicis commerciis gustum quendam salutaris doctrinæ perciperent, vel è lectis clam *Lutheri* libris haurirent. Elector etiam Saxonix, simulac audivit de *Henrici* piis conatibus, consilio & auxilio sine mora ei adfuit, ac eo nomine *Francosurto*

Cc cc 3

domum.

domum properans, & Giesſæ Landgraviū offendens, eum quoque in partes traxit, & legatis in conventu relictis mandavit, ut reliquos etiam per aliquot dies retinerent, & de ſuppetiis Henrico ferendis, ſi res poſtularet deliberarent. Omnes eum in ſinem officia pollicebantur, & Landgravius inprimis d. XXIV. April. Electori per litteras nunciavit, malle ſe potius de ſua provincia & facultatibus periclitari, quam permittere, ut Ducatus Georgii Henrico ejuſque filiis eriperetur. Elector ipſe quoque Henrico omnes facultates ſuas obtulit, ac odium Caſaris & Ferdinandi ordinumque provinciae in ſe ſuſcepturum recepit, & effecit, ut ſe præſente Annabergæ Evangelicæ conciones haberentur Dom. Cantate, & paulo poſt in feſtō Pentecoſtes Lipſiæ, quo Lutherum ſecum duxit, qui & in arce, & in æde parochiali ad D. Nicolai conciones habuit, ſicque impletum fuit ejuſ vaticinium, multos ante annos pronunciatum: *durabit mihi vita, ut Georgii, non deſinentis perſequi verbi Dei prædicationem & pauperes Lutheranos, totam ſtirpem à Deo extinctam videam, & ego Lipſia verbum Dei prædicem.* Idem alibi quoque factum, Miſſæ ſolitariae per edicta Henrici ubique abrogatæ, & conciones inſtitutæ ſunt: cumque pauci ad eas habendas idonei eſſent, ad tempus ex variis locis & regionibus mutuati ſunt Theologi, paſtores & viſitatores, qui, brevi temporis ſpatio, omnia rite, quantum fieri poterat, ordinarunt, ac ad ſuos revertentes Henricum cohortati ſunt de altera & accuratiore viſitatione ac reformationis continuatiōne; agi enim de ſalute quingentorum vel ſexcentorum millium hominum, quos in parochiis fere mille reperiri dicebant, ſolo Miſſæ ſpectaculo hucusque gaudentes, qui, niſi conciones Evangelicæ aliaque pietatis exercitia ſubſtituantur, miſerrimi ſint futuri.

Tom. VII. Alt. pag. 297. ſeq. 401. b. Sleid. pag. 344. Seckendorff. pag. 217--223.

§. CCCLIX.

§. CCCLIX.

Tanta ad Protestantes accessione facta, valde doluerunt Pontificii principes, *Moguntinus* præsertim, & *Henricus Brunsvicensis*, quem impiam eructasse vocem dicunt, audita *Georgii* morte: *malle se, ut Deus in cælis, quam Georgius in terris obiisset.* Evangelici contralætati sunt in Domino, ejusque providentiam & curam singularem erga se admirati veneratique sunt, ut par erat: ac id tanto magis, quanto magis undique in se conspirare Pontificios intelligebant. Nam *Gallus* post pactas cum *Cæsare* inducias, frigidior se erga Principes nostros præbebat, cumque ex tumore, falso licet profususque confictio, intellexisset, *Ulricum*, *Württembergicum* Ducem, fœderatorum impulsu copias adversus Prælatos quosdam Germaniæ parare, hortatus est eum cum comminatione, ut à proposito desisteret. Quam calumniam non tantum *Ulricus*, verum etiam fœderati *Nostros* *Francofurti* congregati, per litteras diluere studuerunt, & Rex ad eas clementer respondit, mitiusque ad *Ulricum* scripta interpretatus, ac suspicionem de mutato erga Nostros animo exuere illis conatus est; *Gallicæ* tamen fidei parum tribuebant. Nec multo majorem spem de *Angliæ Rege* concipere poterant, licet per legatum suum *Christoph. Montium*, eis exposuerit *Francofurti*, decretam esse *Romæ* illorum oppressionem, quodque *Cæsar* pessime eis cupiat, ac fœdus societatemque Nostros obtulerit, & hoc nomine Legatos ad se mitti petierit. Nam publicaverat Rex, instinctu *Gardineri Episcopi Vintoniensis*, ac certimi reformationis hostis, in *Ordinum* regni conventu, clam Protestantibus habito, edictum, quo summam fidei *Romanæ*, nempe *transsubstantiationem, communionem sub una, cælibatum Sacerdotum, vota monastica, missas privatas & confessionem auricularem*, sub pœna capitali stabiliverat; sive quod crederet, se *Dei* cultum promovere, si in suo regno nullam religionis innovationem permitteret; sive constantiam in iis, quæ contra

Quod Pontificiis dolorem nostris gaudium incussit, profuitque,

cum Gallia Rex frigidior se nostris præberet,

& Angliæ R. edito Romanam fidem stabiliret,

Luthe-

Lutherum scripserat, testatam veller; sive Pontificem cuperet mendacii compertum, qui in diplomate suo Regem criminabatur hæreticæ per regnum doctrinæ propugnata. Quo ipso Papæ, ante paucos dies Regem execrabili fulminis maledicto configenti, ita satisfecit, ut Cæsarem ad imitandum illud edictum hortatus sit, & ut Protestantibus significaret, nihil ipsis ab *Henrico* sperandum esse, emendationem & conciliationem cum *Papa* meditante. Legatos Nostratum tamen satis benigne audiverat Rex, ac denuo monuit, cavendum esse Protestantibus à pulchris Cæsaris promissis, se quoque ei diffidere & ad defensionem paratum esse. Deputati etiam à Rege sunt, qui cum Legatis Nostris tractarent in ædibus *Crumwvelli*, nihil tamen concludi potuit, causante Rege, quod Legati non satis essent instructi, nec æquas & pares obtulissent conditiones, sicque eos dimisit. Disseminabatur autem in Anglia, ante edictum istud sancitum, scriptum aliquod, quo *Lutherum* atque *Melanchthonem* mutasse in aliquot capitibus doctrinam antea receptam ferebatur, hacque fraude sycophantæ facilius Regem ad edicti approbationem induxerunt. Hujus scripti exemplum Elector à Legatis suis accepit, & *Luthero* Collegisque misit, ut illud refutarent, quod totum exhibuit *Seckendorffius*, additis notis, ex vera & orthodoxa *Lutheri* confessione & doctrina depromtis, ne incautis lectoribus fucus obtrudatur. Elector Sax. pro sapientia sua facile subolsecit, Anglum nihil serio sed tantum sicte & simulate agere, etiam tum, cum novas nuptias, suafu *Crumwvelli*, qui hic etiam sua spectabat comoda, cum *Anna*, Clivenfis Ducis filia, cujus sororem Elector duxerat, ambiret, ac eo nomine *Christophorum Montium* Legatum mitteret; optimo enim Deoque deditissimo ac fidentissimo El. suspecta & ingrata fuerunt omnia consilia, licet speciem religionis juvandæ firmandarumque partium haberent; quibus tamen *Landgravius* plus dabat; unde sæpe disceptatio inter eos orta est. Sed perstitit

quod Wit-
tenb. Theo-
logi refuta-
runt.

rit in suspitione iudicioque suo de Anglo Elector, & Montio, cuncta excusanti & extenuanti, graviter exprobravit, ejusque exceptiones refutavit. Interim Theologos se consulturum, & ferre posse dixit, ut in conventu *Arnstadiensis*, qui instabat, hac de re ulterius deliberaretur. Theologi Wittenberg. respondent, Electorem fecisse, quicquid fas & æquum esset, *Regem autem Anglia contra conscientiam* ad edictum provolasse, satis gnarum Evangelicæ doctrinæ, cum ex *Sarcerii* libello, tum *Crameri & Latimeri* concionibus: esse *Sophistam, fucis & fallaciis deditum*, judicandum ex intimioribus, quibus utatur, consiliariis, ut *Gardinero*, tyranno sævissimo, & *Bonnero*, fingendi magistro, atque ex vita, qui duo scorta, virilem vestem gestantia, secum ducat. Sibi igitur omnino videri, non esse *Henricum*, per quem *Deus in Anglia Evangelium suum sit stabiliturus*. Privatis in literis *Lutherus* addidit, Legatos ejus quondam Wittenbergæ magnam Regis inconstantiam falsos esse: immo *Barnesium* dixisse, religionem pro nihilo ab eo haberi; ac proinde se lætari, quod publicatione edicti larvam tandem deposuerit: hoc longe melius esse, quam si cum falso amico fœdus initum fuisset. Circa idem tempus *Melanchthon*, suadente *Landgravio*, jussus est epistolam ad Regem scribere, qua i. benevolentiam ejus inde captat, quod aliquot Romani Imperatores Christianorum apologias & ad miserint & approbaverint; sperat igitur multo magis Regem Christianum, & doctum, auditurum piorum in Ecclesia querelas & admonitiones. 2. Phrasin ostendere scribit, Episcopos haud dubie sex illorum articulorum autores esse, non Regem, ipsumque à Sophistis persuasum ut edictum probaret. Nunquam autem indecorum fuisse bonis Principibus, corrigere injustam asperitatem, ut *Nabuchodonosori*, *Dario*, *Adriano*, *Antonino*. 3. Dolet Regem alienæ sævitæ & impietatis ministrum fieri: item Christi doctrinam arceri, veteres errores & vitiosos ritus stabiliri, libidines confirmari, viros excellenti doctrina & pietate

Melanchthon ad Regem scribere jussus id graviter fecit.

tate præditos, ut Cramerum & Latimerum, in custodiis teneri, & præberi voluptatem *Antichristo*, licet Episcopi omnia novis fucis pingant, contendantque, se non errores, sed veras sententias & jus divinum tueri. 4. Monstrat articulos decreti sophisticæ & insidiose esse positos, ut inde Rex judicare queat de consilio & voluntate Episcoporum. Negari non posse, diuturnas horribilesque tenebras in Ecclesiam Papæ Rom. culpa partim in-vectas, partim confirmatas, ex quibus Deus non nihil Ecclesiam evolverit, *Anglicanos* autem *Episcopos* ab *Antichristo Rom.* non esse avulsos, sed illius errores tueri, & arte cavere in articulis, ut nulla emendatio sequi possit. Scripturam autem omnem idololatriam abrogatam velle, quæ in Missa, sanctorum invocationibus &c. conspiciatur. 5. Deplorat vicem Regis, quod Papæ tyrannidem improbet, & vere eum Antichristum vocet, interea vero eas leges, quæ nervi sint regni Antichristi, defendat. Eum itaque 6. ad extremum obtestatur propter Jesum Christum, ne conscientiam suam istorum articulorum defensione polluat, sed insidias diaboli agnoscat, decretum Episcoporum, quos habeat diabolus odii sui adversus Christum ministros, leniat ac emendet, hacque in re gloriæ Christi serviat, & suæ suarumque Ecclesiarum saluti consulat. Id si fecerit, Deum præmia pro pietate redditurum, & pios litteris pariter ac voce ejus virtutem laudaturos.

Sleidan. p. 343. 346. Suav. p. 78. Seckendorf. p. 223. b. -- 230.

§. CCCLX.

*Acta in
conventu
Arnstadii.*

Arnstadii, conventus Protestantium habitus fuit mense Novembri, ac deliberatum de augendo fœdere, deque defensione necessaria, si forte Cæsar transactionem Francofurtensem non admittat, de recte dispensandis bonis Ecclesiasticis, deque mittenda in Angliam legatione, propter decretum religionis nuper factum, & deducendam sponsam Clivensem, de sollicitando Galliarum Rege, ne doctrinæ causa homines affligantur in-

nocen-

nocentes, de mittendis quoque ad Casarem legatis, simulac in Belgium advenisse constiterit, ut & ad Trevirenses, Colonienses, Bamberg. & Wurzburg. Episcopos, Ducemque Juliacensem, à quibus petebant, ut à fœdere Norimberg. porro abstinerent, nec sub religionis prætextu libertati Germaniæ periculum crearent. Sax. Elector litteras quoque ad Regem Angliæ dabat, quibus ei tandem de matrimonio, quod antea ob lubricam ejus fidem, & infelicia uxorum fata, dissuasera, gratulatur, & ratum se illud habere, profitetur; addita tamen hac petitione, ut Rex, qui dudum Romani Episcopi & Antichristi tyrannidem abjecerat, nunc etiam ejus abusus, ad exemplum suum & sociorum, repudiet, & Episcoporum consiliis reluctetur, qui monstrum Romanum in corde fovent & retinent, ejusque autoritatem, nomen & imperium facile restitui posse existimant, si dogmata ejus retineantur. Mandatum insuper est legatis in Angliam missis, ex decreto fœderatorum, ut pro re nata tractationem de fœdere renovarent, ac spem facerent submitteendi Melanchthonis, si successus aliquis ad concordiam veram sperari posset.

Sleidan. p. 347. Seckendorff. p. 227. b. 228. a. 230. a.

§. CCCLXI.

Non meliori fide, eodem fere tempore, cum Daniæ Rege *Christiano* egit, ac cum Electore & sociis, Angliæ Rex. *Tamen* meti enim subinde Christianni captivi partibus favere videri *Angli erga Regem Daniæ simulacra amicitia.* vellet; tamen Legatum in Daniam misit, qui Regi de excusso Pontificis jugo gratularetur, & de fœdere cum illo & Smalcaldicis aliquid proferret, quod deinceps Daniæ Rex, missis ad *Electorem Sax. & Landgravium* legatis, significavit, ac rogatus ab Electore est, ut cum Rege commercium aliquod, pro conservanda spe amicitiae fœderis continuaret. Verum & hoc frustra fuit.

Seckendorff. pag. 230. a.

Dd dd 2

§. CCCLXII.

*Papa Regem
Polonia in-
festum E-
vangelicis
reddere la-
borat.*

*Electo Sax.
epistola di-
luit crimi-
nationes.*

Pontifex interea occasione ista simulatae Angli erga Pro-
testantes amicitiae utendum ratus, apud Reges & Principes,
ubicunque potuit, omni nisu animique contentione institit,
ut reformationem & Evangelicae doctrinae propagationem im-
pedirent. Eum in finem ad Regem Poloniae legatum suum mi-
sit, cum Cracoviae conventus haberetur, ad quem etiam Gal-
liae Regis & Venetorum legati venerant, de induciis cum Tur-
cis tractaturi. Utimus enim Comitiorum istorum scopus fuit,
prout *Albertus Borussia Dux* per suum cubicularium d. XXVI.
Maji Electori aperuit, *oppressio Evangelicorum*, statuente Ponti-
fice, praefendam hanc esse bello cum Turcis: etiam sibi &
Dania Regi exitium parari, & contra hunc Suecos animari.
Ipse etiam Elector colligere id facile poterat ex litteris Regis, A-
prili mense ad se datis, è quibus haud obscure intellexit, se in-
suspicionem apud *Polonum* venisse, ac si pacem turbaret, & pri-
vata odia potius explere quam cuncto Christiano populo peri-
clitanti succurrere cupiat. Quare hanc accusationem à se amo-
liri per epistolam annisus est, eamque tribuit impiis & inimicis
sanctissimae causae religionis, quam probet, hominibus, qui
omnibus artificiiis & calumniis Regum animos in se incendunt,
cum nil aliud egerit, quam ut quosdam manifestos abusus Ec-
clesiasticos ad normam verae doctrinae, quam catholica Ecclesia
Christi clarissime profitetur, emendaverit. Prolixius etiam
conqueritur de impietate & crudelitate hostium plusquam Ne-
roniana in pios & innocentes, deque eorum edictis, quibus hor-
rendos abusus & flagitia stabiliant: item de exclusione Prote-
stantium à deliberationibus publicis, tantum flagitari ab iis
stipendia & copias, easque committi Ducibus ignotis, & objici
hostibus trucidandos. Provocat ad testimonia manifesta, quod
à seditiosis consiliis maxime semper abhorruerit, imo seditio-
sos oppresserit, auxilia contra Turcos miserit, nulla in re ad
defen-

defensionem Imperii spectantem, Imperatoris autoritatem detrectaverit, ac Cæsarem sæpe rogaverit summa cum reverentia, ut pacem firmam benigne promitteret, eam tamen obtinere nondum potuisse, impredientibus & varia objicientibus malevolis & Evangelii hostibus.

Seckendorf. pag. 230. a, b. 231. a.

§. CCCLXIII.

Non speciosius quam verius questum esse Electorem apud *Cæsarem ut Polonum* de pace à Cæsare denegata, vel, ultra, quam fas erat, *ira quam dilata*, vel hinc colligitur, quod *Capitulo Bremensi* d. VIII. Junii *fas erat*, imperaverit, ut *Henricum Brunsvicensem* protectorem recipere- *pacem distulisse & negasse,* ret, & fœderi Norimberg. pro catholicæ religionis defensione inito accederet. Quod omnino contra stipulationem in conventu Francofurt. factam fiebat, secundum quam, ab utraque parte à recipiendis fœderatis per sex menses abstinendum erat; nondum autem elapsum tunc illud tempus fuit; intra quod tamen *Erffurtensis & Mülhufini* ad ejusdem fœderis societatem à Duce *Henrico* sollicitabantur. Quod enim *Henricum Saxon.* Ducem nostri receperint, id allegari à *Ferdinando* pro exemplo transgressionis non poterat, quia ante triennium factum erat, licet post obitum *Georgii* receptio illa ad provincias quoque, successionis jure ad eum delatas, extendi posse videretur: at ne tum quidem negotium expeditum, sed in proximum usque conventum dilatum fuerat.

Nec à *Ferdinando* meliora sibi promittere Nostri poterant, *nec Ferdinandum* quam à Cæsare. Publicaverat enim ipso tempore conventus *nandum* Francofurtensis edictum, quo omnes subditorum suorum filios *pacem promovisse.* ex Academia Wittembergensi revocabat, eaque cunctis in posterum interdicebat. Abire quoque ex aula jubebat liberorum suorum Ephorum, *Wolfgangum Severum*, ob suspicionem Lutheranismi, quia A. 1524. Wittenbergæ studiis incubuerat: ejectus hoc anno Wittenbergam rediit, Electorique commenda-

tus fuit, ut studiis filiorum Ducis præficeretur. Plura lubens prætereo. Hoc tamen tacere nequeo, quod *Trevirensis Elector* Cancellario Hassiaco ad se misso candide aperuit, Cæsarem & Pontificem junctis consiliis id agere, ut sub religionis prætextu Principes Germaniæ universos opprimerent. *Leonhardus ab Eck*, Ducis Bavaricæ Consiliarius intimus, *Sailero Augustano*, jussu *Landgravii* quærenti, cur in Bavaria militaris apparatus fieret, sanctè affirmavit, id fieri libertatis Germanicæ conservandæ causa, cui constaret insidiari Cæsarem, licet præ se ferat Lutheratorum castigationem; his enim oppressis non magis esse pariturum Pontificiis, neque hos aliud quam ordinis flebile beneficium habituros. Parum prudenter agere Protestantes, quod toties cum Cæsare tractarent, à quo tamen pro bestiis haberentur.

Seckendorff, pag. 281. seq.

§. CCCLXIV.

*Joachimus
Electo
Brandenb.
reformatio-
nem in suis
provinciis
instituit.*

Inter tot vero & tanta impedimenta, Deo pro meliore nostra causa stante, insignia habuit incrementa religio Evangelica, cum ad eam accessisset *Joachimus II. Elector Brandenburgicus*, fervidus sane diu catholicus, utpote & patris, & patruum *Cardinalis Moguntini* tanto majori cura & severitate educatus, quanto propius in veteri religione illis ab effulgente in vicina Saxonia Evangelicæ doctrinæ luce videbatur periculum in adolescente vivi ingenii, & mater *Elisabetha*, superstitionibus Pontificiis minime dedita, veritatis semina ei instillaverat. Mortuo autem Patre A. 1535. non tantum subditis, Pastores Evangelicos expectentibus connivebat, sed etiam propensionem suam ad sacra puriora prodebat, quemadmodum ex superiorum annorum historia patet, donec satis imbutus convictusque de erroribus Pontificiorum & veritatibus Evangelicorum, illis nuntium mitteret, & has sponte amplecteretur, & quod *Maimburgius* scribit, *furioso* (sancto potius salutiferoque dicendum fuisse) *torrenti,*

totam

totam Germaniam septentrionalem raptanti, Archiepiscopus Moguntinus resistere non valens, coactus sit, diocesium Magdeburgensis & Halberstadenſis incolis libertatem amplectendi confessionem Augustanam, ad exemplum vicinorum, concedere. Integro Sacramento, una cum plurimis ex aulica & provincie nobilitate, Berolini in Ecclesia collegiata Coloniae ad Sprevm, usus est Calendis Novembr. & sequenti die idem factum a Senatu, moxque in plerisque provinciis. Plusculum tamen ceremoniarum retinuit, ut offensionibus mederetur, & ordinationem Ecclesiasticam conscribi volebat a Georgio Bucholzero, Berolinensi Praeposito, & Jacobo Stratnero, Concionatore aulico Onolsbacensi, quam Luthero misit, cujusque judicium de ea expetivit. Is, prout solebat, candide & cordate Legatis coram & per litteras Electori respondit, vehementer quidem sibi aridere praefationem sub Electoris nomine praefigendam, sed displicere, quae de processione sive circumgestatione Sacramenti & extrema unctione Vicelii Syncretismum sapiant. Rogat igitur Principem, ut, cum ausus sit in maximis & gravissimis articulis contra diabolum veritatem profiteri publice, etiam in minoribus id faciat, ne reformatio tota ludibrio & risui diaboli exponatur. Unctionem aegrotorum retineri quidem posse, & ut Sacramentum ad eos deportetur, modo ne fiat more Papistico, & ne e ciborio sed potius ex panibus consecratis in S. Coena desumatur. Satius tamen esse, si talia tacite ferantur, quam ut sanciantur, & tutius illa omitti in praefatione, cum ibi dicatur, constitutionem ex sacris literis desumptam & primitivae Ecclesiae conformem esse: Christum non instituisse unctionem, nec S. Jacobi verba in ea observari, multo minus effectum sequi, nempe miraculosam sanationem per orationem fidei, de qua Apostolus Jac. V. 15. & Marc. VI. 13. sermo. Elector post acceptum Lutheri judicium, hanc ordinationem non solum consiliariis, sed & provinciae ordinibus examinandam proposuit, approbatam

tam

tam solenniter publicavit, & visitationem instituit. Moderatione autem in retinendis ritibus, & quod fœderatis Smalcaldicis non accessit, licet id frater ipsius *Johannes Marchio* fecisset, ideo usus est, ut reformationem per totam Germaniam, evitato scandalo apud eos, qui ceremoniis externis inhærebant, à fidei capitibus præcipuis non alieni, facilius promoveret.

Tom. VI. Alt. p. 717. seq. Seckendorf. p. 234. seqq.

§. CCCLXV.

*Reformatio
in Dania
finita,*

In *Dania* quoque reformationi, quæ à multis annis agitata & interrupta sæpe est, hoc anno, Comitibus *Othoniæ (Odensee)* in *Fionia* habitis, ultima manus imponebatur, accersito denuo *Bugenhagio*, qui ordinationem Christianam rituum jam ante biennium conscripserat, cui Rex omnesque Regni Senatores sigilla sua apposuerunt, ac in Evangelica doctrina perseveraturos se receperunt. Secuta mox fuit fundatio & ordinatio *Academie Hafniensis*.

*in Silesia
promota.*

Scrispsit etiam hoc anno d. XXV. Octobris *Fridericus*, Dux *Lignitiensis*, se decrevisse per D. G. in provinciam suam introducere puram verbi divini prædicationem & Sacramentorum administrationem, juxta præscriptum Aug. Conf. & ejusdem *Apologiæ*, exemplo *Electoris Sax.* aliorumque Germaniæ Principum.

*Quedlin-
burgi.*

Mors *Georgii Ducis Sax. Abbatissæ Quedlinburgensi*, urbi quæ illi populosæ, liberiolem Evangelicæ doctrinæ usum peperit; nam ille protectionis jus in illustre istud Collegium *Virginum* ejusque ditionem habebat, ac per Capitaneum suum vi & armis vetera sacra tuebatur. Eo autem mortuo, *Abbatissa*, *Comitis Stolbergensis* filia, à *Superintendente Stolbergensi, D. Plettnero*, reformationem publice exorsa, in octo urbis templis Evangelicos pastores constituit.

*Otto Henr.
Com. Palat.*

Adhæc *Otto Henricus, Comes Palatinus Neoburgensis*, in conventu *Wormatiensi*, mense Junio, de bello Turcico habito, ubi

ubi conciones quidem Evangelicæ in templo sonabant, com-
munio tamen sub utraque nondum celebrabatur, atque Prin-
cipes nostri Senatam admonebant, ut hunc defectum emenda-
rent, per Marefcallum suum, ac deinde per quæstorem quoque
apud Landgravium, testatus est desiderium suum, ut in fœdus
Smalcaldicum reciperetur. Sed parum ei fidebat Elector Sax.
& Landgravius ei suaferat, ut sine mora ac tergiversatione
doctrinam Evangelicam publice in suas ditiones introduceret
prius, eoque facto de receptione in fœdus non dubitaret.

Ex Raynaldo Seckendorffius refert, Avenione & in Comita-
tu Venascinensi, jurisdictionis Pontificiæ, in confiniis Galliæ Nar-
bonensis, Evangelicam doctrinam quosdam progressus habuif-
se: Pontificem autem Jacobo Sadoletto, illius regionis Episcopa-
tum Carpentoratensem administranti, mandasse, ut pro pieta-
te & eruditione sua, qua scriptis celebribus religionem catho-
licam adversus hæreses non semel defenderit, eas extingueret,
data ei potestate puniendi, quos culpabiles reperiret. Sed Sa-
doletus, pro pio mitique ingenio, quod Thuanus in eollaudat,
Farnesio scripsit, se illa potestate non facile usurum, cum vali-
diora sint remedia veritas ipsa & mansuetudo Christiana, qua
errorum confessio corde magis quam ore exprimatur. In alia
epistola ad eundem, redarguit Papam graviter, quod cum Lu-
theranos persequatur, Judæis nova in dies privilegia in ditio-
ne Avenionensi concedat, in tanta, ut ait, defectione animorum
omnium à nobis gentium, & prope execratione autoritatis Ec-
clesiasticæ.

Seckendorf. pag. 241 -- 244. b.

§. CCCLXVI.

Hæc fere sunt acta hujus anni. Ad scripta quod attinet Scripta Lu-
theri, quibus Papatum oppugnare perrexit, inter ea facile emi-
net ejus Tractatus de Conciliis & Ecclesia, cujus supra jam facta
mentio est p. 570. seq.

Ee ee

An

contra Moguntinum.

An huc referri debeat scriptum aduersus Cardinalem *Albertum*, satis asperum, fere dubito, cum non causam religionis præcipue spectet, sed privatam *Johannis Schenizii*, quem Archiepiscopus reum peculatus factum præcipiti iudicio suspendi iussit. Ejus amici Cardinalem publicis scriptis inceserunt, & *Lutherum*, ceu *Seckendorffius* scribit, permoverunt, ut causam defuncti edita inuectiva defenderet, ac simul Cardinali plurima flagitia objiceret. Ipse *Lutherus* motum se scribit verbis Prov. XXIV. II. seq. *erue eos, qui ducuntur ad mortem* &c. Protestatus etiam est in præfatione, se arbitri partes, ad quas *Albertus* admittere *Lutherum* voluisse videtur, sumere in hac causa nolle: nec Serenissimæ familiæ *Brandenburgicæ*, è qua natus *Moguntinus*, quicquam detractum velle aspera sua scriptione. Diu satis continuit se *Lutherus* ab edendo hoc scripto, quieuitque munitus à *Pontano*, Electoris Sax. nomine, ea conditione, si Cardinalis à persecutione Hallensium desisteret; hoc autem cum non faceret, & peccata sua atrocissima sub nomine Dei defenderet, erupit *Lutherus* sub finem anni hujus cum suo libello, licet prohiberet Elector, qui deinceps, supervenientibus familiæ *Brandenburg.* querelis, *Luthero* injunxit, ut si quid posthac in causis privatis aliquid edere vellet, id prius in aulam mitteret, Theologica vero pro arbitrio publicaret, ab Academia etiam censura immunis.

Concio Lipsiæ habita.

Ex sermonibus *Lutheri* memorandus est primo ille Lipsiæ habitus Sabbatho ante festum Pentecostes, in sacello arcis coram Electore & Henrico Duce, cujus supra mentionem fecimus. In eo quæstionem de Ecclesia tractavit, quam ibi esse ait, ubi sermo Christi audiatur & servetur, cum Sacramentis.

Explicatio Psal. CX. Respons. de jure defens.

Extat etiam in scriptorum hoc anno editorum catalogo *Psalmus CX.* pro concione explicatus, qui epitomen & nucleum continet doctrinæ de Christo. Ex *Responsis & Epistolis* eminent illa, quibus sive solus, sive cum collegis sententiam suam aperuit

aperuit *Lutherus* de *jure defensionis*, de quo in conventu *Francofurtenfi* ardua erat deliberatio. Summam indicavimus p. 566. f.

Nec taceri debet *Epistola ad Senatum Norimberg. de formula de formula absolutionis*, circa quam *Andr. Osiander* à cœteris *Ecclesiæ ministris* dissidebat. Statuit autem *Lutherus* cum Collegis, qui subscripserant, non solum privatam, sed & publicam, seu generalem, post concionem recitari solitam, absolutionem, quam *Osiander* improbabat, quod multi in cœtu essent ea indigni, esse probandam: neque enim hæc ad alios pertinere, quam qui per fidem sibi applicarent. Summam in *Loco de Absolutione* §. III. p. 971. retulimus.

Hoc etiam anno *Lutherus* libellum *visitatorium*, anno 1528. in *Electoreatu Saxon.* publicatum, in usum provinciarum *Henrici Ducis*, recudi fecit nova præfatione auctum, qua, quæ ad *Henrici acta* & reformationem pertinent, eum in modum fere narrantur, quo nos supra retulimus.

Cæteras præfationes & *Epistolas* reservamus ad catalogum.

Tom. VII. Alt. p. 234. b. -- 307. pag. 328. b. -- 400. Seckendorf. p. 244. b. -- 255.

§. CCCLXVII.

Non tamen prætermittere possum controversiam, quæ *Contra An-*
Luthero intercessit cum *Johanne Agricola, Islebio*, cui ille *Smal-*
caldiam A. 1537. profectus, uxorem, liberos & omnia sua com-
 mendaverat, qui vero absente *Doctore*, contra *Legem erro-*
 res fovere, & *Positiones inter fratres sparsas*, ut vocabat, propa-
 rare cœpit. De hac infidelitate optimi, ceu putabat, amici, que-
 stus noster sæpius acerbis lachrymas fudit: dicebat tamen, de-
 bere se *Magistrum* habere, qui sibi hoc *Psalmi comma* expli-
 caret: *qui edit panem meum, sustulit adversus me calcaneum*
summ. Perrexit tamen veritatem adversus *Islebium* defendere,
 & Anno 1538. d. XIV. *Januarii* contra *Antinomus* secundam di-
 sputationem habuit, continuavitque sequentibus annis, quem

Ee ee 2

admodum

admodum in Loco *de Lege Morali* §. X. historiam controversiæ hujus in compendium redigere conati sumus, suisque deinceps annis monebimus.

Tom. VII. Alt. pag. 234. 4. pag. 314 -- 328.

§. CCCLXVIII.

An. 1540.

*Cæsaris per
Galliam iter
in Belgium.*

*eum Lega-
tus Pontif.
à consiliis
pac. abstin-
cere non
potest.*

Ad memorabilia anni MDXL. accedimus, daturi operam, ut breviter ac dilucide eorum summam, pro more, enarremus. A *Cæsare*, tanquam Capite Imperii Romani, auspicabimur. Is cum *Gandavenses*, seditionem moventes, compescere vellet, per Galliam in Belgium profectus, Calendis Januarii Lutetiam ingressus liberaliterque à Gallo tractatus est, qui in spem venerat recuperandi Mediolani; sed longe secus accidit, & à *Cæsare* delusus Gallus fuit, qui *Cæsarem* delusum ibat. Perfidiæ Gallus eo ipso tempore prodidit, quo utrique legationem ad Venetos miserunt, eos persuasuri, ut ad Turcarum oppugnationem omnia secum conferrent. Nam Venetis in aurem suffurrarunt Galli clam, ut suis rebus prospicerent, nec in tantum periculum, cui ipsi potissimum expositi essent, se præcipitarent. *Carolus V.* certe Gallo longe fuit sincerior, nec à *Farnesio Cardinale*, Legato & nepote Pontificis, Lutetiam misso, & Reges ad extirpationem Lutheranorum incitante, *Cæsarem*que in Belgium usque comitante, à mitioribus & pacificis consiliis ad componenda religionis dissidia, dimoveri potuit, quicquid etiam ille mendacibus verbis proposuisset in hanc, ut *Sarpus* fideliter retulit, sententiam: *Sapius cum Protestantibus de concordia actum, nil decretum aut definitum, ac novam rationem re-pertam, similiter irritam futuram ac inanem, quod in dies sententiam mutant, nullam certam doctrinam sequantur, ab ipsa Augustana Confess. discesserint, ac instar anguillarum lubrici sint. Principio illud unum contendisse enixe, ut abusus & vitia tollerentur: jam non Pontificatum emendatum velle, sed extinctum, & sedem Apostolicam extirpatam; & abrogatam Ecclesiasticam*

omnes

omnem jurisdictionem. Quod si antea fuerint insolentes rebus tranquillis, quid nunc facturos, pace cum Gallia Rege nondum constituta, & Turca Pannonia imminente? Minime sperandum ab incepto posse dimoveri, cum prope innumera sint dogmata controversa. Cumque inter ipsos varia sint secta, fieri non posse, ut concordia cum omnibus ineatur. Bonam eorum partem id unum spectare, quomodo aliena invadant, & Caesaris auctoritatem eneruent. Esse quidem verum, bellum, quod à Turcis Germania impendet, concordiam religionis suadere; sed eam tractationem, non ad singulares, aut nationales conventus, sed ad Concilium publicum pertinere, primo quoque tempore habendum. In religione enim, qua omnes in universum tangat, nihil nisi de communi consilio immutandum. Nec ad unam modo Germaniam respiciendum, sed ad Galliam, Hispaniam, Italiam, & reliquos Europa populos; quibus inconsultis, si quid in Germania mutetur, periculosam inde nascituram hujus provincia à reliquo corpore scissuram. Vetusissimum esse morem, ab ipsis Apostolorum temporibus receptum, ut solius Concilii auctoritate omnes controversiae finiantur: Reges omnes, Principes, & homines pios id nunc expetere. Pacem inter Casarem & Gallia Regem nunc per opportune posse fieri, & Concilium è vestigio convocari, atque interim fœdus Catholicum in Germania & numero & potentia amplificari. Quare Protestantes perterritos, vel decreto Concilii se submissuros, vel à confœderatis per vim adigendos. Ubi vero necessitas coget Turcarum insulsi-
 bus resistere, tum fœdus Catholicum, qua erit potentia, necessitatem quoque Protestantibus subsidia conferendi impositurum. Nisi faciant, è duobus malis minus eligendum, cum majus malum sit, religionis causa prodita Deum offendere; quam parte aliqua auxiliorum unius provincia carere. Maxime, cum non facile sit discernere, qui Christo magis adversentur, Protestantes, an Turcæ. Hos enim corpora servitute premere, illos corpora & animas exitio devovere. Hujus vero orationis hic fuit exitus, Con-

cilium esse convocandum; *ejus initium hoc ipso anno esse faciendum: in conventibus Germania de religione non tractandum sed de fœdere Catholico augendo, & pace cum Rege Gallie facienda esse cogitandum.*

Cæsar autem nihilominus, post multam deliberationem statuit, & viam concordie denuo tentare, & conventum Germanie eo loco habere, qui *Ferdinando* maxime commodus videbitur. Quod ubi *Cardinalis Farnesius* comperit se inconsulto & clam decretum, mox Belgio discessit, & in reditu resalutato Parisiis Rege Gallie severum ab eo *edictum contra Lutheranos* impetravit, quod per universam Galliam summa atrocitate exercitum fuit.

Sleidan. pag. 347. seq. P. Suav. pag. 79. 80.

§. CCCLXIX.

Protest. legati in Belgio Cæsari se purgant, sed certum responsum non accipiunt.

Interea *Protestantium legati*, sicut Arnstadii convenerat, Cæsarem in Belgio adeunt, initio ei de reditu in Germaniam gratulantur, & mox criminationes adversariorum in se de pertinacia, supremi magistratus odio, inquietudine animi & studio turbandæ Reipubl. multis verbis & rationibus diluere conantur, ac rogant, ut pactas *Francofurti* inducias autoritate sua confirmet, & pacem perpetuam constituat, quo toties optatum de religione colloquium institui & deliberari de bello Turcico queat. Cæsar legatos quidem benevole audivit, & responsum verbis sat benignis, sed rerum vacuum dedit: cogitaturum se esse de negotio, pacem sibi esse cordi, nec metuere violentiam Evangelicos à se debere, modo ipsi etiam quieti sint, & in officio maneat. Hærebat tum adhuc Cæsar inter pacis & belli cum Gallis consilia, adeoq; tale responsum legatis dabat, ut intelligi satis non potuerit, an præstare pacem vellet. *Henrici Sax. Ducis* legati tum quoque ad Cæsarem venerunt, sed nullum favorem in aula invenerunt, ac moniti sunt, de servando *Georgii Ducis* testamen-

stamento, cujus valori si quid desit, id Cæsarem sua autoritate suppleturum.

Sleidan. p. 348. seq. 352. Seckendorf. p. 257. a.

§. CCCLXX.

Ineunte mense Martio, Smalcaldia, quemadmodum Arn- *De Altisim*
stadii decretum erat, Protestantes convenerunt, deliberaturi *Conventus*
de iis rebus, quæ indefinitæ ibi remanserant. Una vero quoque *Smalcald.*
venerunt Theologi, D. *Jonas, Pomeranus, Melanchthon, Cruciger,*
Bucerus: hi, quid egerint, narrabo ex *Melanchthonis ad Lutherum*
litteris, quibus refert, *Lundensem* ex Hispania redientem scri- *Melanct.*
psisse, Imperatorem in Germaniam venturum non belligeran- *ad Luther.*
di sed de concordia Ecclesiarum deliberandi causa, ac hortatum
esse Principes nostros, ut & ipsi deliberarent, quid defensuri es-
sent aut largituri adversariis. Allatas igitur deliberationes in
conventu, earumque consensum summum fuisse: non posse ab-
jici eos articulos, quos in Confessione & Apologia profiteamur.
Constituto doctrinæ consensu de *adiaphoris* non odiose pugnan-
dum esse, ac reddi posse *πολιτείαν ἐκκλησιαστικὴν* Episcopis, si volent
ipsam doctrinam amplecti, & tollere ex Ecclesiis vitia, qua dissi-
mulari nequeant, & in nostris scriptis taxentur. Hic primus est
actus conventus.

Deinde allatum est *responsum Cæsaris*, in quo confirmabat,
se venisse in Germaniam, non hostili animo, sed *ut moderatis*
rationibus de concordia Ecclesiastica ageret: & spem ostendit,
se daturum pacem, eaque de re dixit, se paulo post responsu-
rum esse. Hoc dictum satis quidem *ἀνιγματοῦδες* est, sed nos ta-
men interpretamur esse *εἰρημὸν*. Aliquando post venit *Comes*
nova aquilæ. Nuenarius: is adfert deliberationem de Concor-
dia, cui additæ erant *quadam Imperatoris expostulationes.* Erat
legatio quadam aulica instructa. Comites *Manderschidt &*
Nova Aquilæ præ se ferebant, *se non esse missos ab Imperatore*
sed tamen Consilium suum Imperatori placere. Summa confilii
hæc

hæc erat. Cum malit Imperator publicas controversias componi sine majori tumultu, *Granvellano*, & his duobus Comitibus videri consultum, ut petamus hanc rem privatim agi ab Imperatore, eumque quasi arbitrum faciamus harum controversiarum privatim. Quod si fecerimus, Imperatorem adhibiturum esse *Granvellanum*, & paucos alios, & delecturum utrinque eruditos, qui dogmata dijudicarent & moderarentur. Contentiones vero de prædiis Ecclesiarum Imperatoris arbitrio permitendas esse. Petitum & hoc est, ut diserte & plane dicamus, quid largiri aut defendere ad extremum velimus. Erant adjecta satis dura expositationes de prædiis Ecclesiarum & de simulatione. Nam Imperator ait se ægre ferre, quod hæcenus simulantes concordiaæ studium, hoc egerimus, ut rem extraheremus, ut paulatim nostræ pattes confirmarentur, non vero voluerimus discordias tolli, quod nihil concessimus adversariis. Narrat, quam diligenter *Augustæ* egerit de concordia. Ac tota querela eo spectat: non videri nos appetere concordiam, nisi abjiciamus totum doctrinaæ genus, quod profiteamur. Nos verecunde & vere respondimus de nostra voluntate erga Rempublicam & studio pacis: purgavimus objecta crimina, & ingenue diximus, non velle nos conciliationem intelligi confirmationem veterum errorum & projectionem pia doctrina. Ostendimus clare, quos articulos non posse abjici censeamus, & petivimus, ut res non privatim, sed in publico conventu ageretur, ut anno superiori promisit Imperatoris legatus *Francfordiæ*. Ostendimus etiam, nos nequaquam de prædiis Ecclesiarum pugnare.

Lutheri responsum & desperatio de concordia cum Pontif.

Hæc præcipua est historia hujus conventus. Plura ex *Responsso scripto* ab eodem *Melanchthone*, nomine Principum fœderatorum *Smalcaldiæ*, Legatis Cæsaris dato, cujus compendium *Sleidanus* fideliter retulit. *Lutherus Melanchthoni* respondit, ad orationem seriam esse confugiendum, quæ sola sit omnipotens imperatrix. Extat etiam responsum *Lutheri* inter alias literas

teras ad Electorem ab eo scriptas, cuius mentionem facit *Seckendorffius*, in quo mittere se dicit *consultationem*, quæ tamen nulpiam reperitur, & gravibus verbis affirmat, *desperatam rem omnem de concordia cum Pontificiis & occatos illos esse, neque unquam ab obstinato animo suo discessuros.*

Quod *Melanchthon* in litteris ad *Camerarium* scripsit, inter *Monitum omnes Theologos convenisse, ut Episcopis sua redderetur jurisdictio, si piam doctrinam amplectantur, & aperta vitia ex Ecclesiis tollant*, de eo in *Decreto* nihil statutum reperitur, multo minus de Papa; quanquam fuerint, qui ea conditione, qua Episcopi ferri posse videbantur, etiam illum admitterent. Approbata potius sunt monita Theologorum, qui in conventu aderant suadebantque, ut *Missæ*, ubicunque in ditionibus Protestantium adhuc haberentur, *diutius non tolerarentur: nec inclusio Sacramenti in ciborio: utque altaria superflua & scandalosa imagines ex templis tollerentur; visitationes etiam instituerentur*, ad inquirendos & convertendos, aut è cœtibus ejiciendos, qui falsa dogmata, quorum infamia in Protestantes redundabat, profiterentur.

Tom. VII. Alt. p. 428. a. b. Sleidan. p. 351. seqq. Pezel. conf. Melanch. Theol. p. 369. seqq. Seckendorff. pag. 257. seqq.

§. CCCLXXI.

Quæ præterea in conventu hoc acta sunt cum *Regibus Anglia & Gallia*, breviter enarravit *Sleidanus*, prolixius autem exposuit *Seckendorffius*. Ad institutum nostrum pauca ex illis, in compendium à nobis missa, sufficient. Cum Legati ex Anglia redeuntes *Smalcaldia* retulissent, quod fœderis tractandi causa, talis nempe, quale Rex cum Clivenfi Duce pro mutua defensione inierat, tam diu detenti essent, jussi sunt Theologi denovo, quod Rex desiderasse videbatur, articulos maxime controversos explicare & scripto defendere. Quo facto Elector

Ff ff

Sax.

Acta cum Rege Anglia è conventu Smalcald.

Sax. ex conventu d. XII. April. suo sociorumque nomine gravissimas litteras, *Melanchthone* stylum moderante, ad Regem dedit in hanc sententiam: fas sibi haud esse secundum leges foederis, ut extra causam religionis defendendae societatem in eant, quemadmodum saepius significaverint; nullam autem ejus spem hucusque concipere potuisse ob atrox illud edictum nuperum. Cum vero jam ex novissimae legationis relatione perceperit, ejus edicti asperitatem moderatione Regis leniri, executionem suspendi, eumque testari, quod nihil ardentius optet, quam ut vera Christi doctrina in Ecclesia eluceat; curae sibi fuisse, ut solida confirmatio IV. articulorum de Missa, usu integri Sacramenti, conjugio Sacerdotum, & votis Monasticis, conscriberetur, & hanc nunc à se mitti, petique, ut Rex eam cum piis ponderet, & arbitrum sumat filium Dei, de quo dictum: *hunc audite*. Sed nec hoc apud libidinosum Regem quicquam valuit, qui haud erubuit divina & humana jura violare, *sponsam Clivensem*, quod pulchra satis non esset, repudiare: *Thomam Crumwvellum*, nuptias cum ea suadentem, falsis criminationibus laesae majestatis & haereseos reum peractum sustulit; & *D. Robert. Barnesium* (qui sub *Antonie* nomine in Saxonia aliquamdiu egit,) cum sociis *Thoma Gerardo* & *Guilielmo Hieronymo*, quod de *justificatione* ex *Lutheri* sententia docuisset, vivum cremari jussit. Ejus supplicii historiam & confessionem egregiam, una cum admonitione seria ad Regem de perficienda reformatione, de vetandis blasphemis & frivolis matrimonii dissolutionibus, denique precibus devotis, *Lutherus* ex Anglia missam, cum praefatione edidit. *Henricus* Rex ab illo tempore nihil, aut parum, minimeque sincere, pro reformanda Ecclesia egit, sed Episcoporum veteris superstitionis patronorum arbitrio, pleraque omnia ad emendationem spectantia, detulit, quorum impulsu in Evangelicos saevitum, &

CRATIS-

Crammerus ipse tum vix servatus est singulari Regis beneficiis, cum de hæresi accusaretur.

Tom. VII. Alt. p. 424 -- 426. b. Sleid. p. 360. seq. Seckendorf. p. 260. b. -- 263. 266. b. -- 268. b.

§. CCCLXXII.

Nec meliora sibi à Gallo promittere poterant Protestantes, quam ab Anglo: ille enim nomini suo respondebat, auramque faventem ubique captare studebat; inde recte Germanis dicitur *ein Wetterhan*. Visum tamen nostratibus fuit, ut pro his apud Regem intercedatur, qui doctrinæ causa per Galliam paterentur; sed ita, ut de statu Galliarum prius cognoscatur, deque voluntate Regis, & an habitura locum putetur intercessio. Suspiciabantur enim quidam, Imperatorem Carolum sive ab ipso Galliarum Rege, sive à Momorantio, Protestantibus valde infenso, alieniorem factum, eique multa de nobis secius suspicandi suggesta esse. Contra rursus Argentinensis Senatus in epistola ad Landgravium d. XI. Junii data allegavit *Langel* litteras, quibus significaverit, Regem suum à Cæsare deceptum esse, ut Evangelicos contemneret; sed cito illum ejus rei poenituisse, neque unquam posthac Cæsari fidem habiturum, multo minus futurum esse, ut adversus Evangelicos concitaretur; tempus ergo nunc esse commodissimum, ad pangendum inter eos & Regem fœdus. Ipse quoque Rex Protestantes epistola d. IX. Martii ad eos scripta, de amicitia sua certos esse & confidere jussit, negavitque quicquam in eorum detrimentum cum Cæsare actum esse. Deinde etiam legatum quidem, ut Cæsari promiserat, ad conventum Spiræ indictum, & postea Hagenoam translatum, misit, ut Evangelicos ad accipiendas pacis concordiarumque conditiones à Cæsare propositas adhortaretur; sed legatus *Lazarus Bayfus* dicis tantum gratia illam exhortationem fecit, ac Cæsaris intentionem eludit, & Protestantes quoque fefellit, ut mox ad acta in conventu *Hagenoensi & Wormariensi* monebimus.

Sleid. p. 361. 367. Seckendorf. p. 258. b. 259. a.

Ff ff 2

§. CCCLXXIII.

*Scriptum in
conventu
Smalcald.
contra fana-
ticos, Sebast.
Francum &
Schvvenck-
feld.*

Antea vero quam ex hoc conventu discedamus, tangendum est *scriptum*, in eo propositum à Theologis, qui ibi adfuerunt, contra *Schvvenckfeldium*, *Sebastianum Francum*, & nonnullos *errones alios*, mense Martio. In hoc 1. queruntur Theologi, quod passim vagentur *errones quidam*, abducentes populum à cœtu Ecclesiarum recte constitutarum, hoc est, quæ nullos habent *idololatricos & impios cultus*, & ubi recte & pure traditur doctrina Evangelii. 2. Docent Deum graviter offendere contumacia omnium, qui cœtum illum deserunt, aut alios inde abducunt, sicut Christus inquit: *qui vos spernit, me spernit*. Itaque 3. hortantur omnes pios, ut discant *amare Ecclesias suas*, & *ministerium recte constitutum* non aspernentur, nec audiant *fanaticos spiritus*, semina *Donatistarum* spargentes, & *Scepticis* similes, qui Ecclesias & Ministros vituperant, dum volunt videri nullis addicti partibus. Certam autem in Ecclesia extare oportere cujuslibet sinceram confessionem, sicut inquit Paulus: *corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem*. Necesse, nisi unicum Christi sponsam, Ecclesiam, ubi Evangelium recte docetur, & recte Sacramenta administrantur: nec constare ex diversis sectis, ut *Sebast. Francus* statuat, fingens omnes pariter esse Ecclesiam, Papistas & eos qui nobiscum sentiant, multa etiam colligens in *Paradoxis* suis, ad autoritatem Scripturæ extenuandam, & jubens spiritum quæri, omisso verbo. Retinendum vero dictum Pauli: *fides ex auditu est; auditus per verbum Dei*, per quod Spiritus S. efficax est. Refellunt porro in hoc scripto breviter *Schvvenckfeldii* libellum, quo *negabat humanitatem Christi post glorificationem ejus esse creaturam*, ac dissentientes omnes vocabat *creaturistas*, multis illustribus testimoniis è symbolis *Apostolico*, *Nicano*, & *Athanasii*, à Catholica Ecclesia receptis, & vere in verbo Dei per Prophetas & Apostolos conscripto traditis.

Consil. Melanchth. à Pezelio coll. p. 385--389.

§. CCCLXXIV.

§. CCCLXXIV.

*Hageno*a Conventus indicebatur *Protestantibus* d. VI. Junii, *Catholici* autem ad XXIII. Maji adesse jubebantur, ut intra quindecim dies ante Evangelicorum adventum agi posset, quæ conducere Pontificiis videbantur. Quæ prima aulæ Cæsareanæ cautela fuit, ut Pontifici aliqua ratione fieret satis; ejus enim Legati, *Farnesius* & *Cervinus*, vehementer contradicere Cæsari coeperunt, simulac intellexerunt, eum colloquium de causa religionis inter utramque partem velle, id omnibus modis impedire aut inutile reddere studebant, metuentes haud abs re fore, ut corruptelæ Pontificiæ detegerentur, & multi Evangelicam veritatem agnitori sint. Perspecta igitur Pontificis voluntate, oblatis etiam ab eodem nummis & auxiliis, permoti *Cæsar* & *Ferdinandus*, cum conventum revocare vel suspendere absque dedecore & arcanorum prodicione nequirent, dictum in modum Catholicos prius separatim evocarunt, ut, quæ Papæ ad palatum erant, inter se tractarent, ac Protestantium spem fallerent. Nostri, licet arcana illa nescirent, suspicabantur tamen, non satis sincere agi, ideoque ad omnes casus se præparabant, & sparsa passim de adversariorum moliminibus fama, consultum esse putarunt, ut non solum Theologi, sed etiam consilarii militares in loco quodam oportuno convenirent, ex quo, prout res ferret, illi ad colloquium proficisci, aut hi, si nulla pacificationis spes esset, de mediis defensionis deliberare possent. Unde qui in Saxonico circulo erant, *Hersfeldiam*, qui in Hassiaco, *Darmstadtium* se conferre jussi sunt. E nostris Theologis venerunt *Justus Menius*, *Urb. Regius*, *Brentius*, *Bucerus*, *Snepsius*, *Osiander*, *Blaurerus* & alii. *Melanchthon* in itinere constitutus *Vinariamque* vocatus, gravi & pene lethali morbo ibi corripitur, quem ex ægritudine animi contraxerat, ob consensum una cum *Luthero* Ph. H. L. datum in casu de bigamia, à qua magnanimus Princeps, ut sub sigillo confessionis utrique isti Theologo per *Buce-*

Ff ff 3

rur

Conventus
Hagenoensis
antecedentiaMelanchthon
Luthero
precibus &
letali morbo
revixit.

rum aperiebat, nulla ratione abstrahi se sinebat, causatus, quod aliter & conscientia & saluti suae prospici non possit. Præsentens hunc morbum Philippus, ac ut ipse ad *Camerarium* scripsit, somnio monitus, testamentum condidit, & Wittenberga egrediens comitantibus eum Magistris & discipulis, sequentem versiculum recitavit.

Viximus in Synodis, & jam moriemur in illis.

Fuissetque, ut idem *Burcardo Mythobio* significavit, mortuus, nisi adventu *Lutheri* ex media morte revocatus esset. Elector enim eum velocissime Wittenberga accersivit, qui in agone constitutum & sensibus jam orbatum amicum offenderat, unde vehementer perterritus ad ardentissimas preces confugit, iisque Deum, omnibus promissionibus ei propositis commovit, ut se exaudiret. Admodum emphaticæ sunt voces, quibus earum summam expressit: *da muste mir unser Herr Gott erhalten / denn ich warff ihm den Sack für die Thâr / und riebe ihm die Ohren mit allen Verheissungen des Gebets / das da muste erhôret werden / die ich in der Heil. Schrift zu erzehlen wuste / daß er nemlich muste erhôren / wo ich anders seinen Verheissungen trauen sollte.* Quod sane miraculo simile censeri debet, ac non sine causa hinc *Lutherum Thaumaturgum* nominant. Fides sane, quæ in *Luthero* heroica fuit, quotidie facit miracula, dum est victoria, quæ mundum vicit, 1. Joh. V. 4. Vid. *prolegom. de Theol. Luth. §. VII.*

*Ferdinandus R. clam
Esseparatim
cum Catholicis
agie
contra Evangelicos,*

Interea *Landgravius*, in scio inconsultoque *Electore* media reconciliationis, à *Bucero* conscripta, *Granvellano* exhiberi fecit. Quo nomine *Elector* cum eo expostulavit, suisque legatis mandavit, ut constantes essent, ac socios quoque ad constantiam hortarentur. *Papa* etiam per litteras *Moguntinum*, *Bavariae Duces*, *Jo. Fabrum*, *Episcopum Herbipolensem*, laudum stimulis instigavit, hortatusque est *Eccium* & *Cochlaum*, ut insignes fidei pugiles strenue se præstarent. *Ferdinandus* ex suggestione Legatorum Pontificiorum id porro egit, ut neglecta colloquii, & pacifi-

pacificationis cura, plures ex Catholicis ad fœderis Norimbergenſis ſocietatem pertraheret, & convocatis iis d. XII. Junii conſultavit in eventum, quomodo res manu geri poſſet, & deſenſio ſuſcipi adverſus Proteſtantium (ſic perſuaſus à malevolis querebatur) violentias, ut ſolatium & firmum præſidium haberent veteri religioni addiſti. Plerique tamen Catholicorum moderatius ſentiebant, & ad pacem procurandam ſe paratos dicebant. Unde Rex denominari voluit ab iis arbitros, qui cum Proteſtantibus velut *Mediatores* agerent; ſed cum illi deligendi arbitrium Regi referrent, Electorem *Palatinum* & *Trevirenſem*, Ludovicum *Bavariæ Ducem*, *Tridentinum* ac *Argentoratēſem* Episcopos, rigidiffimos ex Catholicis, nominat, & hoc ipſo Proteſtantibus omnibusque pacem amantibus, ejus ſpem præcidit, & conciones, quas Noſtri domi quique ſuæ habuit, interdicit. Oportuſius deinde conſultationem de deſenſione poſtulat, hoc uſus argumento, quod ad pacem obtinendam profuturum ſit, ſi Proteſtantes de apparatu illo audirent. Sed Principes contrarium metuendum eſſe regeſſerunt, exacerbatis potius Evangelicis quam timidis: ac hi iſtas artes ſentientes, æquiores è Catholicis pacisque ſtudioſiores, *Trevirenſem* ſcil. *Coloniēſem*, *Palatinum* & ſimiles convenerant, iis exemplum literarum in conventu Smalcaldico Legatis Cæſaris datarum, ex quibus moderata & pacifica Proteſtantium conſilia patebant factis, exhibuerant, & benigna reſponſa ab iis acceperant, indeque ad graviora permoveri ſe haud ſunt paſſi. *Interceſſores* deinde à Noſtris petunt, ut capita doctrinæ controverſa paucis comprehenſa ſibi tradant. At illi ex *Aug. Confess.* & *Apologia* ſatis ea conſtare ſeque in eis acquieſcere & paratos eſſe reſpondent rationem reddendi, ſi quis aliquid deſideret, & ab adverſariis potius exquirendum, ut demonſtrent, quæ verbo Dei contraria eſſe putent. Poſt aliquot dies referunt *Mediatores*, ſe, lectis noſtris libris ſymbolicis, reperire quædam dogmata *Auguſtæ* eſſe

Mediatores conſtituit.

Disputatio tentata, ſed Ecce mala fide interrupta & dilata ad conv. Wormat.

conci-

conciliata, quædam vero minus: atque ut hæc conciliantur, omnem daturus operam pollicentur, exhibentque simul transcriptorum indicem ab *Eccio* consignatum. Quod vehementer offendit Protestantes, utpote satis gnaros, nihil definitum Augustæ nec ullam factam conciliationem esse: idque ex ipso *recessu Comitiorum* demonstrant, in quo omnia Protestantium dogmata rejecta fuerant. Itaque de mala fide *Eccii* fallaque de colloquio Augustano relatione querebantur, ac ejus sophismata respuebant, & negabant ad eum modum institui posse à se colloquium, pacisque tractationem offerebant. *Ferdinandus* igitur differendi negotii opportunitatem amplexus, convocatis omnibus, cum ob absentiam Saxonis & Helli definiri nil possit, constituendum esse dicit alterum diem, quo utriusque partis legati & viri docti pari numero conveniant, & de ineundæ concordie rationibus inter se conferant, sic tamen ut *Augustano* Imperii decreto nihil decedat, & *Papæ* integrum sit, suos quoque mittere Legatos, si velit, spoliati autem interea bonis Ecclesiæ vel restituantur, vel jure suum repetant, nullique in induciis comprehendantur, quam qui ante Norimbergicam transactionem August. Confessionis fuerint. Ad quæ Nostri respondent, colloquium sibi valde probari, & cupere se, ut ipse Cæsar ei intersit, non vero Pontificis legati, cum *Papæ* nullum primatum vel autoritatem tribuant. Quæstionem de restitutione vel sequestratione honorum Ecclesiasticorum ad futurum colloquium pertinere, nec jus de iis disponendi ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ & Scholarum pauperumve Principibus & magistratibus auferri posse, ut & de novis sociis non adsciscendis. Post altercationes has Rex decretum d. 28. Julii facit, & *Wormatiæ* ad d. 28. Octobr. colloquium habendum indicit, formamque ejus præscribit, & jubet ex utraque parte consiliarios suos eo mittere, utrinque undenos, & scri-

& scribas pari numero adesse, qui singula de dogmatis Augustæ propositis disputanda diligenter excipiant.

Tom. VII. Alt. p. 427. b. 428. a. b. Sleid. p. 367. ff. Seckend. p. 277. a. pag. 282. seqq. Collect. Pezelii pag. 393. seqq.

§. CCCLXXV.

Appropinquante conventus Wormatiensis tempore, Elector Saxonie Lutherum & Theologos Wittenberg. ^{Consultatio} ^{Saxonis &} aliosque consiliarios ad se vocavit, & de potestate Pontificis ^{instructio} inter alia consultavit, quibus visum fuit, eam minime agnoscendam, sed publica potius protestatione declinandam esse. ^{Legatorum} ^{ad Worma-} ^{tiens. con-} ^{ventum.} Formula Protestationis Gothæ scripta in hanc sententiam est: cum Pontifices inde ab initio renovata doctrina impia contra se & atrocia decreta ediderint, ac nulla libera Synodus, ut semper expetiverint, indicta hætenus, aut ulla privata disputatio veritatis inquirenda causa instituta fuerit, (Augustæ enim delectos Principes & Doctores quosdam Pontificios, palam præfatos esse, se nil mutaturos in doctrina aut ritibus, tantumque hoc egisse, ut doctrinam Evangel. ad suos errores pristinos & opiniones inflecterent) Imperator autem colloquium nunc indixerit; considerare se, eum velle pateferi veritatem, eoque nomine ei gratias agere, & petere ab adversariis, ut animos veritatis studiosos adferant, & secundum normam à Deo nobis propositam Prophetice & Apostolicæ Scripturæ incedant, agantque sine sophistica, sine cavillationibus & sine calumniis, quemadmodum ipsi facturi sint. Se vero, ut antea, ita nunc quoque detrectare autoritatem Romani Episcopi, nec assentiri, ut ille tribuat potestatem colloquendi, aut præsideat ejus legatus, cum profiteatur se hostem esse nostrarum Ecclesiarum, injuste causam Evangel. damnaverit, tyrannice defendat idolomaniam, & ejus regnum sit Antichristianum &c. Legatos etiam suos instruxit Elector, ut persistant in decreto Smalcaldico de recusando Concilio, quale Papa indixerat, & negando omnem primatum ac superioritatem Papæ, licet alii

ex Evangelicis remittere aliquid vellent. Rejici etiam debere articulos ab Eccio Hagenoæ productos: nihil mutandum neque in sensu neque in verbis Aug. Confessionis. Nec suffragiorum numero vinci se passurum, cum etiam *Jure Canonico* doceatur, *unum suffragium s. Scriptura testimonio subnixum toti Concilio prævalere*. Si forte objiciatur, *in Aug. Confess. Pontificis mentionem haud esse factam*, respondere jubet, causas fuisse tunc Theologis, ut id facerent, interim *in articulo de potestate Episcoporum comprehendisse etiam Papam*, neque hunc à cæteris Episcopis distinxisse.

Confil. Melanchth. à Pezel. collect. p. 394. ff. Seckendorff. pag. 294. b. 295. a.

§. CCCLXXVI.

*Pontificii
privatos
congressus
contra Ev-
angelicos
instituant.*

Elector Brandenburgicus suos etiam legatos inter alia sic instruxit, *ut è conventu reportarent voculam sola* (in artic. de Justificatione) *aut ipsi non redirent*. Hi, ut & Palatini Ducisque Juliacensis Legati inter undecim Catholicos adscripti erant, & cum appareret eos cum cæteris parum consentire, dissidium illico inter eos erupit. *Adversarii enim, ut Melanchton Luthero significabat, d. XIX. Decembr. inter se privatos congressus instituerunt*, ut vel explorent suorum animos, ac suffragia præripiant, vel articulos cudant nostris postea proponendos, qui videantur controversias moderari. De his atticulis, cum fere totum mensem deliberassent, altercante Scoto cum Pelargo monacho, & Mensingero, tandem Eccius formulam composuit de duobus locis, *de peccato originis, & de justificatione*, glorians non posse ex India aptiorem formulam ad concordiam adferri, eamque proposuit suis, ac jubet ire in suffragia, quæ conatur extorquere. Sed tamen Deus aliquorum mentes rexit, & confirmavit, ne sophisticis illis articulis assentirentur. Repudiata est formula Eccii à trium Principum legatis, Palatini, Marchionis & Juliacensis. Hi modeste, sed recte

recte tamen professi sunt, se probare nostram sententiam, quæ in *Confessione & Apologia* continetur & declaratur. Fremunt reliqui, & de excludendis illis trium Principum legatis deliberant; sed tamen, cum id facere non audeant, decurritur eo, ut *Eccius* exhibeat suam sententiam scriptam præsentibus. Item ut reliqui tres etiam sententiam exhibeant scriptam, quam dixissent. Nostri certe Theologi operam dederunt sedulo, ut adversariis omnibus modis os obstruerent, eum in finem Patres inter se partiti legerunt, sed Pontificii miris technis vel colloquium impedire conantur.

Sane *Thomas Campegius, Episcopus Feltrensis, Legatus Pontificius*, cum videret omnem de religione in Germania disceptationem rebus suis perincommodam, libenter colloquium illud præpedivisset, si potuisset; minus tamen incommodi, si ei assentiretur, quam si se invito perageretur, prævidebat. *Vergerius, Episcopus Justinopolitanus*, etiam à Pontifice missus, sed legationem à Galliarum Rege obtendens, ut alieni nominis obtentu, Papæ rebus magis inserviret, orationem de unitate & pace Ecclesie excudendam curavit, qua contendebat concilium Nationale non videri paci stabiliendæ idoneum medium, ideo, *Sarpio* scribente, aliquot exemplaria distribuit, ut colloquium illud perumperet, quod ejusmodi Concilium quadantenus referebat. Nec deerant, inquit, qui sedulis *Campegii & secretis Vergerii* officiis adducti, tempus ex composito extraherent.

Altercatum igitur studio fuit de colloquii forma, & actis Altercatio non evulgandis, de numero Doctorum, per aliquot dies, & de forma colloquii, initio conventus à Præsidibus propositum & Cæsaris nomine & subdola Pontificiorum artibus. Cum enim adversarii animadverterent, *Brandenburgensis, Patalini & Clivensis* consiliarios in Protestantium partes inclinare, Pontificii à regula sua, quam semper alioqui urgebant, nunc disce-

Eccius & Melanchthonis monomachia de peccato orig.

abruptum subito colloquium.

discedebant, & in varias formas se mutabant, tandemque ad monomachiam deveniebant, ut *Melanchthon* & *Eccius* solum congregarentur. Cœptum est disputari de *Peccato originis*, oppugnante *Eccio* secundum articulum Aug. Confess. in quo concupiscentia dicitur peccatum, & quidem formale, ex mente *Lutheri*, quod *Eccius* adversari dicebat sacris litteris, & Patrum Ecclesiæque doctrinæ, detrahere quoque beneficio Baptismi & regenerationis. *Melanchthon* autem ex Gen. VI. 5. Rom. VII. 7. ff. & *Augustino* defendebat sententiam confessorum, & Baptismo ac Regenerationi honorem suum asserbat, nihilque non refutatum relinquebat, licet *D. Brunus*, Evangelicis summe invidus & infensus, Præsidum nomine ad alium articulum procedendum diceret. Facile enim viderant, *Eccium* esse insignem negatorem; ipse quippe postea privatim apud *Granvellanum* dixit, se sententiam *Lutheranorum* vere probare; publice tamen miris calumniis eam deformare conatus est. Per quatuor dies hac de re disceptatum, colloquiumque subito abruptum fuit. Nuntius enim Pontificius, qui apud Cæsarem in Belgio tum residebat, illi aures perpetuo obtundebat, tum commemorato schismatis periculo, quod ex eo colloquio impendat *Germania* universæ, exinde *Lutheranismum* amplexaturæ; tum injecto metu, non tam Pontifici obedientiam negari, quam auctoritatem Cæsaream infringi & enervari; tum denique solitis artibus, quibus semper usi essent. Cæsar itaque, ut *Sarpus* ait, sive his rationibus perterritus, sive difficultatibus rerum, quas *Granvellanus* in hac actione objici sibi significabat, sive quod ipse coram majus operæ pretium sese facturum sperabat, missis ad conventum literis colloquium abrupte, & ad *Comitia Ratisbonensia* d. VI. Januar. A. 1541. indicta, rejecit, ubi omnia rectius tractari & componi possent. Sic nihil actum est *Wormatia*, impediens colloquium Pontificiis legatis, qui intelligebant, Papam id unice cupere, ut in fumos abiret, fatente *Pallavicino*.

Gran-

Granvellanus etiam nulla non arte in hoc conventu usus est, ut utrique parti placeret, unde bonis verbis Protestantes eludebat, Pontifici autem & Cæsari placere inprimis studebat, ac alii observabant, eum cum septem vel octo liberis in aula Cæsaris versari, omniumque fortunas provehendas à Cæsaris & Pontificis gratia expectare & sollicitare. Inter filios secum ex Gallia ducebat Wormatiam *Antonium*, Episcopum *Atrebatensem*, cui Pontifex causam religionis, aut suam potius, commendaverat.

Tom. VII. Alt. p. 428. b. Consil. Melanchth. in Coll. Pezel. pag. 399. ff. Sleidan. p. 371. seqq. Suav. p. 81. Seckendorff. p. 294. ff.

§. CCCLXXVII.

Lutherus interea non fuit otiosus *Wittembergæ*, sed per- *Lutheri*
rexit in *explicatione Geneseos, & Jobum, Psalterium, Proverbia,* *versiones*
Ecclesiasten, Cantica, Esaiam & Jeremiam typis tradidit, absen- *aliquot li-*
tibus *Melanchthone & Crucigero*, uti in litteris ad *Philippum* *brorum*
Wormatiæ agentem scripsit. *Biblic.*

Inter scripta *Lutheri* etiam hujus anni referuntur *Præ-Enarrat. in*
lectiones Academica, sive *Enarrationes in Psalmos Graduum,* *Psalmos*
à *Psal. CXX. usque ad CXXXIV.* quas *A. 1531. incepit, & A. 1533. graduum.*
absolvit, hoc tamen anno demum editæ sunt à *Vito Theodorico;*
versæ vero Germanice à diversis autoribus, & sequenti anno
1541. publicatæ. Plurima inde excerpfit *Seckendorffus,* & nos
subinde in *Locis* quædam ex iis retulimus, in quibus acquiesci-
mus, brevitaris studio.

Hoc anno (1540.) disputavit de *duodecim consiliis Evange-* *disp. de*
licis falso confectis à Sophistis. Hanc disputationem integram, *consil. Ev.*
velut *appendicis loco* retulimus in *Loco de Evangelio §. 22.*

Alia etiam extat *Disputatio Theologica* de illo dicto ad *de dicto Ebræi*
Ebræos XIII. 8. Dominus Jesus heri & hodie, ipse & in secula. *Pro- XIII. 8.*
bat in ea, unum & eundem Deum, ab initio mundi variis mo-
dis per fidem in eundem Christum cultum esse. Postea inde

colligit, frustra credere *Judeos* in Deum promissorem Messiae, qua fide olim recte crediderint Patres eorum: frustra *Turcas & Gentes* alias credere in Deum creatorem mundi, dum nesciant eum esse promissorem vel exhibitorem seminis: frustra credere *Papistas & Sophistas* Deum Patrem & omnes articulos alios fidei nostrae, dum respuunt opus Christi pro nobis impletum, & negant sola fide nos justificari.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 564 -- 566. Tom. IV. Jen. Lat. fol. 415 -- 521. Seckendorff. pag. 301 -- 306.

§. CCCLXXVIII.

*Lutheri
Epistola ad
collegas
Smalcald.
de Cæsare.*

Ex Epistolis Lutheri referri meretur ea, quam ad *Jonam, Pomeranum, Crucigerum & Melancthonem, servos & confessores Christi fideles*, & ut ait, *maiores suos*, dedit, mense Octobri, ut est inter XV. epistolas Lutheri, à Flacio Magdeburgi editas A. 1549. sed, ut *Seckendorffius* vult, Martio mense, quod ex eo colligit, quia *Pomerano* simul inscribitur, qui hoc tempore cum reliquis in conventu Smalcaldico erat. Versa extat ex Latina in Germanicam linguam, illam tamen se vidisse non meminit *Seckendorffius*, hancque ob causam integram adducemus, cum & brevis sit, & mentem fidemq; heroicam Lutheri prodat.

Salutem. Quod scribitis, optimi viri, de Cæsare & Papistis, facile credo. Nam Cæsar fuit, est & manebit, servus servorum diaboli, utinam serviret subjectus vanitati non volens, sicut cetera creatura, sed ignarus serviret. Nos oramus contra eum & pro eo, & exaudiri nos certo credimus, etiam supra quam intelligimus aut petimus, obtinebimus petita, sicut hactenus obtinuimus. Deus est, qui sicut in media morte vivificat, & in media ira miseretur, in medio furore ridet, ita in media repulsa precum, impetratas preces dabit, sicut omnia opera divina sunt mirabilia & incomprehensibilia, cui sunt ea quae non sunt, fiunt quae pereunt, stant quae cadunt, & nihil est ei omnia, cui gloria soli, qui solus Deus, solus factor, solus gubernator omnium. Sive igitur

zur pacem afferetis, ex medio bello oblatam pacem accipiemus, si-
ve bellum afferetis, æque pacem ex bello sperabimus, siue per
mortem, siue per vitam, fiat voluntas Domini, qua facta fiet &
pax nostra in vitam aternam, Amen. Estote fortes Satanae con-
temtores, crucifixit eum à quo crucifixus est Triumphator in Israel,
& ostentavit eum propinavitque nobis eum ridendum, illuden-
dum, insultandum, si credimus in crucifixorem Christum Domi-
num & victorem crucifixoris sui diaboli. Nam si nos crucifixe-
rint, vicissim nos eo ipso crucifigemus eum, & in illa die, vel
etiam ante ostentabimus eum in palam. Valete. Anno 1540.

Idem fere judicium de Casare tulit Noster aliis in literis
ad Melancthonem Wormatia hærentem datis.

Tom. VII. Alt. p. 427. a. Budd. suppl. Ep. Luth. p. 269. seq.

§. CCCLXXIX.

Inter Germanica Lutheri scripta referuntur illa, quæ con-
tra Jo. Agricolam, Antinomum, scripsit, de quibus alibi satis di-
ximus, ut ad superiorem annum observavimus. Scripta Ger-
man. contra
Antinom.

Edidit hoc anno insignem adhortationem ad pastores, ut
contra usuras concionentur, cum per eas Germania funditus
corrupta sit. Doceti autem vult 1. usuram esse, quicquid supra
sortem, siue pecuniæ, siue frumenti, aliarumque rerum fungi-
bilibium mutuo datarum, siue quinque siue sex, aut plures florent
pro centum, percipitur, & percipientes salvari non posse, nisi
convertantur. 2. Regulam præscribit inculcandam è Luc. VI.
34. *mutuum date, nihil inde sperantes*, & ex ea rejicit omnem
prætextum, quod usuræ pro liberali compensatione præstiti in
mutuo dando officii, haberi possint; æquum tamen censeat, ut
qui mutuum accepit, tempore statuto id reddat, aut damnum
emergens vel lucrum cessans creditori resarciat. Exempla dein-
de pravitatis usurariæ remediorumque ei oppositorum, ex hi-
storia Græca & Romana adducit, & factum Nehem. V. urget.
Pastores itaque vult omnes fœneratores, parvos & magnos, pu-
blice

blice

blice redarguere & à sacrorum communione arcerè, licet non sine odio & periculo id fiat; satius enim esse, ut peccatores soli pro culpa sua damnentur, quam ut una cum iis pastores conniventes in infernum detrudantur. Moderationem tamen admittit in pupillis & viduis, aliud victus parandi medium non habentibus, statuendum per ἐπιμερίαν, & expendi vult *constitutionem Justiniani L. 26. C. de usuris*, qua vilioribus semisses, id est, quatuor, negotiatoribus octo pro centum permittuntur. Putat tamen in foro poli non sufficere *Cæsaris legibus obedire*, & observandam potius *Pauli 1. Tim. VI. 8. 9. regulam* suadet, *ut, habentes alimenta & amictum contenti simus*, & præcepta Christi repetit, *Matth. V. 40. Luc. VI. 30. 35.* docetque ea male pro consiliis à Monachis & Muhammede venditari, ac prolixius explicat.

Tom. VII. Alt. pag. 310 -- 327. pag. 427. a. p. 401 -- 421.

§. CCCLXXX.

*Incrementa
reformationis
hoc anno.*

Quos *progressus* doctrina Evangelica hoc anno habuerit, sigillatim recensere, non necessarium duco, cum satis intelligi ex dictis queant. Vidimus, inter maxima obstacula & machinationes artesque varias adversariorum, nihilominus lucem Evangelii emicuisse & radios quoque diffudisse. Non contemnendum sane est *Eccii* testimonium, quod veritas ei expressit, quando dixit ad *Granvellanum*, post finitam disputationem, se assentiri sententiæ Lutheranae. *Melanchton* proinde recte in præfat. colloq. *Wormat. Part. IV. oper. f. 641.* scripsit, *prodesse extare ἐπιμαρτυρίαν Eccianam eo, ut boni & graves palam videant; Sophistas illos nec candorem nec studium veritatis ad has tantas deliberationes adferre. Eccium enim gloriose jactitasse, utramque partem se tueri posse, ac putasse, de laude ingenii certari, non de veritate.*

Ad incrementa reformationis Evangel. & purioris doctrinae defensionem referri quoque debet *Gustavi, Sueciae Regis,*
con-

constans ad causam Evangelicam tuendam propensio, ceu constat ex litteris *Electoris Sax. ad Landgravium* d. XXVI. April. datis, quibus narratur, cum auxilium 4000. peditum fœderatis, si opus haberent, obtulisse.

Eodem tempore *Senatus Spirensis* duos concionatores Evangelicos vocavit, indignante licet *Cæsare*.

In ipso *Conventu Wormatiensi* Protestantes Evangelicas conciones habuerunt, in templo Dominicanorum, nec passi sunt à *Granvellano*, variis prætextibus id conanti, eas impediri.

Extant etiam litteræ *Legatorum Saxoniorum* in conventu *Wormat.* quibus *Nordlingensibus, Dünckelsphühlehsibus & Giengensibus* ob receptam Evangelii doctrinam gratulantur, & acta in conventu cum illis communicant, fœdere licet non junctis.

Seckendorff. pag. 300 b.

§. CCCLXXXI.

Incidit in hunc annum 1540. confirmatio *Societatis novæ, Jesuitarum* ab *Ignatio Loyola* institutæ, quæ à *JESU* sibi nomen sumpsit, eam *societas hoc anno confirmata.* que ob causam hunc annum felicem prædicant Romanarum partium historici, quia non multo post, quam *Lutherus* reformationem suscepisset, infelix ille miles *Ignatius*, rudis & ignarus, ac more nobilium, qui aulas vel castra sequuntur, factionibus & rixis, vesanis item amoribus, reliquisque seculi vitiis deditus, suam quoque molitus est, & ab initio *presbyteri reformati* dicti sunt ejus asseclæ, quos *Jesuitas* nunc vocamus. *Lutherus* quidem eorum mentionem non facit, quia in Germaniam tum nondum irruerunt, nec adeo validi aut numerosi fuerunt. *Seckendorffius* illorum originem & formam nonnihil accuratius & plenius describit, & parallelismum interdum exhibet inter *Lutherum & Ignatium*, ac utriusque consilia & methodum considerat, unde judicium fieri possit, uter eorum melioribus causis inductus, aptioribusque adminiculis instructus,

Hh hh

Eccle-

Ecclesiæ reformationem feliciter tentaverit. Nostri instituti non est talia vel exscribere, vel in compendio referre.

Seckendorff. pag. 314--328.

§. CCCLXXXII.

An. 1541.
Comitia Ra-
tisbon. in
quibus Ca-
sar primus
presens. erga
Protestantes
clemens.

Interruptum studiose colloquium de religione *Wormatia* habitum à Pontificiis esse diximus, quamquam alia ab iis causa adducta sit, nempe *Comitia Ratisbona* à Cæsare indicta, ad quæ Cæsar ipse primus veniebat, ac serio videbatur causam religionis & concordie faciendæ acturus. Unde ut Ordines Imperiî eo alliceret, studium pacis, cum edicto publico, tum epistola ad Elect. Saxonie testatus est, ac indixit omnium processum, religionis causa & occasione hucusque in Camera pendentium, & executionis sententiarum in *Mindenses* & *Goslarienses* pronuntiarum, suspensionem, & liberam abeundi facultatem. Elector vero ipse eo non abiit, dissuadente *Luthero* multis gravibus rationibus, (neque enim erat consultum ambos fœderis Evangelici Duces comparere,) legationem amplissimam decrevit & misit pro se *Wolfgangum, Anhaltinum Principem*, cum consiliariis excellentibus, & *Landgravius* mature adfuit. *Ferdinandus* Rex etiam magnopere ad pacem propendere, & ad eam stimulare fratrem dicebatur; quod ei Romæ imputatum eoque persuasum à consiliariis Lutheranis fuisse, *Pallavicinus* scribit. Ex actis patet, quod Ministri Cæsarei in familiari cum Principibus Protestant. eorumve Legatis sermone, sæpius ingenue confessi sint necessitatem reformatæ Ecclesiæ, ac affirmarint, Cæsarem ad eam etiam sine Pontificis consensu progressurum esse: aliter tamen loquebantur cum Legatis ac nunciis Pontificiis & Episcopis, quorum ingenia probe noverant. *Granvellanus* præ aliis benevolum se Nostri præbuit, & multa de Cæsaris benigna erga Electorem Saxon. propensione aliosque asseverabat. Certe longe mitius Cæsar tum *Ratisbona*, quam *Augusta*, erga Evangelicos se gerebat, & neque esum carniū neque conciones in-

hibe-

hibebat. Negari tamen nequit, hunc quoque conventum, ut alios priores, ingentis astutiæ & fraudis scenam fuisse, ut ex progressu nonnihil elucebit.

Pontifex enim de sua autoritate ac potestate nil quicquam remittere volebat, & legatis Nunciisque suis *Cæsarem* & *Ferdinandum* à latere comitabatur, ut nil dicere aut facere potuerint, quod derogare Pontificio regno videretur. His enim mandatis Papa instructum Oratorem suum, *Casparum Contarenum*, Cardinalem dimisit, ut, quemadmodum *Suavis* refert, si quid, quod ad auctoritatem Pontificiam imminuendam faceret, geri persentisceret, actionem interpellaret, proposito vero atque unico generalis Concilii remedio. Si vero Imperator cogeretur aliquid largiri Protestantibus cause sua damnosum, ut id ne fiat, auctoritate Apostolica oblectaretur & obsisteret; ubi id factum, damnaret irritumque declararet, è conventu quidem faceffens, sed è Comitatu *Cæsaris* non discedens. Atque hoc accurate observavit Legatus; simulac enim *Katisbonam* venit, apud *Cæsarem* excusare Pontificem cœpit, quod se tam ampla auctoritate tamque absoluta potestate, quam ille requirebat, (quod tamen *Cæsarem* postulasse negat *Seckendorffius* contra *Maimburgium*, & ex *Pallavicino* ostendit, *Cæsarem* tantum petiisse Nuncii loco Legatum à latere, sive majoris auctoritatis, qua vel pax obtineri à Protestantibus posset, id est, obsequium, vel eorum incrementa aliis modis impedirentur; quod nihil aliud sit, quam ut, persuasionibus frustra adhibitis, vis succederet: immo contendit, *Cæsarem* tam plenam potestatem postulare non potuisse à Papa, cum non ignoraret summas rei difficultates, sive ratione Pontificis & Cleri, nil remittere è suis prærogativis cupientium, sive ratione Protestantium, nullam Papæ potestatem agnoscentium) non armasset. Potestatem enim illam, dicebat, ossibus Pontificatus ita firmiter annexam, ut ad alium transmitti non queat. Deinde, neque verba, neque sententiam reperiri, quibus auctoritas definit.

Hh hh 2

di fidei

Contareni
Legati Pontifici. mandata ad *Cæsarem*, de servanda auctoritate Papali.

di fidei controversias à Pontifice cuiquam possit communicari: quod privilegium non errandi, solius Pontificis persona concessum sit iis verbis: ego rogavi pro te Petre. Pontificem quidem detulisse ei potestatem concordia cum Protestantibus in eundem, modo religionis principia admittant; nempe sedis Apostolica primatum à Christo institutum, & Sacramentorum, secundum ritus Ecclesie Romanae, administrationem, & alia Leonis diplomate determinata: in ceteris vero omnibus Germanis satisfacere se paratum. Orare quidem Cæsarem, ut nulli propositioni auscultare dignetur, quam non sit fas concedere, nationibus aliis inconsultis; ne inter Christianos schisma aliquod periculosum contingat.

Tom. VII. Alt. p. 485. seq. P. Suav. p. 82. Seckendorf. p. 349. 352.

§. CCCLXXXIII.

Propositio
facta nomi-
ne Cæsaris.

deliberatur
de modo.

delecti à Cæ-
sare collocen-
tores, præs-
ides & testes
colloquuntur.

Cum jam plerique omnes convenissent, inchoatur actio d. V. Aprilis, & Cæsaris nomine proponitur, quantopere inde ab eo tempore, quo ex religionis dissidio divulsus sit Imperii status, & data Turcæ occasio in viscera Germaniæ penetrandi, sollicitus fuerit de jungendis dissentientium animis, ac omnes pacificationis rationes hucusque per multos annos tentaverit, & hunc quoque in finem præsentem conventum instituerit. Videri autem nullum alium expeditiorem modum esse, quam si pauci quidam ex utraque parte docti piique viri deligantur, qui de rebus controversis amice conferant, & reconciliationis rationem ad Ordines referant, ut deinceps de sacra causa deliberari, ea cum Legato Pontif. communicari & decerni queat, sic tamen ne quid Augustano decreto decedat. Post quatuor dies Protestantes petunt colloquium *Wormatiæ* cœptum continuari, & de delectis sententiam suam dicturos affirmant, si nomina eorum audiverint; cæteri autem ordines Cæsaris consilium per omnia probant, qui postea ab utrisque petit, ut nominandi personas facultatem sibi permittant, confidantque, nil se facturum, quod non ad patriæ salutem pertineat. Ac ne quid periculi esset

ex

ex hac deliberatione partibus, addidit, velle se, non teneri quenquam his deliberatis, nec ea vim præjudicii habitura, sed omnia rursus ad consilia Principum referenda esse. Abhorrebant nonnulli ab hoc conciliationum consilio, cum plerumque decurratur ad ambiguos, fucosos & fallaces articulos, quibus veritas obruatur & Ecclesiæ non sanentur, sed potius dissipentur. Alii contra disputabant, hanc viam etiam profuturam ad declarandam doctrinam Augustanæ Confessionis, præsertim si boni viri interfuturi sint, qui Cæsari fideliter disputata referrent; tum enim eum ac alios Principes cognituros, Ecclesiarum nostrarum dogmata non tam absurda esse, ut à monachis & sycophantis traducuntur. Tandem igitur Cæsari arbitrium deligendi permittitur, verum ita, ne condantur articuli flexiloqui, sed simplex veritas patefiat. Et testatus est Imperator, *velle se inquire veritatem*, ac in delectu uti æquitate: designavitque d. XIII. April. per Palatinum ad colloquium è suis *Julium Pflugium, Eccium & Gropperum*, ex nostris autem *Melanchthonem, Bucerum & Pistorium Nidanum* pastorem, quos XXII. d. April. Cæsar ad se vocatos, multis verbis graviter monuit, ut sepositis affectibus ad solius Dei gloriam respicerent, & colloquio præfecit *Fridericum Palatinum & Granvellanum*, ac quo major dignitas accederet, testes adesse voluit *Theodoricum Comitem Manderscheidium, Eberhardum Rudenum, Henricum Hasium, Francisc. Burcartum, Joannem Figium & Jacobum Sturmium*. Cum XXVII. April. convenissent, *Palatinus* verba facit, collocutoresque monet, ut serio rem aggrediantur, & amice conferant: *Granvellanus* deinde *librum* descriptum illis *exhibet*, quem *Cæsari* dicebat esse *traditum* à quibusdam viris bonis atque doctis, velut *idoneum ad futuram conciliationem*. Velle itaque Cæsarem, quo videlicet legitimum argumentum habeant, ac velut agendi materiam, ut eum librum pariter evolvant ac expendant, & quod in eo simul omnibus probabitur,

Collocutori-
bus liber
traditur di-
sputationis
materia.

laudent, quod vero minus, id corrigant. Liber iste doctrinæ capita hæc continebat: *de creatione hominis, & ante lapsum naturæ integritate, de libero arbitrio, de causa peccati, de originali peccato, de justificatione hominis, de Ecclesia & illius signis & autoritate, de nova verbi, de penitentia post lapsum, de autoritate Ecclesia in discernenda & interpretanda Scriptura, de Sacramentis, de ordine, Baptismo & confirmatione, Cena Domini, penitentia & absolutione, matrimonio, unctio, de vinculis charitatis, de Ecclesie ordine hierarchico, & in constituenda politica autoritate, de statuis, de Missa, de administratione Sacramentorum, de disciplina ministrorum Ecclesia & populi.*

Tom. VII. Alt. p. 715. b. Consil. Melanchth. Pezel. p. 445. seq. Sleidan. pag. 380. seq. Suav. pag. 82. seq.

§. CCCLXXXIV.

*Epicrisis I.
de Recessu
Augustano
adjecto.*

Antequam ad ipsam disputationem pregedimur, quædam ad antecedentia monenda sunt, à *Sockendorffio*, observata, & ex eo huc referenda: I. Illud effecerunt Pontificii apud *Cæsarem*, quem serio ad pacem concordiamque inclinare, nec penitus evitari posse colloquium videbant, ut *Augustanum decretum* clausula quadam reservaretur (*sine præjudicio recessus Augustani*.) Hoc enim eo spectabat, ut quicquid rigidi & sævi in comitiis illis contra *Evangelicos* decretum erat, quavis occasione expediti & vi agi posset, si colloctionibus & suasionibus nihil efficeretur. Quod nostri quidem facile perspiciebant, sed dissimulandum erat, & *qualiscunque pacis ac induciarum conditio accipienda*, licet eam magno sumtu redimerent, præstitis adversus hostes *Cæsaris* auxilium. Si vero *Cæsar* neque *Gallum*, neque *Turcam* timuisset, vix dubitari posset, quin jam tum Pontificiis consiliis locus fuisset, & ex recessu *Augustano* prætextus capi potuisset ad *Protestantes* vi opprimendos. *Maimburgius* certe initio libri IV. prolixè refert, quomodo, cessante illo metu, anno 1546. bellum susceptum, & instituto etiam tunc in Comitiis tractatu, *Protestantibus*

ibus illud fuerit. Hoc vero anno 1541. Casarem & Gallici & Turcici belli cura angebat, alia etiam Pontificem, ne Cæsar nimia auxiliorum cupiditate Protestantibus indulgeret, quæ Pontifex ferre non posset, aut colloquiis & disputationibus Theologorum publicis fundamenta veritatis cæteris quoque Principibus, qui à partibus Pontificis hucusque steterant, innotescerent, & studium reformationis provocarent. Hinc omnis ista disceptandi via Pontifici & intimioris admissionis Cardinalibus summopere inuisa erat, experimento Augustanorum Comitiorum edoctis, quantum nocuisset, quod tunc actum erat; inde enim instructi haud pauci Principes ad Evangelicorum partes transferant. Ideoque Eccius, arcani illius conscius, moderatiora cæterorum consilia sufflaminabat, suisque clamoribus & sophismatibus, si obtundere non posset Theologos Evangelicos, id tamen efficiebat, ut colloquium necessario rumpendum esset. Hagenoa conventum frustraverat, productis articulis, de quibus Augusta transactum esse fingebat: Wormatia aliis objectamentis colloquium protelavit, ejusque loco nescio quam confutationem moliebatur, donec instante Comitiorum tempore conventus iste ex improvviso solveretur. Cum in his Comitibus eadem larva in scenam produci non possent, tentatum primo est prevalentibus Episcoporum suffragiis, an prorsus evitari posset colloquium. Cum vero id per Casarem eosque, qui serio ad concordiam & pacem propendebant, fieri non posset, recursum fuit ad ultimum presidium, ut omnia arbitrio & consensu Pontificis submitterentur; Protestantes vero ipsi tum libro illo captioso, tum dura contradictione, etiam in evidentissimis fidei capitibus, offensi & fatigati, ab omni spe concordie dejicerentur. Callida hæc consilia perspexit Melancthon & ad Lutherum, d. XXV. Aprilis scripsit, durum esse Contarenum, & nulla in re discedere velle ex consuetudine Romana, & sedulo conari, ut deliberationem de concordia impediatur. Lutherus etiam semel iterumque in litteris ad

Ele-

II
 III
 IV

Electorem fraudes & technas aduersariorum, inprimis Moguntini & Henrici Brunsvic. notavit (Weins/Heins sind nicht fromm/ werden auch nimmermehr fromm) & recte iudicavit statim ab initio ac semper, conciliationem susceptam esse Moguntinam & Pontificiam fraudem, (Teuscherey) Christum enim cum Satana conciliari non posse, nec quicquam ea quari quam infamiam & invidiam in nostros redundantem: libenter tamen se videre, si doctrina Evangelica bene disceptetur, illustretur & agnoscat, quemadmodum Augustæ factum. Hæc majori cum veritate meliorique applicatione dicere Lutherus poterat, quam Maimburgius, quando de Contareno scripsit, eum cum gloriam procuranda concordia affectasset, quæ tamen pro utriusque partis dispositione non magis quam inter lucem & tenebras, Christum & Be-lial, stabiliri potuerit, usum esse in quibusdam articulis, v. g. de justificatione, de meritis bonorum operum, & de fide, phrasibus aliquibus ambiguis, quæ neutri parti satisfecerint, quia id non exprefferint, quod alterutra ad professionem fidei sui essentialia esse putabat. Certe, inquit, ab omni tempore observatum fuit, prætentas religionis compositiones, quando hæreticos cum Catholicis per henotica, typos, ectheses seu expositiones fidei, quas vocant, conciliare tentatum est, supprimendo, dissimulando, ambigue loquendo, aut nimium emolliendo aliquam doctrinæ Ecclesiastica partem, nec his, nec illis placuisse, pariter scilicet questis, quod per ambages in fide procedatur, re tam delicata, quæ, si in uno capite erret, in omnibus deficit. Hinc porro memorat, lectam Romæ in pleno Consistorio expositionem Contareni, minime approbatam, eumque ob admittas multas moderationes, à Cardinali Caraffa proditæ causæ Ecclesiæ accusatum, defensum tamen ab aliis fuisse, quia nil nisi ex sententia Theologorum fecerit, ut Papa tandem illum excusatum habuerit.

II. de scri-
pto à Cæsare
tradito.

Hæc ut melius intelligantur, II. aliquid de libro seu scripto à Cæsare collocutoribus tradito, tanquam à bonis eruditisque

que

que viris composito, qui sine præjudicio fidei Catholicæ ab utraque parte acceptari posset, dicendum est. *Maimburgius* compertum ait, *Bucerum*, ex ordine Dominicano apostatam, manum ei admovisse, & venenum hæreseos sua subtiliter instillasse. Verum id tam certum non est, ut *Maimburgius* existimat, suum improvide secutus *Cochleum*; nam *Eccius*, teste *Pallavicino*, ejus autorem *Vicelium* suspicatus est, eoque abhorruit ab illo, cum infensus valde ipsi esset. *Electo Brandenburg.* cui *Vicelius* non erat ingratus, Berolino librum attulerat, & *Wittembergam* transiens, *Luthero* monstraverat, qui reformationem *Ducis Georgii & Misnicorum*, de qua ad A. 1539. nonnulla dicta sunt, esse arbitrabatur. *Pallavinus*, ex *Contareni* & Nuncii judicio, *Gropperum* nominat autorem; *Contarenius* tamen librum non correxit, quod *Maimburgius* illi tribuere videtur, eum autem approbavit palatii Magister, *Thomas Badia*, qui *Contareno* aderat, & *Eccius*, licet fere invitus. Cum igitur à Pontificiis approbatus & à Cæsare traditus sit, ut *Pallavinus* affirmat, locum habere nequit, ceu *Seckendorffius* scribit, *Maimburgii* episcopi *de vano Contareni studio, conciliationem inter Christum & Belial querentis; nec multum ad rem pertinet, qua de damnis Ecclesia per consilia heuotica illata queritur.* Evangelicos certe non ferit, qui licet ab adversariis sapiens istiusmodi formularum artificis tentati sint, ipsi tamen simplici fidei sua professioni insistere maluerunt, neque adversariis griphos logosque obrudere unquam conati sunt. *Melanchthon*, qui aliis plerisque tractabilior habebatur, conciliationes illas fucosas vocat, & vehementer in præfatione libri istius Part. IV. fol. 696. it. 729. improbat, multoque magis in familiari ad *Camerarium* epistola d. XIX. April. data Lib. IV. epist. 235. In historia tamen hujus conventus, *Melanchthon* ejus autor, scribit, Imperatorem librum exhibuisse, æquissima conditione, ut, quæ non probarent Protestantes, dicere liceret, & censuram addere. *Etsi autem, inquit, tutius vi-*

debatnr nonnullis ex delectis, percurrere Augustanam Confessi-
tamen cum alii librum anteferrent, & incivile videretur, nolle
inspicere scriptum, ab Imperatore sine iniquis conditionibus propo-
situm, convenis, ut liber legeretur, & ordine dicerentur senten-
tia. Utcunque igitur de autore scriptires se habeat, quanquam
maxime verisimile sit, plures ei manum admovisse, cum Cæ-
sar, qui id cognitum satis habuit, dixerit, eum à viris piis atque
doctis compositum esse, recepta fuit ista formula, accommoda-
ta satis, ceu videbatur, vel Cæsari persuadebatur, ad dirimendas
controversias. Interim fundamentum fuit hoc scriptum ejus
libri, qui postea *interim* vocabatur. Electori Sax. displicuit ab
initio modus colloquii ex hoc scripto, nec celavit legatos in
litteris.

Tom. VII. Alt. pag. 486. a. 487. a. pag. 715. b. Coll. Pezel. pag. 447.
Seckendorff. pag. 353. a. 355. b. 356. a.

§. CCCLXXXV.

Colloquii
ratio ex
Melanchth.

Quod ad ipsum colloquium attinet, malo Melanchthonis,
qui ejus pars fuit, quam meis aliorumque verbis, referre ejus
rationem. *Initia*, inquit, *non habebant controversias, de condi-
tione hominis, de lapsu, de libero arbitrio, de causa peccati, de vi-
tio originis. Secutus est locus de justificatione, de quo sarrago illa
neutri parti satisfaciebat, & quia novas quasdam sententias con-
tinebat, & pleraque erant obscura, impropria & flexiloqua; ut
alias videretur recte dicere: Fide propter Christum justi sumus:
alias contra, propter donatas virtutes sumus justi: ut Thomas,
seu ut Plato loquitur. Seposico igitur libro, de summa rei libere
disputatum est, & tandem ad formulam reversum, in qua recepta,
& explicata sententia est: fide propter Christum, gratis justifi-
camur, non propter virtutes nostras.*

*Cum de hoc loco convenisset, redire ad librum jussi sumus.
Lectus est locus sequens de Ecclesia, in quo, ut facilius obtineri
sequentia possent, insidiosè addita est hypothesis: communem con-
sensum,*

sensum, & Synodos legitimas non errare. Hinc magnum certamen ortum est, cumque per aliquot dies de hoc loco diligenter disputassemus, jussi sumus rejicere hanc partem in aliud tempus.

Lectus est locus de Sacramentis, in quo cum ventum esset ad Cœnam Domini, orta sunt rixa de conversione substantiæ panis. Rejecta est & hac disputatio in aliud tempus.

Postea acerrima contentio de re non magna secuta est: An in confessione, ut vocant, sit necessaria delictorum enumeratio? Defendebatur regnum confessionis à nonnullis, vel propter auctoritatem ordinis sacerdotum, vel propter culinas Monachorum. Sed ab aliis exhibita est contraria sententia, explicata copiose.

Agitata est & questio de satisfactionibus, de quibus formula proposita est à Pontificiis brevis, & ut moderata videretur, ambigua. Sed concessum est, ut & altera pars suam exhiberet sententiam.

Ventum est ad locum de gradibus & potestate Episcoporum, ubi aliquid de potestate Romani Pontificis significatum fuit. Adjecta erant & alia, quæ vocabantur in questionem. Tribuebat enim scriptum auctoritatem Episcopis ceremonias divinitus constitutas mutandi. Id quidam interpretabantur de parte Cœnæ Domini, adempta populo.

Secuta sunt certamina de invocatione divorum, qui ex hac vita discesserunt, de applicatione missæ, de privata missa, de usu integræ Cœnæ Domini. In his materiis, cum ii, qui Augustanam Confessionem amplectuntur, dissiderent à libro illo, & à Pontificiis: concessum est, ut contraria sententiæ exhiberentur.

Reliqua erat in libro longa recitatio veterum Canonum de conjugio Sacerdotum. Etsi autem liber eam causam rejiciebat ad deliberationem summorum gubernatorum: tamen significabat, conjugium sacerdotibus concedendum esse juxta normam veterum Canonum. Hic adjecta est liberior sententia à nobis.

Tandem igitur percurso libro, jussi sumus acta referre Imperatori, ac reddito libro ostendere, de quibus locis convenerit, & qua controversia non sint diremta. Et si fuimus delecti, ut inquisita veritate, dissidia tolleremus: tamen ut studium concordiae ostenderent hi, qui Augustanam Confessionem amplectuntur, de libro non accerbam censuram egerunt: quaedam donaverunt adversariis, qua tamen digna erant reprehensione. Sed semper ita sensimus, non propter leves causas alenda esse dissidia: tantum de magnis & necessariis rebus pugnandum esse duximus.

Consil. Melanchth. à Pezel. coll. p. 447. 448.

§. CCCLXXXVI.

Electoris &
Lutheri de
hac disput.
sententia &
concordia
spes.

Multa hic essent indicanda, quæ ad illustrationem pertinent disputationis, ex *Electoris Saxonie & Lutheri* litteris, ex quibus patet, utrumque sedulo fuisse sollicitum de præcipuis fidei capitibus sarti tectis servandis, illo præsertim de *Justificatione*. Nam *Electo* litteris d. X. Maji scriptis *improbabat stylum*, quem *Melanchthon* admiserat in articulo isto, *substitutis verbis aliis*, quam Augustanæ Confessionis, *obscuris nempe & scholasticis*: involutam quoque tenebris & appendicibus esse sententiam de *sola fide*, qua justificamur, & adversariis *admissa nova formula ansam dari* dicebat, ut gloriarentur, Evangelicos à sua doctrina recessisse. Repetebat etiam, quod antea mandaverat, ut si in doctrina de *S. Cæna & de Ecclesia conveniri non posset*, à colloquio desisteretur; neque enim aliud agi, quam ut explorarentur Evangelici, & de levioribus quibusdam transigaretur, dilatis gravioribus: *rigori*, quem Augustæ experti sint, *blanditias nunc successisse*, eodem, aut majori cum periculo. Inse- rebat quoque Epistolæ schedulam, qua significabat, *se non videre, quomodo sincera & Christiana concordia iniri possit cum illis, qui ob doctrinam veritatemque Evangelicam plurimos acerrime persecuti sint & trucidarint*; quietam illis pacificamque mentem non esse, nec amore concordia honorisque divini, sed

dolo.

dolose alicubi cedere, admixtis sophismatibus, qua data occasione pro lubitu interpretari possent. Consultus etiam ab Electore Lutherus de formula in articulo Justificationis, ait, eam parum sinceram & confarcinatam esse ex Melancthonis & adversariorum sententia, latere in ea liberum arbitrium, ac Pauli dictum Gal. V. 6. *fides per dilectionem efficax est*, insertum, huc non quadrans, cum Paulus non dicat: *fides per charitatem justificat*, quod tamen Pontificii intendant sentiantque, sed ita: *fides per charitatem operatur vel efficax est*. Hoc ergo dictum non agere de justificatione, sed de vita justificarum: aliud longe esse fieri & agere, esse & facere: & pueros distinguere verbum activum & passivum; Eccium autem distinctionem rejicere, aut non intelligere. Aliam esse questionem, si queras, quomodo aliquis justificetur coram DEO, aliud, quid agat justificatus, aut omittat? Diversa esse fieri & facere, quemadmodum aliud sit arborem fieri, & fructus ferre. Jam vero questionem in hoc articulo non esse de vita vel operibus, non de facere, sed de fieri, prout verba Pauli habeant (Rom. III. 24.) justificari per fidem. Nec dubitari, quin qui justificatus est, non sine operibus mansurus sit, sicut arbor non sine fructibus. Pontificiorum autem sophisma hoc esse, justificari hominem non solum per fidem, sed etiam per opera, sive per charitatem & gratiam, quam vocant inhaerentem; Hoc tamen falsissimum esse, & si id obtinuerint, habituros omnia, qua volunt, nos nihil. Coram Deo nihil valere quam filium ejus charissimum, Jesum Christum, ad illum ubicunque est, respicere Patrem, in illo complacuisse, hunc totum sanctum & purum esse coram illo: Filium autem non per opera, sed per fidem in corde absque omni opere apprehendi. Charitas, inquit, & opera nec sunt, nec esse possunt filius Dei aut justitia, qua coram Deo pura & sancta sit, ut est filius, itaque per se non consistunt coram Deo, ut justitia pura, qualis est filius: quod vero

justa & sancta vocentur, ex gratia fit, non ex jure: neque illa aequè respicit Deus, ut filium, sed tantum propter filium ea tolerat, & fert illorum impuritatem, immo coronat ea & premiis afficit, sed id omne propter filium, qui in corde habitat per fidem, absque hoc dici debet: non intres in iudicium cum sancto & seruo tuo. Quanquam autem Melanchthon, pro ingenio suo timido & miti, nimium hic adversariis indulset, vel cessit, Lutherus tamen pro eo apud Electorem intercessit, ne durius illi respondeat, futurum alioqui, ut merore conficiatur; reservatam enim esse confessionem Augustanam & firmiter retentam: & in reliquis etiam articulis concordiam sancendam prius esse, antequam hucusque acta valeant.

Tom. VII, Alt. p. 485. a. b. Seckendorf. p. 356. b. 357.

§. CCCLXXXVII.

Ordo & series colloquii actorum porro recensetur.

Sed pergendum jam est ac memorandum, quid post librum Cæsari redditum, sit actum. Melanchthon, quem libenter sequimur hic, refert, per Marchionem Joachimum tentatas esse reliquarum etiam controversiarum compositiones, & post prolixam commemorationem de utilitate pacis & concordiae, de ingentibus malis, quæ civile bellum comitarentur, illud tandem adjectum esse, moliri Imperatorem novam reformationem Ecclesiae, & doctrinam de justitia fidei etiam in cæteras regiones propagaturum: tanta bona impediri, si Evangelici reliquos articulos mordicus retinerent; multosque priore, alios posteriore orationis parte commotos, nonnullos contra sensisse, etsi publica Scholarum Ecclesiarumque excidia essent metuenda, tamen doctrinæ corruptelas vitari, & veritatem omnibus periculis anteferri debere, nec pacem moderatores impetraturos, nisi totum puræ doctrinæ genus abjiciatur ab Evangelicis: nec consensuros domi relictos in pacificationem cum paucorum articulorum querelis conjunctam, quin securas magnas in Ecclesiis nostris discordias. Responsum igitur Marchio-

ni

ni verecunde, differendas de reliquis articulis deliberationes esse, donec à Principibus in utraque parte sententiæ de prioribus articulis dictæ essent. *Cæsarem* nihilominus iussisse in Senatu Principum sententias de libro dici. Tum *Bavariæ Ducem Guilielmum* de scripto recitasse longam criminationem *August. Confessioni* addictorum, librumque à *Cæsare* oblatum prorsus rejecisse, ac censuisse, nullam legum Pontificiarum mitigationem admittendam, & nil concedendum adversariis, quod ab usitatis opinionibus ceremoniisve discrepet. Huic assensisse plerosque *Episcoporum* ab *Eccis* impatiente & moroso, per *Epistolam brevem* (quia tum febre corripiebatur) librum improbante, confirmatos. Moderatiores autem legatos *Coloniensis, Palatini & Marchionis*, suasisse, ut conciliati articuli comprobentur, cæteri ut ad Synodum aliumve conventum rejiciantur; spem enim esse, coalituras Ecclesias, si æquitas adhiberetur. *Nostros* denique non reprehendisse articulos conciliatos, si tamen in iis quædam ambigua explicarentur: ac addidisse de controversiis non diremtis, se judicare à nostris exhibitos veros, & ita moderate scriptos esse, ut sperent, sanis judiciis satisfacturos. Dissidentibus itaque sententiis *Cæsarem*, ne de summa rei ipse statuere videretur, *Cardinalem Contarenum* adhibuisse, ac instituisse apud eum, ut *Ecclesiæ* status in primis reformetur. Hunc autem, ut honesto prætextu certamina finirentur, respondisse scripto, sed non minus, quam vetera olim oracula, quæ *Veneris* verba sunt, ambiguo: se, lecto eo libro, qui *Cæsari* fuit exhibitus, & collocutorum scriptis, & iis, quæ ab utraque parte ad eum adnotata fuissent, cum ipsis Protestantum adversus eum exceptionibus, existimare, quando quidem Protestantes in dogmatis aliquot à communi Ecclesiæ consensu discedant, spes tamen interea sit, futurum Dei ope, ut aliquando idem sentiant cum Ecclesiæ, de cæteris rebus omnibus nihil amplius decernendum, sed ad Pontificem, & sedem Apostolicam actionem omnem

*Contarenus
responsum
ambiguum.*

refe-

referendam. Illum sane per Concilium publicum, brevi convocandum, aut aliam aliquam rationem tempori accommodatam, juxta veritatem Catholicam definiturum. & quod universae Reipublicae Christianae, cum primis autem Germania expediat, sedulo facturum.

Ut tamen videretur reformationis cupidus Cardinalis, Episcopos omnes ad se domum evocet, eosque hortatur, ut scandalum omne caveant, luxum, avaritiam, ambitionem, & quidquid mali exempli sit, fugiant, familiam bene regant, gregem sedulo curent, visitent, fideles pios & doctos ministros ei præficiant, pauperibus & Scholis recte prospiciant. Hanc orationem postea scripto comprehensam, petentibus Episcopis dedit, atque etiam Cæsari & Principibus reliquis. Cæsar igitur omnia hucusque acta & scripta, etiam Legati Pontif. ad Ordines refert, cumque nihil amplius hoc in comitio statui posse de religione videret, eos rogavit, consultumne putent, ut ea, de quibus inter collocutores convenerat, recipiantur, tanquam vere Christiana, usque ad concilium generale, aut alium saltem Imperii conventum, si forte nullum concilium coire queat: in

*Electores & Protestantes
prostant Cæsaris sententiam.*

Electores & Protestantes

quo reliqua etiam accurate discutiantur. Principes *Electores & Protestantes* placere sibi respondent, ut capita conciliata ad concilii tempus recipiantur ab omnibus; majorem enim spem affulgere, ut reliqua etiam facilius concilientur alio tempore, si nunc fieri nequeat. Protestantes hoc saltem addiderunt, se concilio nunquam assensuros, si cognoscendi dijudicandique partes Pontifici deferantur. Ansam quoque arripiunt utrumque *Contareni* scriptum, & responsionem Cæsari datam, & exhortationem Episcopis factam, refellendi, & de injuria sibi facta sævitiaque

Episcopi Pontif. & pauci Principes repugnant.

ejus, ad quam Principes excitaverit, conquerendi. At *Episcopi* cum paucis Pontificis Principibus, *Henrico Brunsvic. & Bavaria Ducibus*, rigorem & zelum cæcum ostensuri respondent, nequaquam consentiri posse in receptionem 4. dogmatum
conci-

conciliatorum, vel in mutationem religionis & rituum antiquorum. Nam ea, quæ conciliata videantur, non adeo magni esse momenti, & catholicos collocutores plus æquo concessisse, unde summi Pontificis & statuum Catholicorum existimatio suspicionibus lædatur. Has ob causas consultissimum videri, ut actio tota religionis ad Concilium generale, nationale, aut alium conventum differatur. *Hinc præfracta, ut Sarpinus scribit, Catholicorum responsioni inde data est occasio, quod crederent propositionem Cesaris Protestantibus esse percommendam, tum quod inter Catholicos Doctores colloquio delectos dissensio aliqua intervenisset;* Eccium haud dubie indigitant, declamatorem & sophistam celebrem. *Contarenius* etiam, cum inaudivisset, se à Cæsare autorem laudatum, quasi dogmatis conciliatis assensum commodasset, tam proprio timore quam Episcoporum impulsu, negat se in colloquio conciliata ad Concilium usque toleranda censuisse, sed semper statuisse affirmat, nil de religione decernendum, sed omnia ad Pontificem referenda esse, qui pro officii sui ratione ab initio sui Pontificatus ad præsens usque tempus fecerit, & facturum se recipiat quæ è salute Ecclesiæ esse videantur. Quod si patienter tulerit toties in Germania verba fieri de rebus religionis, cum magno autoritatis suæ contemtu, id eo factum, quod ex Cæsaris voluntate & promissis intelligeret, id bono Ecclesiæ fieri. Esse nunc à ratione alienissimum, ut Germania cum magna sedis Apostolicæ injuria, id sibi arroget, quod Christianis nationibus omnibus commune est. Nec ultra abutendum Papæ clementia, ut in conventu Ordinum Imperii statuatur, quod cum Papa Ecclesiam universalem tangit; sed librum & omnem colloquii actionem, cum utriusque partis opinionibus Romam mittenda indeque decisionem expectandam esse. Atque hoc scripto declarat, confirmat & omnibus testatum voluit: denique discretis verbis mandatum sibi à Pontifice prodit, ut nullum in Ger-

Contarenius legatus Pontif. ore scriptis.

à Principi-
bus & Pro-
testantibus
refellitur.

mania *Nationale Concilium* habeatur, cum potestas Concilii convocandi soli Papæ data, adeoque in Ordinum decreto verba de *Nationali Concilio* expungi voluit. Principes eod. die respondent, Pontificem posse omnes offensiones & turbas facile tollere, si concilium indicat generale toties promissum, si vero id non faciat quamprimum, Germaniæ statum postulare vel nationale concilium, vel Ordinum Imperii conventum, intercedente Legato Apostolico. Theologi autem Protestantes prolixo scripto *Contareni* litteras rationesque refellunt, affirmantes, (Sarpîi verbis lubens prudensque utror,) *nec majores offensiones, nec ullam omnino seditionem concitari posse, si juxta purum putum Dei verbum religionis controversia componantur, & secundum S. Scripturam indubitosque Ecclesiæ Canones manifesta vitia emendentur. Seculis anterioribus nunquam negatum Conciliis Nationalibus de fide statuere, Salvatore Christo, duobus tribusve solis, suo nomine convocatis, sese adfuturum, recipiente, (Matth. XVIII. 20.) Non deesse Conciliorum magno numero exempla, non Nationalium modo, sed in quibus pauculi aliquot Episcopi, & fidei quæstiones desinierint, & Ecclesiæ mores in melius instituerint, per Syriam, Græciam, Africam, Italiam, Galliam & Hispaniam, erroribus Samosatani, Arii, Donatistarum, Pelagii, & aliorum hæreticorum confutatis, quorum decreta nulla, irrita aut inania, nemo dixerit, nisi qui pietati quoque nuntium remisserit. Sedi quidem Romanæ concedi, ut primum locum teneat, & Episcopo Romano, ut inter Patriarchas prærogativæ autoritate emineat; sed ut Ecclesiæ & Conciliorum sit caput, neminem Patrum prodidisse. Christum solum esse Caput Ecclesiæ, Paulum, Apollo, & Cepham, ejus ministros. Quid autem Roma sit expectandum, tum ex disciplina, qua tot seculis ibi viguit, tum ex remoris, qua legitimi Concilii convocati tam frequentes obijciuntur, plus satis esse perspectum.*
 Caesar,

Cæsar, rebus sic abunde exagitatis, d, XXIX. Julii finem *Decretum à* conventui decretumque in hanc sententiam fecit, ut *omnis Cæsare factum.* colloqui *actio referatur ad concilium generale, aut Germania Nationale, aut Ordinum Imperii conventum:* promittit, se in sua per Italiam profectioe cum Pontifice ea de re acturum, & si nec generale nec provinciale concilium obtineri possit, conventum Imperii intra XVIII. mensem denunciaturum religionis componendæ causa, & daturum operam, ut Papa eo quoque legatum mittat. *Protestantibus* mandat, ne præter conciliata dogmata novi quid admitterent: *Episcopis* autem, ut Ecclesias suas à vitiiis repurgarent. Adhæc vetuit, ne monasteria solo æquarentur, ne bona Ecclesiæ interverterentur, ne ad diversam religionem homines sollicitarentur. Cum vero Protestantes quædam minus probarent, nec iis assensu essent, e nomine *Cæsarem* interpellarunt, & rogarunt, ut explicationem declarationemque uberiolem adderet, in qua acquiescere possint. Ille igitur, ut petentibus satisfaceret, addidit, *in dogmatis* nondum conciliatis nullum se modum ipsis præscribere; Monachorum *cænobia* non diruenda quidem, sed ad piam & Christianam emendationem omnia esse reducenda; Ecclesiasticorum *annuos proventus* non occupandos, sed suos cuique permittendos, non habita diversæ religionis ratione; neminem ad religionem diversam pelliciendum; *recipiendos* tamen, si *qui sponte sua transeant.* *Decretum* quoque *Augustanum*, quantum ad religionem, & quæ pendent à religione, pertinet, eoque suspendit, donec vel Concilio vel conventu res cognoscatur. Hæc summa est actorum in Comitibus Ratisbonensibus, quoad religionis negotium; reliqua enim huc non pertinent. Multa quidem ampliolem expositionem requirerent, si prolixioribus esse liceret, in compendio tamen quædam subjiciemus.

Tom. VII. Alt. p. 715. b. 716. a. Consil. Melancht. ap. Pezel. pag. 449. seq. Sleidan. p. 383. ff. Suav. p. 84. seq.

Kk kk 2

§. CCCLXXXVIII.

*Epicrisis a-
Elorum con-
ventus.
Notatur
scopus & so-
phistice ad-
versariorum.*

In toto hoc conciliationis negotio nihil actum est pro salute Ecclesiæ, nec agi potuit ex scopo & mente Pontificis, ejus Legati & Episcoporum, quibus suprema semper lex esse debebat majestas & autoritas Papæ, ne tantus apex vel minima ex parte tangeretur, ut *Contareni* dicta & scripta ad nauseam usque reperita & inculcata, imo exprobrata nonnulla Cæsari, abunde dilucideque testantur. Vapido sub pectore vulpem gestabat, & silentio ac blandimentis, quibus usus diu est, nihil aliud quærebat, quam ut Protestantes in vetus pistrinum Italianæ servitutis reduceret. Hunc in modum etiam *Granvellanum* Pontifici se purgasse *Pallavicinus* tradidit, quod non illo stylo uti potuerit, qui ei placeret, quia cum brutis ferisque animantibus agendum fuerit in Comitibus, quorum insania indulgeri debeat, ut mansuetiores fierent. Cum autem vulpinando nihil efficerent apud nostros in veritate firmatos, animum lupinum prodiderunt. *Melanchthon* proinde in historia hujus conventus aperte tateatur, eventum satis docuisse, eos, qui sperarunt initio adversarios nostros aliquam moderationem aut emendationem suarum opinionum admissuros, non satis perspexisse eorum voluntates; tentandos enim putasse animos nostros, ut seu inclinatio quadam seu distractio fieret, posteaquam suum odium declararent. Alios autem meliores, qui serio moderationem aliquam expeterent, cum vidiissent, nec animorum concordiam vere coituram esse, nec semina odiorum tolli, etsi recepta essent moderationes, minus succensusse nostris, quod repugnassent. Memorat insuper, se accepisse, quod nonnemo, cum frustra tentatas conciliationes perspiceret, dixerit, Deum forte hos conatus impedivisse, qui arcano & mirabili consilio regat Ecclesiam, quod iis receptis mala quadam confirmata fuissent, eorumque stabilita potentia, qui errores præcipue defendant. Hoc judicium prudentissimum esse & ad divinam gubernationem respici cum-
primis

primis in hac causa debere, arbitror, contra quam nulla carnis prudentia, nullaque vis quidquam valet. Interim *sophistice* adversariorum occultari non potuit, & *Melanchthon* in Comitiis somnium de *hyena fallaci* versibus exposuit, & *sententiam* de ea Doctoribus Evangelicis proposuit: porro de odio *sophisticis* orationem scripsit lectu dignissimam, ac tandem cum delatus apud Cæsarem esset, ac si nimis rigide contradiceret Pontificiis, libello supplice ei se purgavit, & testatus est, se à *fucosis conciliationibus* abhorruisse semper, & dimitti se etiam atque etiam petit, cum sine offensione conscientiae assentiri iis non possit, quæ in libro *flexiloqua* sunt, & ubi *recepti abusus excusantur*, novisque coloribus pinguntur, & tamen semina retinentur.

Electores Saxonie & *Lutherus* impias istas Pontificiorum fraudes ab initio statim, ut indicavimus paulo ante, animadverterunt, ac ille ad Legatos, hic ad Theologos scripserunt sæpius, nullo modo cedendum in capitibus religionis, nec litem de verbis aut *rebus neutralibus* esse, in illis autem sine offensa Dei conciliationem fieri non posse, ac fore, ut quælibet pars dicat, sub verborum fuce suam latere sententiam & admissam esse, oppositam autem cecidisse; præferendam discordiam concordiae absque Deo, *nec commissuram novam veteri vestimento immittendam esse*, Luc. V. 36. aut tractandam tantam causam ac res Cæsaris, Turcæ & Principum, quibus varia media & cautiones solertia hominum queri possent, dari aliquid, aut remitti: magis hic cavendos falsos fratres, quam hostes apertos: de bonis Ecclesiasticis tum agi posse, si prius Pontificii suas blasphemias & superstitiones corrigant, & Evangelium prædicent; hoc præstito bonorum satis affuturum; aliud autem ab iis non agi, quam ut ad veteres errores reducant Evangelicos. Præterea *Electores* non tantum *Melanchthonem* redarguit, quod in artic. de Justificatione aliis usus sit verbis quam in

Aug. Confess. positus, eumque hortatus est, ne alia profiteatur, quam quæ *Lutherus* & ipse hucusque docuerint, & ne cederet, ubi sine offensa Dei & conscientiæ cedi non possit, aut alia profiteatur, quam quæ *Lutherus* & ipse hucusque docuerint, neve quidquam pro concluso & transacto habeatur, nisi ab ordinibus utrinque prius examinetur, & de eo conveniatur, ac propterea protestationem interponi voluit, contra formulam de justificatione, ne agnita receptaque esse videatur. Cumque à Legatis intelligeret, *Cæsarem optima intentione in causa religionis esse, & reformationem suscepturum, velit aut nolit Papa &c.* respondit, timere se, ne, quod minis Augustæ fieri non potuerit, nunc blanditiis obtineatur, & fraudem satis vel ex hoc conspici, quod collocutores Evangelici deterreantur à communicatione cum sociis, cum Catholici nihil agant sine præscitu & consensu legati Pontificii. Optat igitur speratque finem colloqui, cum nulla emendatio vel resipiscentia adversæ partis appareat, omniaque astute & captiose agantur. Unde exitum talem conjicit, qui etiam paulo post secutus est, ut omnia ad Papam & concilium futurum rejiciantur. Tandem statuit constanter, eum, qui conciliationem quarit, id agere debere, ut cum Deo & verbo ejus concilietur, doctrinamque Evangelicam recipiat. *Abusum designationem*, quam deinceps Legati *Granvellanum* postulasse significabant, non nisi dolose fieri dixit, indicatos Wormatiæ abusus plus quam quadringentos, maximos autem ipsi doctrinæ inhærere, & Pontificios fucatam duntaxat emendationem agitare, surculos aliquot ex arbore mala rescindere, ut tanto firmior maneret tota.

*Legatio ad
Luther. &
Lutheri re-
sponso.*

Cum interea increbuisse, *Lutherum* ad pacem concordiamque inclinare, captum est ab Electore Brandenburgico & cognato ejus Marchione Georgio, præscitu Cæsaris, consilium de legatione ad *Lutherum* mittenda, quam suscepit *Johannes Princeps Anhaltinus*, cui jungebantur *Matthias à Schulenburg*,
Consi-

Consiliarius, & *Aleſius Scotus*, Theologus. Hi cum d. X. Junii ad
Lutherum venissent, eique prolixè retulissent, quo in loco res es-
 sent & quam libenter Cæsar studium concordie promotum eu-
 peret, ab eo petunt, ut, cum ex gratia & illuminatione Dei pri-
 mus doctrinam in lucem produxerit, *consilia & media*, quibus
 articuli adhuc controversi præscindi aut componi possint, qua-
 tenus liceat salvo verbo Dei & sine & scandalo, suppeditet, quo
 Evangelium, & imprimis articulus de Justificatione, latissime
 propageretur; unde sperari possit, cæteros abusus ruituros; con-
 cordia autem non constituta, multa pericula esse metuenda; si
 omnia componi nequeant, *tolerantia* tamen locum procuran-
 dum esse. Ad hæc *Lutherus* respondit, se in Cæsare & Principi-
 bus laudare studium in procuranda religionis concordia & pa-
 ce publica, ac successum à Deo precari, suam quoque operam
 eo libenter conferre velle; non tamen perspicere, quæ concor-
 dia sanciri inter partes possit, nisi adversarii sincere agant, &
 concordare cum Deo ac veritate velint. Eos autem illudere
 Cæsari, si enim in quatuor articulis cesserint, in reliquis decem
 quoque non posse non cedere, quippe qui ex prioribus istis, &
 præsertim art. de Justificatione, decidantur & damnentur. At
 cum subsistant & concedere plura nolint, satis hinc colligi, quod
 quatuor priores quoque servare serio nolint. Deinde in ipso ar-
 ticulo de Justificatione se improbare, quod liberum arbitrium sit
 immixtum. Consilium autem, quod à se peteretur, dare se non
 posse, cum non nisi articulos à nostris conscriptos viderit. Ad
tolerantiam sufficientem causam se non videre, cum non depre-
 hendatur infirmitas, neque in Magistratibus, neque in Clero seu
 ministerio Ecclesiæ, sed potius manifesta sævitia & tyrannis, in
 qua illi sint perseveraturi, si articulos controversos retineant, &
 populo vi obrusuri, meliora licet edocto. Tolerari posse con-
 cedit inter adversarios, qui ex infirmitate verbum Dei nondum
 audiverint, una communionis specie contenti sint, & ad enu-
 meratio-

meratio-

merationem delictorum in confessione obstrictos se esse credant; sed hos infirmos non futuros esse robustos, nisi quatuor illi articuli, de quibus conventum esse dicebatur, publice proponantur, maxime ille, qui agit de justificatione. Si Cæsar edixerit, ut hi libere & pure prædicentur, & pro veris & Christianis agnoscantur, tunc reliquos decem venena sua esse amissuros, & docentes atque audientes, quotidiana purorum illorum articulorum tractatione, ad deserendos decem reliquos ultro perventuros esse; at si articuli puri non proponantur ab idoneis, etiam in cœtu Pontificio doctoribus, fore, ut tolerantia in perpetuam duritiem migret, & infirmi inter eos nunquam firmentur, juxta illud Pauli Rom. X. 14. *seq. quomodo audient sine prædicante &c.* sicque nunquam securam esse concordiam. Permissa autem 4. articulorum prædicatione, Cæsarem commoda appendice de reliquis decem declarare posse, quod licet ii jam non concordari potuerint, sperandum tamen, si quatuor priores admittantur & pure doceantur, exinde quoque conciliatio cæterorum sponte sequatur. At si id non obtineatur, manifestum esse, quod adversarii concordiam serio non cupiant.

Tom. VII. Alt. pag. 481. b. -- 484. b. Seckendorf. p. 360 -- 363.

§. CCCLXXXIX.

*de declarat.
decreti Cæsarei.*

De Declaratione Decreti à Cæsare facti, cum ea brevius obscuriusque ex *Sleidano* sit adducta, pauca explicationis uberioris gratia è *Seckendorffio* addemus; quia non tantum *Maimburgius* sed alii quoque parafiti Papæ vehementer sugillant. I. Quod in decreto præcipiebatur Evangelicis, ut *articulos concordatos* servarent, id intelligi voluit Cæsar *secundum expositionem Theologorum Augustana Confess.* Sic autem obviam itum fuit cavillo in articulo de Justificatione aliisque, in quibus recessisse à sua doctrina videri potuissent Evangelici. II. Ubi *destructio & abolitio monasteriorum* in posterum prohibetur, addit Cæsar, *non prohiberi Principes & Magistratus à Christiana illorum reforma-*

forma.

formatione. III. Quod statutum erat de redivibus monasteriorum, ad locum, ubi sita sunt, ex aliis provinciis deferendis, nec inhibendis, id extenditur etiam ad monasteria in territoriis Evangelicorum, & ut ex redivibus ante omnia ministrorum Ecclesia & Scholarum salaria constituerentur. IV. Quod vetitum erat, ne Protestantes aliorum subditos ad suam religionem permoverent, id de dolosa machinatione (abpractieirn) vel protectione aperta explicabatur, non vero de receptione eorum, qui sponte religionem Evangelicam susciperent. V. Decretum Augustanum Anno 1535. expresse suspendit Cæsar, & Camera judices prohibet, ne secundum illud pronuncient, sed ut iurati decretum horum Comitiorum, & hanc ejus declarationem, sequerentur: concessit etiam Protestantibus, ut viros sua religioni addictos iudicio illi Assessores darent. V. Nominatim cavet Goslariensibus de suspitione proscriptionis, contra illos Spiræ pronunciatæ. VII. Verba decreti Comitialis, quibus Augustanus Recessus reservabatur, ita interpretatur Imperator, ut ad causas religionis pertinere non debeat. Fatetur denique & testatur, Evangelicos non aliis, quam his conditionibus, decretis Comitiorum assensisse.

Maimburgius scribit Carolum V. aliquid hic parum se dignum egisse, per quod idem illud Protestantibus præstiterit, ac si edictum plane isti, quod fecerat, contrarium emisisset. Dedit enim, inquit, iis separatim litteras patentes bene formatas, quibus libertatem credendi & publice profitendi, qua de omnibus articulis propositis ipsis placerent, indulgebat, & in eorum favorem interpretabatur, quicquid contra eos in edicto decrevisse videbatur. Permisit etiam, ut in communionem suam reciperent, quotquot eam desiderarent. Suspendit edictum Augustanum &c. Hæc terribiles sequelas secum ferebant, imprimis ruinam monasteriorum & quorundam ex Clero, qui in Protestantium ditionibus beneficia quadam adhuc possidebant. Laudanda

à Maimburgio
sugillatione
vindictatur.

¶ Raynaldi.

hic potius quam fugillanda est Cæsaris benignitas, quod libertatem credendi indulserit, cum religio cogi nolit, nec debeat. Neque tamen quicquid placebat, sed verbo Dei & Aug. Confessione ex ea desumptæ, congruum erat, Protestantibus concedebat; nec hi aliam libertatem petebant. Non poterat non in eorum favorem interpretari Cæsar, quicquid antea contra eos in maximum præjudicium, suafu & impulsu Legati Pontificii & Episcoporum decreverat, postquam solidis rationibus Protestantes gravari se demonstraverant. *Raynaldus* ex archivis Vaticanis durius adhuc in optimum Cæsarem invehitur, quod ad *Lutheranos inclinaverit*, neque tamen eorum benevolentiam conciliare sibi potuerit: & quod *vitia Catholicæ Ecclesiæ* ex naturæ humanæ corruptione invec̃ta, *perstrinxerit*, *Lutheranorum horrenda scelera silentio presserit*: quodque spem sceleratam de *Concilio Nationali* illis injecerit, in quo deleta foret per Germaniam religio Catholica. *Quod Cæsar ad Lutheranos inclinaverit* tum, e quidem satis certo indicio haut constat. Quod vero dura remedia, à Legato Pontificio & Ducibus Bavariz suggesta, de opprimendis Lutheranis, non arripuerit, in eo humanitatem & pietatem suam adeoque animum à tyrannide Papali alienum declaravit. Abusus Cleri satis manifesti & graves fuerunt, ut merito eos Cæsar perstrinxerit, & ipse Legatus Pontificius simulatam propterea reformationem susceperit. Quænam horrenda Lutheranorum scelera sint à *Carolo* suppressa, nominare debuisset *Raynaldus*; quod dum non fecit, nec facere potuit, nugator & calumniator est impudens. *Seckendorff. pag. 366 -- 369.*

§. CCCXC.

Admiranda providentia divina.

Nos, quod præcipuum est, admiramur merito & deprecamur divinam bonitatem, & providentiam singularem, qua in bonum direxit, quod male consultaverant adversarii; habet enim Deus in sua manu Regum corda, eaque flectit, quo

quo vult, ut aliquando vel infcii, vel inviti, vel convicti Ecclesie afflictæ suppetias ferant, cujus nutritii esse debent. Bene fecit *Carolus*, quod magis respexerit summum & unum Pontificem in cœlis, quam ejus vicarium imaginarium in terris. Neque tam sacro capiti, Cæsari, id tribuere sustinemus, quod *Maimburgius* fecit, quando scribit, Cæsarem credidisse, religionem sibi licere ad utilitatem suam pro rerum statu accommodare, ne quid esset, quod impedire posset expeditionem, quam sibi contra Turcos & Regem Christianissimum proposuerit. Quanquam enim Deus cor introspiciat & penitus perspectum habeat, nec liquido nobis constet, quid Cæsar præcipue respexerit, tamen non possumus secius aliquid de eo suspicari, nisi certa adsint indicia. A prudentiæ sane regulis non recessit, si in causâ religionis circumspicte & pro conscientia egit, nec ex Cleri suggestione ultima quæque improvide tentavit. Et quis ei vitio vertet, quod salva liberaque religione & concessa libertate, conservationem pacis, defensionem contra Turcas, & securitatem tranquillitatemque Imperii in consilio habuerit? fuit enim Imperator, cujus est talia omni studio providere atque promoveri. Temerarium denique (ut de aliis nil dicamus, à *Seckendorffio* adductis & refutatis) judicamus, cladem à *Carolo* in Africa ora, & à *Ferdinando* in Hungaria, tempestatis & Turcarum impetu acceptam, ad divinam referre ultionem, propterea quod pacem Evangelicis indulserit, nec Pontifici, exitium eorum flagrantissime cupienti, cæco obsequio obtemperaverit. *Quid?* si dicamus, (dicit *Seckendorffius*) futurum fuisse, ut in majora mala uterque incideret, si sævis Pontificis conciliis locum dedissent. Plura vid. apud *Seckendorff.* discussa.

Seckendorff. pag. 370.

§. CCCXCI.

Poterant igitur Dei cum primis, deinde & Cæsaris à Deo *Incrementa*
ad pacem inclinati, beneficio, Evangelici quietam tranquillam *reformatio-*
nis.
que

Ll 11 2

que

que vitam ducere in omni pietate & honestate, licet, ut fieri solet, haud defuerint molestiæ, quas adversarii passim creabant, ut deinceps memorabimus. Immo, illo ipso tempore, quo Comititia Ratisbonæ habebantur, in civitatibus quibusdam Suevoiæ, & à Comitibus nonnullis ad Rhenum, receptum esse Evangelium, *Spalatinus* observavit. Hoc anno quoque Halis Saxon. incrementa cœpit egregia purior doctrina, quando cives ibidem non ante conquieverunt, quam nacti essent concionatorem Evangelicum: cumque *D. Jo. Pseffingerum*, quem expetebant, impediente Cardinalis locum tenente, impetrare Lipsia non possent, Wittenberga accersiverunt *D. Iustum Jonam*, concedente Electore ad tempus, qui die viridium primam ibi habuit concionem, & S. Cœnam sub utraque distribuit specie. Ex regionibus exteris etiam majorum progressuum spes affulgebat. Rumor increbuerat, Regem *Gustavum* ad partes Burgundicas propendere; *Lutherus* igitur ausus fuit litteras ad Regem dare, & per aliquem ex ipsius aula, *Balth. Funccium*, coram eum ad constantiam in Evangelio & societatem cum Electore ac fœderatis, hortari; eique clementer respondit Rex, gratum sibi futurum, si illius opera fieri aliquid posset apud fœderatos, quod ad honorem Dei & conservandum in regno suo verbum ejus conduceret, sibi que & regiis liberis ac hæredibus utile esset. *Seckendorffius* ex Epist. Lutheri nondum edita, refert, ipsum ad *Lauterbach*. scripsisse, se de *Coloniensis Episcopatus reformatione*, gaudere, & Deum laudare, qui Evangelium suum glorificet.

Seckendorff. pag. 371. b. seqq. 381. b.

§. CCCXCII.

*Impedimen-
ta. 1. furor
Henrici Du-
cis Brunsvic.*

Impedimenta reformationis sequentia notari possunt. Turbator & persecutor veritatis maximus fuit *Henricus Dux Brunsvicensis*. Excitata enim variis in locis per Saxoniam & finitimas oras, ditionum fere Protestantium, incendia, malefici capti & examinati, præfectorum & familiarium *Henrici* jussu se fecisse, ad extremum usque spiritum testificabantur. Nec
cessa-

cessabat ejus furor, licet mandatum Cæsaris intercederet, sed intolerabilior in dies ardebat, & Goslariensi ac Brunsvicensi civitati dira quæque denunciavit, Saxonem quoque adortus & Landgravium publicatis litteris, adeo ut hic illum stimularit ad arma contra incendiarium capienda, cum aliter securitati sociarum civitatum omniumque Evangelicorum prospici posse negaret. *Lutherus* inde occasionem nactus, ac eò præcipue motus, quod *Henricus* in *Replica* contra Electorem superiore anno vulgata, scripisset, *Lutherum* solere Herum suum nominare *Hans Worst* (quod Germanis lurconem, scurram & ventrem ineptum designat) & plurimis in locis vehementissime doctrinam Evangelicam insectatus esset, ac ita criminetur, calumniatur, clamet & spumet, velut legione diabolorum obsessus, *invektivam acerbam* adversus Ducem edidit, iisdem verbis inscriptam, *wieder Hans Worst* / qua eum puditissimi mendacii arguit, & omnes contumelias ab Henrico in Electorem prolatas, dum hunc hæreticum, apostatam, rebellem, monstrum, Cainum, Nabalem vocavit, respuit & contemnit, stylumque potissimum stringit contra accusationem hæreseos, ac ab adversariis postulat, ut vel unicum fundamentum proferant, quo evincant se esse Ecclesiam; de nostra autem Ecclesia id probat inde, quod verum teneat Baptismum, integrum Sacramentum Cœnæ, verum clavium usum, purum Dei verbum &c. quæ omnia Pontificia Ecclesia non habeat, & defecerit à puritate, ac Antichristiana sit. Plura *Sleidanus* & *Seckendorfius* ex hoc Lutheri libro retulerunt, quæ ex illis petere & legere licebit, quibus non vacat ipsum *Lutherum* evolvere.

Inter impedimenta quoque haud abs re refero reformationis, *Ferdinandi Regis* responsum negativum, datum in conventu Ordinum Pragæ d. XIII. Decembris habito, proceribus Austriacis, decem urbium, inter quas & Vienna erat, libello supplice liberum religionis petentibus purioris exercitium, ut

2. responsum
negativum
Ferdinandi
datum or-
din. Austr.

Evangelium doceatur rite, imprimis autem illud præcipuum fidei caput de *Justificatione* seu remissione peccatorum propter solum Christum, & juxta decretum Imperii nuper factum, ab Episcopis abusus tollantur. Dicebat quidem ad hæc atque talia Rex, dolete sibi vehementer quas recitaverint calamitates, seque non semel mandasse ministris Ecclesiæ, ut incumberent in emendationem, nec unquam reprobasse, quo minus verbum Dei recte doceretur, juxta traditionem Apostolorum, & interpretum ab Ecclesia receptorum: nunc etiam Ecclesiasticis velle se mandare denuo, ut sublatis vitiis Ecclesias reformat. Vicissim tamen de illis sibi polliceri, ut conciliationem publicam obedienter expectent, nec aliquid mutent aut innovent interea; neque decretum Ratisbonense ad se pertinere putent, cujus hæc tantum sententia sit, ut Catholici in veteri, & Protestantes in ea religione, quam tum profitebantur, maneat, usque ad concilium vel Imperii conventum congregandum. Sibi igitur non licere, ut suis quicquam agere contra permittat. Nec aliud acceperunt ordines responsum, cum denuo in eandem sententiam supplicarent.

Tom. VII. Alt. p. 443. b. -- 471. a. p. 716. a. Sleidan. p. 375. ff. p. 392. ff.

§. CCCXGIII.

*Persecutio
Protestan-
tium in Gal-
lia.*

Inter obstacula denique reformationis numerari potest persecutio gravissima in Gallia exorta, quam ut mitigarent Nostri, litteras ad Regem d. XXIII. Martii, Melanchthonis stylo scriptas, Ratisbona miserunt, quibus rogabant, ut quibusdam modestis & doctis viris, ob taxatos veteres abusus, captis, per provinciam parcat, eosque incolumes dimittat. Et quia nonnulli ex captivis recipiebantur in gratiam, si doctrinam puriorem abjurarent, hanc eis conditionem remitti petunt, & quam grave sit, vulnerare conscientiam, ostendunt: ac maxime optant, sibi concedi aliquando in Synodo, vel aliis honestis conventibus coram Regia Celsitudine libertatem exponendi sua-

suarum Ecclesiarum doctrinam. Quod si fieret, non dubitant Regis iudicium profuturum universæ Ecclesiæ, & futurum, ut periculo ipsi liberarentur. Huic persecutioni causam dedit, in *Merindolanos*, qui pars erant *Valdensium*, vetusta consuetudine Pontificem Rom. non agnoscentium, & puriorem doctrinam semper sectantium, ejusque ex quo *Lutherus* reformationem cœpit, ampliorem cognitionem sibi avide comparantium, lata sententia atrox & crudelis, ut opprimerentur omnes promiscue, ut dirutis ædificiis vicus *Merindolum* solo æquaretur, arbores etiam refecarentur, & locus omnino desertus redderetur. Hujus tamen decreti executio plena in aliud tempus dilata fuit, & hujus anni persecutio ludus est præ illa, quæ quarto post anno secuta fuit. An intercessio illa, nomine Principum, Legatorum, Statuum, & Ordinum religionis Christianæ Aug. Confessionis, à *Melanchthone* scripta, aliquid effecerit, parum mihi constat. Aderat etiam Legatus Gallicus *Ratisbonæ*; sed cum eo communi fœderatorum nomine parum agi poterat, Landgravio diligenter cavente, ne ullam Cæsaris offensam incurreret. Significarunt id Legati Saxonici Gallo, qui hoc se non moleste ferre simulavit; rogavit tamen, ut Principes cum Rege suo veterem colerent amicitiam, & in pace, quam cum Cæsare tractarent, Regem suum comprehenderent.

Tom. VII. Alt. p. 715. b. Sleidan. p. 381. & 463. Consil. Melanchth. ap. Pezel. p. 476. Seckendorf. pag. 366. b.

§. CCCXCIV.

Scripta *Lutheri* Latina, per quæ Ecclesiam ædificavit & Scripta Latinam puritatem doctrinæ propagavit, sequentia occurrunt: primum est *Enarratio in Psalmum XC.* Anno 1534. publice prælecta & ab-
soluta, sed hoc demum anno edita: Germanica autem versio, per *Jo. Spangenbergium* adornata, inter scripta sequentis anni
relata

relata est. Summam refert *Seckendorff*, & nos subinde quædam inde adduximus.

Ad exegetica scripta pertinent *commentarii in Prophetas Nahum, Sophoniam, & Malachiam*, qui Latine extant Tom. IV. Lat. Wittenberg. sed in editione Jenensi omitti sunt, procul dubio ideo, quod dubitatum esset, an revisi agnitique à *Luthero* fuerint; interim, quia, teste *Seckendorffio*, spiritum & eruditionem *Lutheri* ostendunt, hic suum locum merito habent. Multa hic reperiuntur de interitu hostium Ecclesiæ, de malis moribus Evangelicorum, de sacrificio Missæ fictitio Pontificiorum ad Malach. I. II. III. 3. &c.

Supputationem annorum Mundi hoc anno paravit, ad sui unius usum, non ut esset *Chronicon*, vel *Historicon*, sed ut ob oculos positam haberet veluti tabulam, ad inspicienda tempora & annos historiarum sacrarum, si quando recolere veller quot annis Patriarchæ, Judices, Reges, Duces, vixissent, vel regnassent, aut quanto intervallo temporis sibi successissent.

Inter Epistolas Latinas eminent illa, quam *Domin.* post *Epiphan.* sive d. IX. Januar. ad *Fridericum Myconium*, Superintendentem *Gothanum*, graviter tunc, non autem lethaliter, sed, ut ipse *Myconius* *Megalandro* scribebat, vitaliter (zum *Leben*) phitisi laborantem, dedit: quæ plena est vivi adversus mortem solatii summæque fiduciæ & dilectionis erga amicum, quæ inter alia hinc elucet, quando ait, se orare *Dominum Jesum*, ne hoc sibi addi sinat malum, ut se superstite, videat aut *Myconium*, aut aliquot amicorum ad quietem perumpere, qui se foris relictum sinant inter dæmones, ut plus ærumnarum sustineat, quarum satis per 20. annos pertulerit, ac de mundo bene meruerit, ut omnes morte præoccuparet. Unde, inquit, peto obsecroque, ut me *Deus morbo visitet pro te*, & me deponere jubeat tabernaculum hoc meum inutile emeritum & exhaustum. Quare te hortor ac rogo serio, ut junctis mecum precibus

bus Deum roges, quo te diutius in vita conservet, ad Ecclesia sua ministerium & adificationem, diaboli autem contemptum. Cernis enim, & Christus, vita nostra, etiam videt, quibus viris donisque Ecclesia ejus passim indigeant. Literas ita finit: vale, mi Frederice, & Dominus non sinat me audire tuum transitum, me vivo; sed te superstitem faciat mihi: hoc peto, hoc volo, & fiat mea voluntas. Amen. Quia hac voluntas gloriam nominis Dei, certe non meam voluptatem, nec gloriam, quarit. Iterum vale in Domino. Pro te oramus ex animo, tuaque agritudo nos non parum commovet ac perturbat. Cum has litteras Myconius legeret, videbatur Christi vocem audire: Lazare egredere, & reconvaluit ex desperato morbo, quod ipse postea duabus epistolis ad Georg. Rorarium tunc Diaconum Wittenbergensem, prolixè testatus est. Exaudivit etiam Deus Lutheri preces in eo, quod ipse prior abierit, quam Myconius; nam ille A. 1546. id. 18. Februarii, hic autem d. 7. Aprilis ejusdem anni obiit.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 521 -- 538. fol. 689. b. -- 749. Tom. IV. Wittenb. Lat. fol. 615. ff. Tom. VII. Alt. p. 429 490 -- 714. & 716.

§. CCCXCV.

Ex Germanicis Nostri scriptis jam nominavimus illud *Germanica*: contra Ducem Brunsvic. *Henricum* editum.

D. XXI. & XXII. binas habuit conciones *Dessavia*, cum *Johannis*, Principis Anhaltini, filius, *Bernhardus*, presentibus fratre *Johannis*, & Episcopo Brandenburgensi baptizaretur. Ex Matth. III. disseruit prolixè de baptismo *Johannis* & *Christi*, & de Sacramenti hujus dignitate: nec tacuit abusus, qui in Papatu irrepsert.

Edidit quoque hoc anno *Adhortationem ad preces contra Turcas*; in qua ante omnia de peccatis serio omnes commonfacit, eaque in duo genera, pro diversitate factionum, in quas scissa erat Germania, distribuit. Primo increpat *Pontificios*, quod exorta Evangelii luce, quæ errores ac superstitiones de-

Mm mm

textit.

textit, & viam ostendit Deo cultum gratum exhibendi, nihilominus contra verbum sæviant, ac superstitiones suas scientes volentesque defendant, igne, ferro & aqua, adeo ut mirum non esset, si Deus non Turcos solum sed & Diabolos in Germaniam immitteret. Neque enim eum diutius ferre posse hanc blasphemiam & tyrannidem. Deinde & *Evangelicos* redarguit, qui impleant dictum Rom. II. 24. *propter vos nomen Dei blasphematur in gentibus.* Paucis enim admodum exceptis, reliquum gregem tam petulantem & perversum esse, sicque in diem vivere, ac si Deus verbum suum ideo nobis dederit, & à Papatu ejusque captivitate diabolica nos liberaverit, ut libere liceat agere & omittere, quicquid libet; sicque inserviat verbum nobis non ad Dei honorem, nostramque salutem, sed ad voluptatem. Abusos quippe esse libertate Evangelica ad licentiam *Anabaptistas, Zwinglianos, & similes*: deinde prodiiisse idolum ingens *Mammon*, & occupasse non solum rusticos & cives, verum etiam Principes ac nobiles: servos & ancillas infideles, auditores ingratos erga pastores, opifices fallaces & fraudulentos, jura corrupta, & Germaniam ad judicium maturam esse, utpote repletam omnibus peccatis; adeo ut vere dixerit & sæpe prædixerit, aut Turcos nos aut Germanos semetipsos bello intestino consumpturos. Malle se quidem mendacem vatem esse, sed certo scire, Deum puniturum tanta scelera, ut veterem mundum puniverit Gen. VI. 12. (eandem enim corruptionem & violentiam grassari in orbe) nisi sine mora penitentiam egerint peccatores, ad quam cunctos hortatur, Pontificios & Evangelicos, ut & ad preces; *fidelium*, inquit, *fides & oratio non frustra erunt*, secundum Christi promissionem Luc. XVIII. 7. ff. *Qui est & manet Schebblimini perficiet, ut ab initio hucusque, in secula seculorum, Amen.*

Epistola.

E litteris Germanicis, jam memoravimus præcipuas, quales sunt illæ tres, quas de Ratisbonensi colloquio Noster ad Electo-

Electorem Saxoniae dedit. His addi debent litterae de *Trans-*
substantiatione ad personam illustris dignitatis, (*eine Person hos-*
heo Standes! *Wolfgangus* viderur innui, Princeps Anhaltinus)
 & fragmentum de eodem argumento, rejectum ad appendi-
 cem Tom. VIII. Altenburg. in quibus erudite & acriter agit de
 origine hujus vocis & opinionis, fateturque, se dogma hoc à
 Wiclefo olim impugnatum, intactum reliquisse; cum vero
 jam (in colloquio Ratisbonensi) pro articulo fidei venditetur,
 nullo modo ferendum esse, sicut nec circumgestationem, nec
 reservationem in ciborio: elevationem liberam habendam,
 adeoque vel continuari, vel omitti posse; ceremonias enim
 nobis subjectas esse, non vero nos ceremoniis. Extat & alia E-
 pistola ibidem ad eundem Principem *Wolfgangum*, quem Saxo
 legatum miserat ad dicta Comitiam, d. VIII. Martii scripta, qua
 preces, quas Princeps pererat, ei pollicetur, ac animum addit,
 quod causa Dei sit, qui nihil amittere possit: precaturque, ut
 sentiat Princeps, se Dei legatum esse.

Tom. VII. Alt. p. 473--488. Tom. VIII. Alt. pag. 995. seq. Conf. Se-
ckendorf. pag. 379. seq.

§. CCCXCVI.

Cæsar *Carolus*, accepta per Ungariam clade, conventum *Anno 1542.*
 Imperii Ordinum *Spiræ* indicit d. XIV. Januarii, ut cum de au. *Conventus*
 xiliis contra Turcas, tum de componendis in religione dissidiis *ordinum*
 deliberaretur. Et quia ipse interesse Comitibus non poterat, *Spiræ habi-*
tus.
Ferdinandum fratrem suo loco præsidere jubet, eique *Hugonem*
Comitem Montfortium, & *Joannem Navium*, qui *Messantii* cogno-
 mentum à ditione vel prædio adsciverat, attribuit. Cum con-
 venissent Elector *Brandenburgicus* & *Palatinus*, *Albertus Meck-*
lenburgicus, & *Ernestus Badensis*, Principes, *Moguntinus*, *Wor-*
matiensis, *Spirensis*, *Constantiensis* & *Hildeslensis*, Episcopi, re-
 liquorumque legati, d. IX. Febr. *Ferdinandus* utramque indicti
 Concilii causam proponit. Aderant quoque Regis Galliarum *Legati Regis*
 M m m 2 *gati, Gallia,*

gati, *Franciscus Oliverius*, & *Alenconius* Cancellarius; quorum ille eruditam & facundam orationem habuit, qua quidem bellum contra Turcam non dissuasit profusus, licet arduum & difficile fore monstraverit, ei eripere rursus Budam & Pestum, nuperrime ab eo occupata loca, & rebus omnibus munita; sed ante omnia eo incumbendum esse suavit, ut civiles in Germania similitates atque dissidia in religione prius componantur, quemadmodum Ratisbonæ cœptum conventumque sit de præcipuis capitibus, de Justificatione, de fide & operibus; sequendam igitur esse hanc doctrinam, & amice vivendum: omnes symbolum Apostolicum & Nicenum profiteri, ideoque non debere esse locum dissensionibus, & communis libertatis vindicandæ causâ, concordia rationes ineundas esse. Sed, quia Gallus non obscure bellum adversus Cæsarem moliebatur, nihil obtinere ejus oratores, eumque animadverterent Ordines in bellum Turcicum inclinare, ante finem Comitiorum discesserunt clam, irati offensique, maxime *Moguntini Cancellarii* importunitate, qui iussus legatos rogare, ut ad pacem servandam Regem permoverent, minas addidit. Ordines deinceps legatis per Epistolam respondent, & Regi etiam scribunt, in quibus dolent, quod legati, non expectato responso, discessissent. Iidem Legati Gallici Electoris Saxon. Legatis litteras quoque à Rege exhibuerunt, interque eos *Cruseus* (de Croix) Reginae Navarreae Cancellarius & Evangelicæ doctrinae favens, dicebat, cessare nunc persecutiones in Gallia, & multa de Regis erga Electorem sociosque benevolentia jactitabat. Sed Saxonici Legati magnificis promissis inescari se haud sunt passi.

& Pontifici
cid

Pontifex Rom. etiam Legatum ad hunc conventum misit *Johannem Moronum*, tum Mutinensem Episcopum, & paulo post Cardinalem, cui in mandatis dedit, ut formulam de reformatione Cleri Germanici, à *Contareno* Ratisbonæ nuper propositam, in medium quidem proferret, sed ita, ut adjutor potius,

potius,

potius, quam exactor disciplinæ neglectæ, Pontifex videretur. De Concilio eandem adhuc sententiam fovere Pontificem, adiciebat, simulabatque, eum ipsum illi interesse discupere; sed ut in Germania cogatur, nec ipsius artem ferre, nec viæ longinquitatem. Opportunas igitur videri Mantuam, Ferrariam, Placentiam, aut Bononiam; ac si hæc urbes minus placeant, non illum recusare Tridentum, ad Germaniæ fines situm. Principes Pontificii scripto respondent, se gratias Papæ agere pro tanto studio, & rogarunt, ut vel Ratisbonæ, vel Colonia Concilium instituat, vel si id fieri nequeat, Tridentum placere sibi affirmant. At Protestantes, neque Papæ concilium neque locum probant. Elector enim Saxoniæ legatis suis prohibuit, ne Pontifici ejusque Legato ullum obsequium honoremve exhiberent, neque Sanctitatis titulum ei deferrent, reo quippe apostasiæ & idololatriæ, unde rei, non judicis partes sumere sibi possit, sed Cæsari jus convocandi Concil. competere. Abstineret etiam jubebat suos ab omni tractatione de concilianda religione. Quare factum est, ut nihil ultra in hoc conventu de concilio actum decretumve sit. Pontifex nihilominus Bullam Indictionis d. XXII. Maji emittit, qua significat, se, cum valde cuperet Christianæ Reipubl. malis mederi, & in convocando concilio ejusque loco Germanicæ nationis incommodis consulere, Tridentum civitatem, locum liberum, commodum, & omnibus nationibus opportunum, ad concilium Oecumenicum, venturis Calendis Novembris incipiendum, prosequendum, perficiendumque elegisse, & omnes Patriarchas, Episcopos, Archiepiscopos, Abbates, & Germanos præcipue, eo vocare & invitare, Cæsarem quoque & Galliæ Regem rogare, ut vel ipsi eo veniant, vel legatos mittant, & suis Episcopis eo proficisci mandent. Sed parum tempestivum & Cæsari & Galliæ Regi hoc Papæ diploma accidit; ac ille quidem statim responderet, se in ipsius litteris inter alia desiderare, quod sibi omnem curam & sumtum ad

Concilium
Tridentinum
dictum.

Cæsar Gal-
lura à Papæ
hostem de-
clarari vult

Mm mm 3

conci-

Gallus Cæsari bellum infert.

concilium promovendum impendenti, Gallum, illud quovis modo impedienti, dissidium religionis alenti, & privatas duntaxat utilitates quærenti, conjunxerit, & æqualem fecerit. Si igitur Concilium non coëat, non sibi sed Gallo tribuendum: neque aliam esse viam cogendi Concilii, religionis constituendæ, & pacis recuperandæ, quam ut Pontifex eum declaret hostem. Hic autem Julio mense atrocissimis verbis bellum Cæsari denuntiat, editoque in eam rem libello, liberum suis facit, terra marique Cæsareas provincias infestandi. Statim etiam quinque diversis locis eas invadit. Cumque facile præsentiret, id sibi crimini datum iri, quod bello Concilii spem turbaret, severa in *Lutheranos* edicta promulgavit, ne ederentur aut divenderentur à librariis suspecti libri, *Lutherani*, ubi essent, deferantur, & in eos ferro flammisque decernatur. Pontifici quoque se purgat, & commemoratis inter se atque Cæsarem offensionum causis, omnes criminationes in eum retoquet, & Tridentinum Concilium à se tardatum impeditumque negat, recentibusque edictis & severis in violatores antiquæ religionis suppliciiis in Gallia, testatum se fecisse affirmat, nihil esse, quod non & ipsius, & Ecclesiæ Romanæ causa velit. *Pontifex*, Patris publici officium facturus, ad Cæsarem & Gallum legatos pacificatores destinavit, oratum, ut privatas injurias uterque Reipublicæ condonaret.

Tom. VIII. Alt. p. 207. Sleidan. p. 396. seqq. Suav. p. 87. seq. Seckend. pag. 382. ff.

§. CCCXCVII.

Ferdinandus R. consensit in reformat. Camera,

Sed, ne quid de *Comitiorum Spirensium* actis, in quantum ad causam religionis propius accedunt, omittamus, illud visum est observare, quod *Ferdinandus* Rex in angustiis & metu novæ Turcorum incursionis, constitutus, nil prætermiserit, quo placare Evangelicos posset, litibus *Camera* & *Henrici Brunsvicensis* consiliis valde irritatos. Unde in Comitiali decreto severe edixit,

edixit, ut omnes pacem custodirent; inferi quoque passus est Evangelicorum protestationem contra Concilium: inducias Ratisbonenses ad quinquennium porrogavit: visitationem & reformationem Cameræ promisit, & ad eam deputavit tot ex Evangelicis, quot ex Catholicis. Quibus ita constitutis, Nostri ampliora, quam unquam antea, auxilia contra Turcas decreverunt, & Dux electus fuit *Joachimus*, Elector Brandenburgicus, cui *Lutherus* epistola gratulatus est, quia sperabant, fore, ut quietius in posterum vivere possent, reformatione Cameræ Imperialis, toties flagitata, semel iterumque promissa; mox tamen deprehenderunt, minus sincere secum agi. Vix enim *sed mox rescidit.* Electoralibus deputatis ad Cameræ visitationem domo profectis, aderat à *Ferdinando* missus Baro *Schwarzenbergius*, cum mandatis & Cæsaris litteris, quibus significabatur, visitationem ad Cæsaris usque adventum in Germaniam esse suspendendam, cum relatum sit, eam sine motu expediri haud posse. Hoc graviter molesteque tulit Elector, & Legatis suis Spiram rescripsit, se consentire in hanc visitationis suspensionem non posse, nisi etiam jurisdictio Cameræ suspenderetur: saltem recusationem & protestationem nomine Evangelicorum publice intimandam esse; in hanc cum reliqui Protestantes *Nostri protestantur* consentirent, denunciatio fit Cameræ præfidi & aliis, exhibito *contra,* publico instrumento. Adactos se quoque existimarunt *Elector Saxon. & Landgravius*, ut, cum *Henricus Brunsvic.* sprete *Ferdinandi R.* legatione & adhortatione, ab insultibus contra *Goslar*enses non desisteret, periculum à se sociisque averterent. *Brunsvic. provincias occupant.* Comparato itaque exercitu Ducatum Brunsvicensem invadunt, & intra duos menses totum in potestatem redigunt, Regique reddita denuo factorum ratione, scribunt, se pacem servaturos, & auxilia contra Turcos submissuros, vel exauctoratos, si nemo iis uti velit.

Tom. VIII. Alt. p. 207. b. 999. Sleid. p. 410. Seck. p. 382. b. 385. b. 386. a.

§. CCCXCVIII.

§. CCCXCVIII.

*Conventus
Norimberg.*

Alter hoc anno Imperii conventus, ut Spiræ decernebatur, ad Idus Julias Norimbergæ celebratus fuit, in quo non nisi de rectius præstandis continuandisque auxiliis contra Turcos tractatum, & de bello Brunsvicensis disputatum fuit, cujus tamen successus auctoritatem & securitatem Evangelicis tunc peperit, ringentibus licet æmulis, inter quos præ aliis malignus erat Cancellarius Moguntinus, qui ægre consensit, ut apologia fœderatorum pro illa expeditione prælegeretur. *Ferdinandus Rex Senatui Norimbergensi* circa exercitium religionis Evangelicæ aliquid prohibere conabatur, sed non fuit ei obtemperatum; quin Senatus Franciscanis, quorum aliqui in monasterio supererant, & alebantur, Missam celebrare in ædibus Nuntii Pontificii, interdixit. Publicato tandem Comitiorum decreto d. XXVI. Augusti ab Evangelicis contradicendum fuit, tum Pontificis causa, comparitionem ad Concilium per Nuntium urgentis, tum propter modum collectarum, Spiræ à plerisque decretum, ac maxime ob neglectam Camerae reformationem.

Sleidan. pag. 411. Seckendorff. pag. 386. b. 387. a.

§. CCCXCIX.

*Nicol. Ams-
dorf. Episc.
Numburg.
constitutus.*

Hoc anno *Nicolaus Amsdorffius*, Professor quondam Theologiae Wittenberg. & postea Magdeburgensis Superintendens, ab Electore Saxon. ad Episcopatum Numburgensem promotus & in *Julii Pflugii* locum, quem sine consensu Electoris Capitulum elegerat, suffectus fuit; urgebat enim suum jus vetus Elector, quod *Episcopus Numburgensis non nisi cum consensu Principum eligi debeat*, & Canonicis graviter exprobrabat, quod se incio invitoque is electus esset Episcopus, qui quidem pro sua eruditione non ignoraret doctrinam in Saxoniam receptam, & ab Electore lociisque in formula Confessionis Augustæ exhibitam, pro pia & orthodoxa haberet, nihilominus tamen contra conscientiam suam vehementissime eam impugnaret: ideoque nullum

nullum eligi potuisse, qui sibi magis ingratus, molestus & re-
 formationi religionis inimicus esse posset; sui autem officii es-
 se, ut pura Evangelii doctrina, cum legitimo Sacramentorum
 usu, in Episcopatu jam recepta, conservetur. Confirmationem
 Pontificis nullo jure niti, & sufficere electionem Capituli, ac-
 cedente Principum approbatione; Canonicis illam urgentibus
 respondit: nec Cæsaris monito, ne *Pflugium* legitime electum
 impediret, neque juribus Episcopatus Imperii jurisdictioni sub-
 jecti, derogaret, nec intercessionibus amicorum *Pflugii* locum
 dedit. Nil vero temere aut præcipitanter hic egit Elector, sed
Theologos Wittenbergenses consuluit, eorumque responsa acce-
 pit, expendit, nec in iis acquievit, mitiora suadentibus, sed
 regessit, se neque religionis & conscientiæ ratione, neque ju-
 ris sui intuitu, *Episcopatum Numburgensem* in veteri statu re-
 linquere, neque *Pflugium* admittere posse; compelli itaque ad
 viam aliquam extraordinariam, ac judicare satius esse, ut vir
 pius & verus, qui muneri à Theologis præscripto bene præesse
 possit, quam illustris, constituatur Episcopus, talemque sibi
Amsdorffium videri; quod si vero ille recuset, alium quæren-
 dum esse, seu nobilem, seu plebejum, maritum aut cœlibem:
 omnes enim Christianos Principes jam deprehendisse, quam
 noxia sit Episcoporum potentia, pompa & luxus. Vocatur igitur
Amsdorffius, & habita cum Ordinibus Episcopatus delibe-
 ratione, solennis inauguratio ad Episcopatum maturatur,
 cui ipse Elector interfuit, cum fratre *Jo. Ernesto*, & *Ernesto*
 Duce Luneburg. quibusdam Canonicis cathedralibus, & No-
 bilibus, *Lutherus* autem concionem habuit d. XX. Januar. &
 peculiari libello hanc inaugurationem defendit, cujus hic est ti-
 tulus: *Exempel/ einen rechten Christlichen Bischoff zu weihen/ ges-
 schehen zu Naumburg/ Anno M. D. XLII. 20. Januarii.* In exor-
 dio false perstringit Pontificios, dum scribit, *nos heretici*, (ut
 Papiçolæ nos vocant) *denuo grave crimen commisimus, contra*

Nn nn

infer-

*infernalem & non-Christianam (höllische unchristliche Kirche) Ecclesiam infernalissimi (des allerhöllischen) Patris Papa, quod Episcopum Numburgensem ordinavimus & inauguravimus, sine anni chrismate, butyro, lardo, thure, carbonibus &c. ipsis quidem invitis, non tamen insciis. Quod libenter deprecari vellemus, sed dua nobis desunt precipue partes pœnitentiæ, contritio dolorque, & fides, quæ ita infirma est, ut simpliciter nequeamus credere, tantum peccatum remissum nobis ab iis iri. In libro ipso de jure disputat, quod contra electionem Capituli, ad Episcopi constitutionem processum sit, idque deducit, omissis rationibus juridicis, ex Canone divinæ Scripturæ. Refellit quoque exceptionem præscriptionis & possessionis, quæ coram Deo non valeat. Porro negat Ecclesiam vel populum Numburgensem contra fidem & jusjurandum fecisse, alium quærendo & recipiendo Episcopum; cum oves Christi vocem ejus audire & sequi debeant Joh. X. 5, sicque juri divino indeque ortæ obligationi, nullum obstare juramentum, imo hoc invalidum esse, nisi præstetur vero Episcopo. Denique etiam defendit ritum ordinationis ad Episcopatum à se aliisque susceptæ, & *Amsdorfium* commendat à nobilitate, à doctrina, qua omnes Pontificios superet, ab honesta vita, animi candore & cœlibatu, &c. ostendit, cum tam ex Pauli quam Canonum requisito, sine crimine & irreprehensibilem esse.*

Tom. VIII. Alt. pag. 1 -- 12. & pag. 208. a. Sleid. pag. 395. Seckendorff. pag. 387 -- 396.

§. CCCC.

*Dissidium
Electoris &
Mauritii.*

Hinc de reformationis incremento spes fieri poterat; turbare tamen vel infringere eam videbatur lis exorta inter Electorem Saxon. & *Mauritium* Ducem, qui patri nuper mortuo successerat, occasione supremi juris in oppidum *Wurzenam*, in ditione Episcopatus Misnienfis temporali; ubi Elector visitationem instituerat, cui *Mauritius* repugnabat, quique *Esflugis*

CAU.

causam non obscure probabat. Ad civile bellum res spectabat, & uterque suos ad arma convocabat, ac mense Martio educabat. Unde ingens terror Evangelicos omnes, & præcipue Legatos in Comitibus Spirensibus, invasit, metuentes, ne intestino bello res Evangelica intercideret: interventu tamen *Philippi*, Hassiæ Landgravii, pax facta cito est, in ipsis feriis paschalibus. Lutherus quoque ad ambos Duces & eorum provinciales status scripsit, & hortatus illos est ad pacem, cum *beatos* pronunciet Salvator *pacificos*, Matth. V. 9. sine ullo personarum discrimine, & Paulus Rom. XII. 18. pacem cum omnibus hominibus colere jubeat, ac Deus denique sibi vindictam reservet Rom. XII. 19. &c.

Tom. VIII. Alt. p. 42. b. - 45. a. Spag. 208. a. Sleid. p. 402. Seckend. pag. 400. b. 403. a.

§. CCCCL.

Insigne vero religionis Evangelicæ incrementum hoc anno fuit reformatio *Palatinatus*, qui *Neoburgicus* hodie dicitur, *Palatina-* olim junior, quem tunc *Otto Henricus* tenebat, mortuo fratre *Philippo*, solus. Is, cum jam ante puriori doctrinæ faveret, & frustra universalem emendationem exspectaret, nunc edicto publico piam suam mentem declaravit, & pro officio, quod Christiano Principi incumbat, sibi studendum ait, ut verbum Dei & Christus Salvator unicus fidelibus, pure & incorrupte, sine omni additamento, prædicetur & repræsentetur. Præcepit igitur, ut pastores ab omni doctrina in S. Scriptura non fundata, nec primæ Apostolicæ Ecclesiæ convenienti, abstineant, Evangelium autem Christi fideliter auditoribus proponere eos jubet, & ex verbo Dei omnia peccata, & scandala, & abusus modeste redarguere.

Ratisbona quoque Senatus, & per se propensus, & continua civium sollicitatione victus, habita deliberatione adhibitoque consensu populi, cultum Evangelicum publice instituit,

tuit, & facti rationem Episcopo atque Cæsari exposuit. D. V. Februar. primam concionem autoritate Senatus, in maxima auditorum frequentia habuit primus ibi vocatus præco Evangelicus *Erasmus Zollnerus*.

Meta impedita.

Docebant etiam hoc tempore in libera tunc & Imperiali urbe *Metensi*, unus & alter Dominicani ordinis, Evangelium, & magnâ spes apparuit, puriorem doctrinam in urbem introducendi, indeque in Lotharingiam & Galliam propagandi. Erecti quidam Senatores, cum civibus Evangelio addictis, successu rerum, à fœderatis hoc anno gestarum, recipi se in societatem & protectionem petierunt. Nec abnuebat Landgravius, ab Argentoratensibus sollicitatus; sed non parum dubitavit Elector, propterea quod non totus Senatus & pars civium minor id petebat, & Lutherus, ea de re consultus, caute procedendum judicavit, veritus, ne exitium paretur infirmæ *Metensium* parti Evangelicæ, prævalente Senatu, & longe majori parte incolarum, quibus auxilio futuri sint vicini Burgundi, Lotharingi & Galli, omnes Evangelio infestissimi & crudeles, quorum rabiem etiam paulo post pusillus grex est expertus.

Hildesia.

Felicius autem *Hildesia*, Episcopalis urbs haud ignobilis, in Saxonia inferiore, belli Brunsvicensis occasione, ad reformationem sacrorum progressâ est, cum fœderati, missis legatis, cives cohortati essent ad suscipiendam reformationem, ad quam dudum propendebant, iisque suum patrocinium promississent. Promte igitur parateque arripiunt opportunitatem, & D. *Johannem Pomeranum* ad tempus sibi dari petunt, obtinentque, qui D. G. in civitate verbi divini cupida multos Deo lucratus est, & *curiæ* optavit fideles. Episcopus urbis à Pontifice quidem restitutionis mandatum accepit & ab Electore Saxon. petiit, ut à patrocinio abstinere; sed nihil profecit, & *Cameræ* quoque *Spirensis* mandatum severum sine effectu fuit.

Ex

Ex litteris, nomine fratrum Ecclesia Venetiarum, Vicentia in agro Venetia & Tarvisi, ad Lutherum d. XXVI. Nov. stylo Balthasaris Altoneti, Secretarii Oratoris Anglici, scriptis, quas integras exhibuit Seckendorffius, colligi potest magnus pietatis affectus, ardens puræ religionis desiderium, admiranda in persecutionibus constantia, & veneratio in Lutherum eximia. Inter alia petunt, ut Lutherus cum sociis afflictarum suarum Ecclesiarum statum ad Serenissimos Germania Principes deferant, eosque per Christum rogent, ut litteras commendatitias pro se ad Senatum Venetiarum conscribant, orando monendoque, ut sese temperent ab ea decernendi licentia atque judicandi libidine, quam ministris Papa tam inconsulto concesserint, ac quotidie sævius impertiantur in pusillos Christi, sub pratextu fidei & religionis impie cruciandos; sed permittant quemque ritu suo vivere, ac neminem cogi aut trahi ad fidem sinant. Has inducias, si impetraverint, magnas accessiones & fidei & charitatis regno Christi allaturas confidunt.

Seckendorff. pag. 396 -- 403.

§. CCCCII.

Inter Latina Lutheri scripta, quibus Papatum impugna- Scripta La-
vit, & Evangelium propagavit, unus extat Commentarius in thei. Lati-
Prophetam Michæam, ex prælectionibus ejus per M. Vitum Theo- num.
dorum collectus. In eo, pro more veram doctrinam tradit explicatque, falsam autem rejicit ac refutat. In exordio notat Pontificios Judæis similes esse, quod illi non minus ac hi, multitudine, potentia ac dignitate nitantur, cum tamen nullam similem promissionem habeant, & æque securi sint; Deum autem nec dignitatem, nec numerum curare, & suam Ecclesiam posse servare, etiamsi nullus Pontifex, nullus Episcopus esset; sicut extincto fere toto regno Juda, & quicquid in populo eximium fuit, tamen servavit stirpem, ex qua Christus natus est.

Ad cap. I. 5. (fol. 541. b.) scribit, Monachos nulla in parte cum

Nn nn 3

Judæis

Judæis conferri posse; hos enim versatos in cultibus à Deo institutis & mandatis: illorum autem religionem nihil aliud esse quam *ἰδελοθρησκείαν*, cum vota, cœlibatus, Missæ, intercessionēs & meritū Sanctorum, peregrinationes, & Monachatus sint nugacissimæ nugæ, imo nocentissimæ pestes. Plura Seckendorffius excerptit.

Germanica. E Germanicis scriptis primum est dissertatio vel libellus *de inauguratione Amsdorffii* ad Episcopatum Numburgensem, cujus summam paulo ante indicavimus.

Alterum est *translatio Germanica* Fratris Richardi Dominici libelli, Latino sermone scripti, quo *Alcoranus* refutatur. In præfatione causam indicat, cur lingua vernacula reddere confutationem illam voluerit, nimirum, ut Christiani, perspectis horrendis dogmatis *Muhammedis*, in sua religione confirmarentur; cum enim impostor ille, *Muhammed*, victoriam, opes, honores felicemque successum in mundo nactus sit, per Dei iram vel providentiam, Christiani autem sub cruce degant, rudiores eo facile inclinare, ubi nulla calamitas sed felicitas in hac vita cernitur, eoque respexisse *Muhammedem*. Nequaquam autem hinc colligi debere, fidem *Muhammedis* rectam, nostram contra falsam esse; hanc potius rationem Deum in regendo populo suo observare, ut eum propter peccata sua puniat, & opprimi sinat, atque ostendat, Ecclesiam sanguine fundatam, perpetua ejus effusione & persecutionum martyriique continuatione conservari. In Epilogo ait, idem de *Ecclesia Romana* traditionibus asseri posse, ac de *Alcorano*, qui toties mutatus & interpolatus sit, ut jam non constet de ejus authore & fide. Pariter enim ignorari, quis e. g. primus extiterit autor *παθησιονκλεβίας*, fabularum de *S. Christophoro*, *Georgio*, *Ursula*, *Catharina*, & aliis, *sacrificii missatici*, *purgatorii* &c. hinc dicitur locum relictum in Romana aula, *non posse omnium rerum rationem reddi*, plane contra effatum Petri, jubentis pa-
ratos

ratos esse Christianos ad reddendam rationem omni poscenti. Interim Mohammedem negat proprie Antichristum esse, cum nimis crassus sit & ab atro diabolo agitatus, qui paganorum more Christianos persecutus sit. Subtiliorem vero esse Romanum Antichristum, qui retentis sacris literis & Sacramentis, in media sedeat Ecclesia, & bonis sanctisque articulis suas admisceat traditiones, quibus religionem corrumpat, & viam salutis in operibus quærendam esse doceat. His autem aliisque corruptelis & vitiis domesticis seu internis (*dem inwendigen Feind / dem Endchrist mit seinem Teuffel*) renunciandum seriatimque pœnitentia ad Christum redeundum esse, quo in veritate orare & exaudiri possimus; id ni fiat, non meliorem nos successum habituros, quam majores nostros, qui tot seculis contra Mohammedanos pugnaverint, ex sterili Arabiæ angulo prodeuntes tantosque latrociniis progressus facientes, ut terras quadringentorum fere milliarum subegerint, jamque nostras fores pulsent, & in sterquilino nostro nobis insultent.

Sequitur ordinis ratione, ut in Tomis comparat, *præf. in libr. de conform. Francisci.*
rio in epitomen libri de conformitatibus Francisci, auff der Dars
fasser Eulenspiegel und Alcoran / in qua ideo se librum hunc in memoria hominum servare, hancque ejus epitomen edere scribere, ut testimonium extaret, si forte deinceps Pontificii exornare suam Helenam & incrustare velint, quemadmodum hætenus per duos vel tres annos in Comitibus tentaverint, quam putidis nugis & fabulis utantur ac delectentur, à Papali sanctitate etiam confirmatis, privilegio munitis & præceptis: quarum eos nondum pudeat pœniteatque, sed sub specie concordia, in aliquot articulis sancienda, vetera illa stercorea diabolica sensim reducere laborent, licet stolide, existimantes Spiritum S. non cernere istas technas. Impossibile igitur esse, ut Christus & Belial, id est, Papa cum verbo Dei concilietur. Grato igitur animo agnoscendum ab Evangelicis lectoribus esse,

esse,

esse, quod sic illuminati à Deo sint, ut ejusmodi nugas videant & rideant absque periculo, quod olim non licuerit: Deum insuper rogandum, ut verbi sui lucem nobis servet, nec in priores tenebras relabi nos sinat.

Ex *Epistolis* illius summam indicavimus, qua *Electorem Saxon. & Ducem Mauritium* in causa Wurzensi, ad pacem adhortatus est; ea tamen, ceu *Seckendorffius* ex *Pomerani* scripto A. 1547. publicato, observavit, pace mox secuta, hoc anno typis non expressa integra, sed suppressa est.

in Postill.
Spanzen-
bergii.

Prefatio Megalandri in *Postillas*, ut vocant M. *Joh. Spanzenbergii*, digna foret, quæ tota exscriberetur, propter Theologiæ studiosos; in ea enim fatetur ingenue, se, cum recens Theologiæ Doctor renunciaretur, persuasum habuisse, probe à se intelligi, quod Christus sit mysterium, ut Paulus passim eum vocat; sed postquam rursus tyro misellus S. Scripturæ factus sit, mirabiliter eum intueri, & experientia deprehendere, quod vere *mysterium* significet, cum, licet dilucide fatis ab Apostolis prædicatum, nihilominus sapientibus occultum manserit, & tantum parvulis patèfactum sit, Matth. XI. 25. Idem hodiernum fieri dolet, non tantum apud *Pontificios*, sed etiam apud eos, qui se *Evangelicos* jactitent, & cum vel semel legerint Scripturam S. tam satuti & oppleti sint scientia, ut etiam omnes Apostolos docere se posse, putent, nedum suos Pastores. Invehitur deinceps in pigros Pastores, cum eos collaudasset, qui mysterium Christi & ore & scriptis publicant, unice *Postillis* aliisque bonis libris innitentes, nec orantes, meditantes, aut legentes Scripturam S. sed alienis laboribus, velut formulariis aut Calendariis, ad victum suum annum quarendum utentes, ac psittacorum aut cornicum instar, voces aliorum absque intellectu imitantes. Unde illud inculcat, *attende lectioni. Non potes*, inquit, *profecto nimium legere in Scriptura S. nec quæ legis, nimis bene intelligere, nec bene intellecta nimis recte docere,*

tere, nec, qua bene docuisti, nimis bene vita exprimere. Experto crede Ruperto. Diabolus, mundus & caro contra nos saviunt. Quare, dilecti Domini & fratres, Pastores & concionatores, orate, legite, studete, diligentes estote. Jam, exulcerato hoc seculo, non est tempus otiaendi & stertendi. Usurpate donum vobis concreditum, & manifestate mysterium Christi.

Consilium etiam instructionemque edidit de puerperis inter enitendum morientibus, de *γυναικὸς βαπτισμῶν*, & de Baptismo dubio infantum expositorum. Puerperas monendas ait, ne in partu sibi parcant, sed ut omnibus viribus annitentur, reputantes, à Deo dolores impositos & solatium à Paulo datum, 1. Tim. II. 15. Infantes nondum natos, aut brachium saltem vel crus ex utero protendentes, non esse baptizandos; hominem enim nondum natum renasci per Baptismum non posse, Joh. III. 5. precibus tamen commendandum Patri cœlesti partum non vitalem aut editum, ut eum passionis & mortis Christi participem faciat; nec dubitandum, quin tales preces exaudiantur, quum Christus parvulos ad se adferri velit, eisque regnum cœlorum addicat, Marc. X. 14. Infirmos infantes à mulieribus baptizari posse largitur, verbis Baptismi substantialibus, & duobus vel tribus testibus adhibitis: reconvalescentes autem in templum deportandos, & rogandos Pastores esse, ut Baptismum domi rite peractum confirment. *Exposititios*, baptizandos esse, cum occultus & dubius Baptismus nullus sit, nec Anabaptismus reputari debeat; non enim posse dici iteratum, quod ita nescitur esse factum, juxta dictum Augustini. Subjungitur tractatus D. Jo. Bugenhagii Pomerani, quo Psal. XXIX. explicavit, in quo multa de Pædo-baptismo, de infantibus sine Baptismo decedentibus, eorumque fide & salute, & de privato Baptismo disputantur. Ea enim legit & probavit Lutherus, sicut & jussit hoc argumentum tractare Bugenhagium, quem insuper monuit, ut consolationem pro sceminis abortum facientibus ad-

O o o o

deret;

deret; sed *Pomeranus Lutherum* vicissim rogavit, ut, quod suassisset, ipse faceret; quibus petitis noster assurgens *consolationem* ejusmodi conscripsit, pro piis matribus, quæ matres monet, ne curiosius sollicitiusque quærant, cur Deus partum vivum edi & Baptismo frui haud siverit; quum hoc ad occulta & imperferutabilia judicia divina pertineat; nec iræ signum sed tentatio ad patientiam sit. Acquiescere igitur eas debere in voluntate Dei meliore semper ac nostra. 2. Bonam spem collocari jubet in precibus matris fidelis, licet infirmis in angustiis dolorum, à Spiritu S. adjutis & suffultis, Rom. VIII. 26. Christiani enim, uncti Spiritu S. preces coram Deo magni æstimari, & esse rem omnipotentem, idque constare exemplis Moysi, Eliæ, Jesaiæ, Monicæ. Nec dubitari posse de salute infantum V. T. ante acceptam circumcisionem decedentium.

Seckendorffius meminit responsi à *Luthero & Bugenhagio* dati, de obstetrice, infantes quosdam infirmos, necessitatis prætextu, sine aqua baptizante, & verba institutionis solum pronunciantem. Pronunciarunt autem istum Baptismum esse illegitimum; verbum non sufficere, sed aquam etiam simul in Sacramento hoc requiri.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 538. b. -- 591. Tom. VIII. Alt. p. 1 -- 165. conf. Seckendorff pag. 405 -- 416.

§. CCCCIII.

An. 1543.
Comitia
Norimbergæ
habita.

Anno M. D. XLIII. ineunte mense Februario, *Comitia* die XIV. Novembr. anni superioris indicta, & ad XIV. Decembris prorogata, *Norimbergæ* cæpta sunt, ad quæ *Ferdinandus* Rex *Electorem Saxoniam* semel iterumque invitaverat; sed, quia subdole agi multis rationibus suspicabatur, gravissimas excusationis causas allegavit, & domi mansit. Eventus etiam docuit, parum aut nihil præsentiam profuturam fuisse in Comitibus, quæ plena fuerunt simultatum & rixarum, exacerbatis Catholicis casu *Henrici Brunsvicensis*, Evangelicis autem ob non agnitam

ab

○○○

ab adversæ partis ordinibus declarationem Cæsaream Ratisbonensem. *Ferdinandus & Granvellanus* placare *Protestantes* omni studio contendebant; sed quia Catholici ultra permoveri nequiverant, quam ut dicerent, se quidem Cæsaris declarationem pro invalida habere nolle; nec tamen expressam ejus mentionem in *Recessu Comitiorum* fieri volebant, decretum de auxiliis contra Turcam continuandis, aliisque capitibus, à Præsidibus & Ducibus Bavariz procuratum, à Nostri rejectum fuit, quod id factum esset non admissis ad suffragia in Ordinum confessu Evangelicis: nec de pace provisum, secundum conditiones, quibus *Evangelici* in auxilia contra Turcas in tribus comitiis consensissent, & contributionis magnæ sit inæqualitas. Tradiderant etiam ante *libellum supplicem* Cæsaris legatis ejusque fratri, in quo prolixè commemorant, quid multis nunc annis actum in religione, quomodoque pax & Camera emendatio promissa sæpius, secuta non sit, & res, exacerbatis animis, in civile bellum erumpere possit; rogantque, ut, cum omnis ea similtas ac diffidentia à dissidio religionis, hoc autem ex eo fonte manarit, quod doctrina Evangelii & purus cultus impediatur, errores & vitia non emendentur, sed ambitionis & enolumentis causa etiam defendantur, in hoc elaboretur imprimis, ut religionis causa nil turbæ moveatur, & jus omnibus ex æquo communicetur; ac, quoniam hoc per præsentem Camera statum fieri nequeat, supremum hoc iudicium emendetur, alique iudices constituentur. Nisi enim ita res instituat, non se posse Turcici belli consilium ullum habere, nec calamitatum magnarum, quibus iratum Numen Germaniam affligat, finem fore. Quæ aliaque sublestæ fidei & callidarum machinationum indicia vehementer affligerunt Saxonem & socios, ac propterea separatas consultationes habuerunt Norimbergæ, & statuerunt, se conjunctim Cameralibus processibus opposituros, Decretum Comitiorum non exsecuturos,

nec auxilia in Hungariam missuros, Legatos ad Cæsarem missuros, qui desideria sua proponerent, Ducatum Brunsvicensem retenturos, convicto tot criminum *Henrico*, detectoque ejus contemptu Cæsareanorum mandatorum, in causa Goslariensi datorum.

Tom. VIII. Alt. p. 344. a. Sleidan. p. 419. seq. Seckendorff. p. 416. b. 417. a, b.

§. CCCCIV.

*Conventus
Smalcald.
institutus,
legatio ad
Cæsarem
decreta,
ejusque effe-
ctus in Ca-
mera refor-
matione
nullus.*

Protestantes igitur alium conventum *Smalcaldia* instituunt d. XXV. Junii, ad quem Electoris & Landgravii litteris invitati erant non tantum fœderati, sed & reliqui Evangelici, quorum intererat, pacem & libertatem in religionis causa conservari. Adire vero eum recusabant Dux Sax. *Mauritius*, *Albertus* Marchio Brandenburg. *Baruthinus*, *Norimbergenses* & *Ratisbonenses*, & se hoc nomine excusarunt; in vera tamen religione verbique divini confessione per D. G. perseveraturos se, nec omisuros, quæ ad ejus propagationem spectarunt, affirmarunt. Consultatum ibi fuit de legatione ad Cæsarem, quæ missa & admissa gravem prolixamque enarrationem gravaminum, ab anno 1530. hucusque repetiit, & querelas inprimis contra *Camerale judicium* effudit, quod susque deque haberet Cæsaris declarationem, & multis modis Evangelicos premeret. Cæsar quidem amplam spem faciebat & pacis servandæ, & reformandæ Camerae, modo legitima inquisitio præcederet, sine qua Assessores exauctorari non possent; sed *Granvellanus* & *Navius* eluserunt Evangelicorum postulata, & instituta reformatio Camerae à Cæsare indicta, simulata magis quam vera, nec cordi erat Catholicis visitoribus, qui querelas omnes contra Evangelicos promptissime admittebant, & sine mora rigidissimis decretis in illos processibus, citationibus & proscriptionum comminationibus, agebant, Cæsareas declarationes vel dissimulabant, vel in alium sensum explicabant. Ersi enim
Evan-

Evangelici appellationibus & recusationibus adversus hoc tribunal sibi prospicerent, fidere tamen istis mediis non poterant, Pontificiis speciose semper edicta & leges Imperii opponentibus; ut adeo Evangelici in continuo metu versati, & magno cum sumtu ad defensionem se parare coacti fuerint. Nec Cæsar pro rerum suarum statu id ægre ferebat, cum, ut *Seckendorffius* hæc atque talia diligenter annotavit, & cujus ductum sequor lubens prudensque, utrosque sibi obnoxios habere posset; *Protestantes*, connivendo & *simulando*, ac si iudicum rigor sibi displiceret, ita ut etiam ad inhibitiones aliquando progrediretur & subinde reformationem serio moliri videretur; *Catholicos* vero *spe lætans*, fore, ut quamprimum se à bellis, cum Turcis & Gallis, expedisset, *vires omnes contra Evangelicos verteret*. Eo fine forma illa Juridica processuum Cameralium, etsi aliquando ab effectu suspensa, conservabatur tamen, ut in tempore prætextum daret exequendi, quæ nunc sine periculo & damno majori tentari non poterant. Interea *Evangelici magna onerabantur invidia*, quasi iudicia & leges ferre non possent; & erant inter ipsos, qui contra suarum partium Proceres (v.g. *Eslingenses* contra *Ducem Württembergicum*) aut adversus Catholicos, extra causam religionis jurisdictionem Cameræ implorare maluissent, & inviti recusationi illi universali adhærebant. Callide etiam agebant *Camerales*, ut quibusdam Evangelicis parcerent, & graves Catholicis essent. Hinc facile colligi potest, quid sperari expectarique ex decreta, dilata, reassumta, & non serio instituta visitatione Cameræ potuerit. *Saxonici*, cum eam enervari artibus variis, & omiſſis præcipuis capitibus, Cameræ statum, qualis erat, cum summo Evangelicorum dedecore & detrimento, mansurum esse deprehenderent, d. XII. Decembr. in confessa surrexerunt & ex curia discesserunt, ad Cæsarem Ordinesque Imperii, in Comitibus indictis mox adfuturos, provocarunt, quos

secuti sunt alii. Morte etiam *Georgii*, Marchionis Brandenburg. nova visitationi remora injecta est, donec in ejus locum alius eligeretur.

Sleidan. pag. 429. Seckendorf. pag. 418 -- 422.

§. CCCC.V.

*Artes aula
& aulicorū
Cæsaris con-
tra Evangel.*

Ex his abunde liquet, quanta fuerit hoc tempore negotiorum moles; tot enim machinæ adversus Evangelicos institutæ, inter hos ipsos quoque tot suspiciones & similitates, aut trepidatio & errores in eligendis mediis obrepserunt, ut mirum sit, Electorem Sax. & Landgravium, Duces fœderis, tantis curis & laboribus sufficere potuisse, neque hoc anno ad arma devenitum esse. Tanto magis itaque divina providentia admiranda est, quanto majora pericula Evangelicis undique imminabant. *Seckendorffius* observavit, duodecim vasta litterarum volumina extare, quæ inter utrumque Principem hoc anno commearint, ex quibus retulit fideliter & breviter, quæ ex Cæsaris, Regum, & Principum actis, quorum notitia hucusque non prorsus evulgata esse videtur, ad religionis negotium propius spectant. Summa, quantum perspicio, huc redit: Cæsar interiores animi affectus mira solertia celabat, ut plerumque non nisi ex eventu cerni possent. Pessime de iis judicabant Bavariæ Duces, *Guilielmus* inprimis, qui *Leonhardi ab Eck* consiliis regi credebatur. Hic vero *Cæsari* malignum animum, fidem lubricam, ingentem superbiam, & sapientiæ super omnes opinionem tribuebat, idque agere eum dicebat, ut Principes Germaniæ, unum post alium, in servitutem redigeret, incepturus à *Saxone*, progressurus ad *Landgravium* & denique ad *Bavarios*: religione pro rerum suarum utilitate ipsum uti, & paratam habere reformationis formulam, Pontifici non profuturam, ac ejus metu consilia Papæ retineri aut impelli, prout res ferret, eademque ratione nunc mitius, nunc severius cum Evangelicis agi. Nihil ergo magis necessarium esse sentiebat,

quam

quam ut seposita religionis causa & hac cujuscunque conscientiae relicta, Saxo & Landgravius foedus cum Bavaris ini-
rent pro veteri libertate defendenda. Verum suspecta utrique
erant haec & similia *Eckii* consilia, cum zelus ingens Bavarorum
pro veteri religione haud obscurus esset, & id agi animadver-
terent, ut, se in societatem Bavaricam concedentibus, foede-
rati reliqui magis magisque in suspicionem adducerentur, ac si
ipsi non tam religionis securitatem, quam potentiae suae argu-
menta quaererent. Hoc subdolos homo civitatum quarundam
deputatis insinuaverat, Saxoni contra & Hassio suggererat, ci-
vitates in foedere constantes haud esse, secreta omnia evulga-
re, & aucupari *Caesaris* & *Ferdinandi* gratiam. Postea *Ulricus*
Württembergicus, Landgravium monuit, ut sibi ab illo nebulo-
ne (sic ipsum vocabat) prorsus caveret, cum & contra Austria-
cos & cum Austriacis sit, & tractet, ac nuper à *Ferdinando* an-
nuam 200. florenorum pensionem obtinuerit. Id certum est,
quod *Caesareani* ministri cum Landgravio dolose egerint. *Ra-
zisbona* enim A. 1541. maxima cum benevolentiae fiduciaque si-
gnificatione simulaverant, cupere *Caesarem*, ut *Landgravius*
summus exercitus Dux contra Gallos esset, si *Caesaris* domus-
que Austriacae destinatis non adversaretur, nec eorum aemulis
& hostibus auxilium ferret. Sed diu post *Granvellanus* dixit,
Caesarem coactum esse mutare consilium, & ipsum ducere vel-
le exercitum, cum ab Hispanis jam impetrarit, ut relicto apud
eos filio, in Germaniam discedere, ibique aliquot annos com-
morari posset. Mox alias condiciones proposuit *Caesaris* nomi-
ne Landgravio, tanto Principe indignas, & tandem Saxonicos
legatos impossibilia à *Caesare* flagitare dixit, nempe pacis con-
ditiones & *Cameræ* reformationem, quorum neutrum in *Cæ-
saris* esset potestate. His aliisque magis delusi Evangelici, disce-
bant causam suam unice Deo committere.

Seckendorff. pag. 422 -- 429.

§. CCCCVI.

*Coloniensis
Archiepi-
scopi refor-
matio.*

Cum his premerentur incommodis Evangelici, & nusquam tutam fidem viderent, providum Dei oculum nihilominus in opere reformationis perspexerunt, quando *Hermannus*, ex antiqua stirpe Comitum *Wida* ortus, Archiepiscopus Coloniensis & Elector, Princeps, ut *Maimburgius* ex merito eum laudat, bonis moribus, ingenio placido & miti, erga pauperes beneficus, salutaria consilia, quæ dudum foverat intenderatque, tandem exsecutus est. Jam A. 1539. ad *Melanchthonem*, qui tum Francofurti Evangelicorum conventui aderat, *Petrus Medmannum* ablegavit, ut cum illo de reformatione Ecclesiæ & concordia ineunda conferret, & ad se invitaret; sed iter in hunc usque annum dilatatum fuit. Interea autem *Bucerum* à *Jo. Groppero* magnopere laudatum accersivit, & cum *Bonna* publice concionari iussit, à quo, ut & Electore atque Landgravio, *Buceri* instinctu ad eum scribentibus, confirmatus, gratias egit Principibus, pro benevolo consilio & oblato auxilio, & testatus est per litteras, se nil nisi gloriam Dei & salutem proximi quærere, ac *Melanchthonem* sibi mitti petiit, quem ubi obtinet, ac à Landgravio *Pistorium*, formam doctrinæ & rituum, ad exemplum Norimbergensis Ecclesiæ, ab iis conscribi voluit. Perfecto hoc opere, adhibitis *Coadjutore*, ut vocant, & *Decano*, & aliis nonnullis viris præcipuis, legi sibi illud iussit, attentissime audivit, multa, ut *Melanchthon* scripsit, de plerisque locis graviter differuit, quædam suo iudicio recte mutavit, & controversias pene ut artifex dijudicavit. Quæ sane arguunt non adeo rudem fuisse, qualem *Maimburgius* aliique maledici, *Surium* secuti, faciunt. Sane pro illorum temporum conditione quamplurimos eruditione & pietate superavit, præsertim rudes asinos & fratres ignorantia, qui apinis & tricis Scholasticis innutriti, nullam veræ lucis & sapientiæ scintillam habuerunt. Sed pergendum in historia est. Cum de libro statuisset Archiepiscopus ipse, eum

eum *Canonicis* summi templi legendum diligenterque expendendum misit: deinde conventum indixit, oravitque, ut singuli ordines nonnullos deligant, qui eum librum evolvant, quo tandem pia conciliatio fiat. Verum Ecclesiastici vehementer se opponunt, & loco submoveri *Bucerum* aliosque petunt, cum reliquis etiam consilia conferre recusant, & amplius deliberandi tempus postulant. *Hermannus* moram indulget, nec submovere *Bucerum* ejusque collegas detrectat, si vel falsæ doctrinæ vel impuræ vitæ quisquam eos convinceret. Illi igitur librum, cujus author *Gropperus* fertur, à Principe suo turpiter deficiens, & amicissimum antea *Bucerum* deferens, ex insatiabili avaritia, ut *Bucerus* judicavit, (tria enim aureorum millia quotannis eum habere *Melanchthon* ad *Crucigerum* scripsit, ex sacerdotiis & beneficiis cumulatis, quæ deferere volebat) opponunt, *Antididagma* inscriptum, in cujus præfatione, post convitiarum plaustra in *Lutheranos* emissa, disertis verbis affirmant, malle se sub Imperio Turcarum vivere, quam reformationem illam sequi ac defendere. Prodiit etiam acerrimus non tam contra *Bucerum*, quam universam doctrinam Ecclesiarum nostrarum, & contra Principes nostros, liber, autore *Eberhardo Billico*, Carmelita bene saginato, & Bacchi Venerisque sacerdote, ut *Melanchthon* eum vocat, cui titulum fecit: *judicium Cleri & Academia*; sed quia saniores in Collegio quidam Comites viderant, scriptum scurris quam Clero dignius esse, titulum mutari jusserunt, qui sic correctus est: *judicium deputatorum Universitatis & secundarii Cleri Coloniensis, de doctrina & vocatione M. Buceri*. Hanc satyram ordiuntur à criminatibus duorum Martinorum, *Lutheri* & *Buceri*, & hunc quidem non negant quosdam articulos sanos proposuisse, sed vera malo animo admixta dicunt, ut incauti ad hæretica credenda inducantur. Inter errores referunt, quod concupiscentia peccatum dicatur: quod negetur Sanctos & Angelos invocandos,

Pp pp

Missam

Missam esse sacrificium, transubstantiatio, adoratio & circumgestatio hostiæ &c. rejiciatur. Nugas istas *Bucerus* refutavit satis, *Melanchthonis* quoque extat responsio ad hoc scriptum, quam dignam judicavit *Seckendorffius*, ut tota ab omnibus legatur, quia causam Evangelii vix alibi melius defenderit vir doctissimus, quam in hoc libello; ejus ergo epitomen, pro more, dedit, ac notavit, quod *Melanchthon* in exordio *petulantiam* auctoris judicii & spurcitiem sermonis reprehenderit, & sibi cum eo tantum, non cum bonis viris in *Glero*, litem esse dixerit, eoque præceptores quondam suos *Georg. Simlerum* & *Conradum Helvetium*, ac *Buschium*, *Mosellanum* & *Mezlerum*, amicos, Scholæ Colonienfis tum alumnos, laudaverit. Deinde magnam caliginem Ecclesiæ ante Lutherum descripsit, adductis *Gersonis* aliorumque miserrimum statum deplorantium, & reformationem omnibus votis exoptantium, ac sanguine vota obsignantium, testimoniis. Præterea de *pænitentia* & *bonis operibus*, de *invocatione Sanctorum*, *cælibatu*, *satisfactionibus*, errores refutaverit adversariorum.

Tametsi vero Ecclesiastici ordinis homines piis *Hermannii* conatibus vehementer restiterint, tandem tamen Comites, Ordo equester, & Legati civitatum, magno consensu librum approbant, promittuntque, se ad eam formam Ecclesias instauraturos esse. In collegio quoque Colonienfi multi summo loco nati recte sentiebant, plurimi tamen mali erant. Unde non potuerunt salubriter destinata ex voto perfici, & *Hermannus* propterea non satis aperte dogmata Evangelica ab initio proponi, & ceremonias veteres omnes, quotquot sine impietate servari possent, una cum collegiorum dignitate, libertate, prærogativis, & juribus omnibus retineri voluit, ut moderatæ & piæ ordinationis Ecclesiæ cathedralis exemplum esse posset; licet eventus ostenderit, in rebus tantopere corruptis modum difficillime inveniri. Atque hæc dissimulatio non placebat

Ele-

Electori, tametsi à *Landgravio* monito, quod non omnia ab initio exacte constitui queant. *Lutherus* etiam *Bucero* & *Melanchthoni* succensuit, quod nimis molliter in reformatione egerint. *Archiepiscopus* in ipso titulo *formule Reformationis*, semel iterumque editæ, indicare voluit, quod tum ultra ire non potuerit; sic enim ille habet: *Nostra Hermannii ex D. G. Archiepiscopi Coloniensis & Principis Electoris, simplex ac pia deliberatio, quaratione Christiana, & in verbo Dei fundata, reformatio doctrina, ad inistrationis divinatorum Sacramentorum, ceremoniarum, totiusque cura animarum, & aliorum ministeriorum Ecclesiasticorum, apud eos, qui nostra pastorali cura commendati sunt, tantisper instituenda sit, donec Dominus dederit constitui meliorem, vel per liberam & Christianam Synodum, sive generalem, sive Nationalem, per Ordines Imperii Nationis Germanicæ in Spiritu S. congregatos.* In præloquio etiam monet, se motum pro officio & conscientia, ac mandato *Ratisbonæ* prælatis dato, precibusq; assiduis Ordinum provinciarum, de Christiana Ecclesiasticarum rerum correctione suscipienda, remedia adferre voluisse, ac quæ constituerit, subjicere emendationi ulteriorique gratiæ & illuminationi divini. Petit insuper ab omnibus, ut qui aliquid ibi deprehenderint verbo Dei non satis consonum, aut ad ædificationem fidei in Christum parum aptum, significant, quod grata mente accipere velit.

Nimis prolixum foret, vel summa capita constitutionis, quorum habebat LXV. vel præcipua ex illis annotare, ut *Seckendorffius* fecit. Sufficit scire, vel principium, ex quo de cæteris facile judicari potest. Jussit bonus *Episcopus* haurire pastores doctrinam ex solis sacris litteris, non ex Patrum, nedum aliorum autoritatibus, cum illi etiam solius Scripturæ judicio sua subjecerint. Hinc *idolomaniam* & *idololatriam* omnem rejicit acriter. *Justificationem* consistere dicit in remissione peccatorum, & donatione justitiæ Christi per fidem, quam rege-

neratio seu adoptio in filios Dei cum omnium bonorum operum studio sequatur &c.

Capitulum Coloniense vero erupit omnique nisu reformationi huic se opposuit, interposita coram *Georgio Brunsvicensi*, Præposito Ecclesiæ cathedralis, & adhibito Notario, appellatione ab omnibus Archiepiscopi decretis & actionibus, ad Pontificem & Cæsarem, ut supremum Ecclesiæ advocatum & decretorum in religione executorem. Adversus hanc appellationem *Archiepiscopus Apostolos*, quos vocant, refutatorios publicavit, & si ab ea desistere Clerus ac Capitulum nolit, ipse quoque ad concilium liberum & Christianum universale aut Nationale, provocavit. Verum nihil profecit, furente rafa cohorte & oraculum suum implorante & fatigante. Unde tandem à Pontifice tanquam Satanæ & impietatis filius condemnatus fuit, & res ad vim spectabat, cum Ordines constantiam profiterentur. Sed optimus senex *Manderscheidio* & *Nuenario* ita suadentibus, obtemperans, tum misericordia erga populum suum motus, & ne bello provincia vastaretur, ultro cessit, fidemque & jusjurandum omnibus remisit.

Tom. VIII. Alt. p. 344. Melanchth. consil. ap. Pezel. p. 535 -- 577. Sleid. pag. 426. seq. Seckendorff. p. 435 -- 448.

§. CCCCVII.

*Acta in
Misnia à
Mauritio
ad reformationis
propagationem
conservat.*

Multum etiam ad incrementum & confirmationem Reformationis hoc anno fecit *Constitutio Mauritiæ Saxonie Ducis* amplissima *de rebus Ecclesiasticis*, quæ in *Corpus Saxonicum*, quod vocant, relata est. Initio hortatur Superintendentes & Ecclesiæ ministros, ut officium suum diligenter & fideliter faciant, Evangelium pure docendo, gregi commisso sanctæ vitæ exemplis prælucendo, cum ad preces & charitatem excitando, à vitiis acriter dehortando, præfractos excommunicando, & ne sic quidem corrigibiles, Principis præfectis indicando, ut post mensis spatium ex provincia excedere jubeantur. Deinde,
Scho;

Scholas majores tres illustres ex vacantibus monasteriorum collegiorumque redditibus constituit, unam *Misna*, alteram *Mersburgi*, tertiam *Porta*, & singulis certum adolescentum numerum attribuit, postremo loco centum, medio (cui postea *Grimma* surrogata est) LXX. primo LX. qui omnes victum & amictum gratuitum acciperent. Præterea centum studiosis Theologiæ, Lipsiæ informandis, stipendia ordinavit, ipsi autem Academiæ duorum millium florenorum, annum redditum assignat, & Paulini monasterii ædificia omnia donat: sexcentos frumenti modios annuos deputat, unde pauperes modico pretio vivere possent in mensa, ut vocatur, communi: Pastoribus & Præceptoribus in Scholis salaria quoque auget, & præscitu consensuque ordinum provinciæ deputatorum, constituit, ut redditus bonorum & locorum Ecclesiasticorum vacantium, perpetuo in istos usus impendantur. Providit denique, ut egenis indigenis alimenta necessaria, expensionibus ingentibus suppeditarentur, ac mendicandi licentia & improbitas cessaret.

Hoc etiam anno *Ordinatio Ecclesiarum in Ducatu Henrici Brunsvicensis* publicata est, auspiciis Electoris Sax. & Landgraviæ, dialecto inferioris Saxonix, opera *Bugenhagii, Ant. Corvini & Martini Gorlitii*, quæ plurimum profuit ad Evangelii propagationem & confirmationem. Eam summatim recensuit *Seckendorffius*.

In *Principatu Hennebergico* hoc quoque anno initium habuit *reformatio Ecclesiastica*, qui tum alias etiam præfecturas, nunc *Wurzburgenses*, & *Smalcaldia* partem possidebat, sub *Guilielmo*, Sleusingæ aulam habente, & vehementer exorientem Evangelii lucem ab inito averfante & persequente, donec filiorum suorum *Georgii Ernesti*, in regimine destinati successoris, & *Poppo*, Canonici *Wurzburgensis*, precibus commotus, reformationem serio susciperet, & *D. Jo. Forsterum Wittenber-*

ga vocaret, & anno sequenti publicam confessionem veritatis Evangelicæ introduceret, & constanter in ea perseveraret.

Hildesia.

De recepta ab *Hildesiensibus* puriore doctrina superiore anno, diximus paulo ante p. 652. Interea ejus urbis Episcopus, *Valentinus*, graviter cives apud Cæsarem, Ferdinandum, & Cameram accusabat, efficiebatque sua criminatione, ut Cæsar Wormatia per litteras iis restitutionem religionis & aliorum quorumcunque, in pristinum statum, donec publice decretum aliquid fuerit, mandaret. Sed nihil effecit, plus autem apud *Senatum Coloniensem*, ad quem & Pontifex scripserat: Senatus igitur convocato populo, his edictis parere jubet; nec tamen ita Evangelii semen eradicari potuit.

in Galliis.

Docuerat etiam paulo ante & circa hæc tempora Lutiæ populum pure, in æde S. Crucis, *Franciscus Landrus*, nec missificabat, quod vino abstineret, naturane vel instituto, incertum. In eum igitur Sorbona insurrexit, & varia doctrinæ capita, de sacrificio Missæ, invocatione sanctorum, votis monasticis, jejuniis &c. ei proposuit. Ad quæ cum generatim respondisset, pium & sanctum esse, quicquid de iis rebus Ecclesia sancta & catholica tradat, Theologi non quieverunt, & cum ille docendo pergeret, carceri mancipatus & coactus fuit publice detestari, quæ prius docuisset. Eodem modo paulo post actum fuit cum alio quodam populi doctore, *Depensio*. Vixit etiam in Galliis *Clemens Marotus*, inter omnes suæ ætatis poëtas clarissimus, qui postremis annis poësin ad sacras litteras contulit, ac *Psalterium Davidis* rythmo exprimere voluit, sed ad quinquaginta tantum Psalmos absolvit, quos *Geneva*, quo se receperat, hoc anno edidit, cum in Galliis propter Lutheranismi suspicionem parum esset tutus. Nec tamen dubium est, quin & ibi & hic aliqui veritatis testes non sine fructu versati fuerint.

Tom. VIII, Alt. fol. 344. c. Sleidan. p. 427. seq. Seckend. p. 440 -- 458.

§. CCCCVIII.

§. CCCCVIII.

Inter opera Lutheri hujus anni numeratur *Traſtātus de ſu-* *Scripta Lu-*
daicorumque mendaciis, quem ſuperiore anno ſcripſit, accepta *theri.*
 occasione à Judæorum insolentia & audacia, qui Chriſtianos *de Judæis*
 ad ſe allicere tentarunt, poſteaquam audiverunt Wittenbergæ *eorumque*
 ſtudium Hebrææ linguæ florere, unde ſpem aliquam de melio- *mendaciis.*
 ri rerum ſuarum ſtatu conceperunt, & amicus quidam libel-
 lum, complectentem *Colloquium inter Judæum & Chriſtianum*, ad
 Megalandrum miſit, in quo Apella dicta Scripturæ S. quæ nos
 pro noſtra religione de Domino noſtro Jeſu Chriſto, ejuſque
 matre Maria, adducere ſolemus, corrumpere & longe aliter
 explicare atque ſubruere fidei Chriſtianæ fundamenta conatur.
 Nequaquam vero ſe vel de Judæis, vel contra eos ſe ſcribere af-
 firmat, ut eos convertat, cum *Lyra & Burgenſis*, juxta alios,
 ſolide illos refutarint, nec tamen meliores, ſed etiam pejores
 facti ſunt. Hinc ſuadet, non diſceptandum cum Judæis, ſed ar-
 gumento hocce ſolum eos urgendos eſſe, quod jam à XV. ſecu-
 lis regnum & ſacerdotium inter eos ceſſaverit, templum & Hie-
 roſolyma à *Tito Veſpaſiano* vaſtata ſint, evidenti documento iræ
 divinæ & rejectionis exceecatæ gentis, ſecundum Hoſ. I. 9. Luc.
 XXI. 20. In gratiam igitur Chriſtianorum ſe libellum hunc ſcri-
 piſſe affirmat, ut in fide confirmentur, & Judæorum quædam
 craſſæ ſtultitiæ detegantur. In prima parte *fundamenta & ja-*
ſtantias Judæorum aggreditur, oſtendens, eos vane & carnaliter
 gloriari 1. *de generis ſui prærogativa* ex ſanctis Patribus, Abraha-
 mo, Iſaaco &c. 2. *de circumciſione.* 3. *de Lege.* 4. *de terra Ca-*
naan. In altera parte agit de quæſtione, *an Meſſias venerit, nec*
ne? veniſſe autem Meſſiam probat (1.) ex Genſ. XLIX. 10. quem
 locum à falſis eorum gloſſis vindicat. (2.) ex 2. Sam. XXIII. 2. 3.
 de fœdere æterno cum domo Davidis ſeu regno inito. Cum
 vero Judæi nominare nunc nequeant heredem ſive familiam
 Davidis, quæ, iſtis non negantibus, duravit uſque ad captivi-
 tatem

ratem Babylonicam, & Herodis tempus, *αὐτοκατάκρητος* sunt ex hoc dicto. (3.) ex Jerem. XXXIII. 17. seqq. ubi legitur diserte, quod non solum David, filium habiturus in solio suo sedentem perpetuo, sed etiam Levitæ & Sacerdotes non sint extirpandi. Hoc autem necessario de regno Christi spirituali intelligendum esse demonstrat. (4.) ex Hag. II. 8. 9. 10. & (5.) ex Dan. IX. 24. Messiam venisse sub templo secundo, elapso præfinito tempore probat. In *tertia* parte stylum stringit in blasphemias, & mendacia diabolica, quibus nomen & personam Christi ejusque matrem, & Christianos omnes impudentissime insectantur. In *quarta* parte agit de discrimine inter Judæorum & Christianorum Messiam, & quid utrique in suo Messia quærant?

de Schem-
hamphoras

Edidit mox, ut in priore libello receperat, alium, de *Schemhamphoras* Judæorum, & de *Genealogia Christi*, Matth. I. In præfatione repetit, quæ antea dixerat, se non eo fine scribere, ac si speret Judæos conversum iri, quicquid alii putent, (cum tamen in *Postill. Eccles. ad Evangel. Fest. Stephani* multis argumentis id propugnaverit) sed ut nostri scirent, quid Judæus esset, & ab eo sibi caverent. In prima opusculi parte ex *Purcheti* (*Porcheti* Salvatici) *Victoria contra Judæos* cap. XI. Germanicum reditum exhibet, quæ de miraculis Jesu Christi per *Schemhamphorasch* editis nugati sunt verpi, & has nugas refellit. Deinde de *nominibus Dei Cabbalisticis & Tetragrammato* agit. Parte altera calumniis Judæorum, Genealogiam Christi ex Davide in dubium vocantium, occurrit, Evangelistas ac Novum Testamentum virginitatemque Mariæ ex voce *רבי* Alma docte pieque defendit, Judæorum cæcitatem & amentiam, ac eos, qui apud cæcos intellectum Scripturæ quærunt, acriter redarguit; Hebraicam tamen linguam ab eis discendam esse fatetur, ac studiosos monet, ut illud quam diligentissime præstent. Agnoscit denique, sibi haud ingratum fore, si quis defectus vel errores

res

res in Bibliorum translatione ostenderit, & se plus justo translatoribus tribuisse, ut retractare quædam cogatur.

Ex secundo illo tractatu contra Judæos, tertium quoque ^{Commentar.} conscribendi ansam arripuit, nempe *Commentarium de ultimis in novissima verbis Davidis*, 2. Sam. XXIII. 1. seqq. in quo articuli *de SS. verba De Trinitate*, *de trium personarum distinctione*, *de Christi Deitate* ^{vidis.} *& humanitate*, *de communicatione idiomatum & unione personali*, erudite & solide tractantur. Nos suis locis multa inde retulimus, ex quibus mascula Megalandri Theologia luculenter patet, & haud abs re inter optima B. Viri scripta numeratur.

Tom. VIII. Alt. pag. 208 -- 274. & pag. 277 -- 303. pag. 304 -- 341.

§. CCCCIX.

Inter præfationes & Epistolas comparet primo *præfatio in* ^{Præfat. in} *Declamationes Illustrium Principum juniorum Saxon.* ^{declamat.} *Joh. Friderici II. sive mediæ, & Joh. Wilhelmi, fratrum, quorum* ^{Principum} *prior XIV. annos natus de officio boni Principis, alter annor.* ^{juvent. Sax.} *XIII. de S. Georgio verba fecit publice, coram tota Universitate, præsentibus Ernesto, Duce Luneburgensi, Wolfgango Principe Anhaltino, proceribusque Aulæ: commendat Lutherus inusitatum exemplum & magnum decus, quod litteræ, utut sint apud alios Magnates contemptæ, in istis Principibus consecutæ sint, quæ non minori gloria vicissim tantos Principes ornaverint. Vota deinceps & preces subjungit, pro felici successu felicissimoque fructu istorum & omnium bonorum.*

Extant duæ Lutheri Epistolæ scriptæ ad *Simonem Wolfe-* ^{2. Epistola} *rinum*, Pastorem Islebiensem, ad D. Andreæ, qui cum *Fride-* ^{ad Wolferi-} *rico Raubero*, Pastore ibidem ad D. Petri, disceptaverat, ^{num.} *de controversia super reliquiis Sacramenti Altaris*, quas *Wolferinus* miscbat priori panis & vino, iisque vulgariter utebatur. Voluit autem Noster à mala quoque specie abstineri, nec locum dari quæstionibus scandalosis & periculosis, *de cessatione actionis Sacramentalis*. *Philippum* ait recte scripsisse, *Sacramentum nullum esse*

esse extra actionem Sacramentalem, sed nimis præcipitanter & abrupte à *Wolferino* definiti actionem Sacramentalem. Si enim stet illa festinata præcisio actionis, sequi, quod post prolationem verborum nullus percipiat corpus & sanguinem Christi, eo quod desierit actio, hincque infinitos scrupulos conscientiarum & interminabiles quæstiones oriri, sicut apud Pontificios disputatum sit: an sub primis, mediis, vel ultimis syllabis adesset corpus & sanguis Christi? Spectandum igitur non tantum motum ipsum actionis instantis vel præsentis, sed tempus quoque non mathematica sed physica latitudine, ut incipiat ab initio orationis Dominicæ, & duret, donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimissus & ab altari discessum sit.

*Testimon.
Joan. Mar-
bachio da-
tum.*

Huc etiam refero *Testimonium gradus Doctoralis* Joanni Marbachio collati, à *Luthero*, tum Decano Collegii Facultatis Theologicæ d. XX. Febr. scriptum & impertitum, cum Ecclesia Isnenfis eum ad docendum Evangelium vocasset. Reperitur inter Epistolas Theolog. ad Marbachios exaratas, & studiose à *D. Fechtio* collectas, Part. I. p. 3. 4.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 596. b. -- 598. a. fol. 780. a. b.

§. CCCCX.

*Epistola &
Præfat.*

Inter Germanicas Epistolas prima est *consolatoria* ad mulierem, quæ in ira præcipiti imprecationem evomuit, & tam compuncta anxique in conscientia fuit, ut de absolutionis Sacerdotalis efficacia dubitaret.

Altera ad præfectum *Crenzbergensem*, & Senatam ejus urbis forte, severius scripta est epistola, qua eos graviter dehortatur, ne Pastorem suum, quem *Seckendorffius* fuisse putat *D. Joach. Morlinum*, verbum Dei pure docentem, & innocenter viventem, propterea expellant, quod in concionibus publica vitia, generaliter licet, tamen acriter redarguerit, cum hoc officii ratio postulet.

Ad

Ad D. Mörlinum, Pastorem & Superintendentem Arnstadinum scripsit, se aliud consilium dare ipsi non posse, quam Christus ipse dederit Matth. X. 14. & Paulus Actor. XIII. 46. cedendum ergo ei esse suadet, si peccata defendant & castigari nolint auditores.

Præfationem fecit ad Commentarium D. Wencesl. Linckii in Pentateuchum, multa eruditione refertam, qua quæ Moses de doctrina sua stillante Deur. XXXII. 2. ff. vaticinatus est, impleri nunc & implenda ait, & quod omnium Prophetarum libri, imo etiam Novum Testam. ex Mose tanquam fonte, fluxerint, quemadmodum Siracides XXIV. 32. seqq. testetur, ac ipse experiatur, quod cum ad summum se pervenisse existimaverit, tandem vix alphabetarium se esse deprehenderit. Quanquam ipse *Augustinus* confessus fuerit, se scribendo & docendo profecisse. Ad verba Salomonis Eccles. XII. 12. *des Bücher schreibens ist zu viel/ wer kan sie alle lesen?* responder, vera illa esse de suis & sui similibus libris, non satis eruditis, ac illis, qui non tam Dei quam suam gloriam nec ædificationem Ecclesiæ quarant, aut Scripturam explicent, qui perituri sint, quemadmodum ex scriptis intra annos triginta jam plurima ex hominum memoria exciderint; bonorum autem librorum nunquam satis fuisse, aut esse, & suppetere Domini mandatum de scrutandis sacris litteris Joh. V. 39. & Pauli ad Timotheum I. Ep. IV. 13. lectionem vero & scrutationem fieri non posse, nisi annotetur quicquid inter legendum & meditandum incidit (*eingeben ist*) & procul dubio hac ratione Vates legisse in Mose, & posteriores in prioribus, bonasque cogitationes à Spiritu S. inspiratas litteris consignasse. Eandem diligentiam continuari debere, licet doctissimi quoque & piissimi scriptores aliquando etiam lignum, scenum, stipulas attulerint. Bene igitur agere eos, quibus gratia data, ut omni studio Scripturas scrutentur, & quæ bona Deus suggerit, cum aliis quoque per scripta communicent.

Qq qq 2

Extat

Exeat ejus & D. Pomerani nomine jussu Electoris *admonitio ad omnes Pastores Circuli Wittenbergensis, ut populum ad penitentiam & preces contra Turcas* cohortentur, facta & promulgata, cum Comitia Norimbergæ celebrarentur. In hac aperte palamque fatetur *Lutherus*, anno superiori rem male gestam, tributa gravia inutiliter impensa, vel detenta, copias amissas, nomen Christi apud Turcas contemptum, Muhammedis autem celebratum esse, atque ob has aliasque rationes se prorsus fere preces omisisse, quum non solum nulla subsecuta sit pœnitentia, sed omnis generis malitia in omnibus ordinibus manserit ac creverit; ut hinc appareat, iram pœnamque Dei flecti & averti non posse. Quia tamen Deus verbum & preces ministris mandaverit, neutrum omitti debere, ut officio pietatis satisfiat. Si vero Deus pœnam per Turcam, malitia hominum promeritam, decreverit, & preces non exaudiverit, eas ad orantes tamen redituras, Matth. X. 13. Orandum quoque, ut Deus Principum corda in Comitiiis Norimbergens. illuminare & flectere tandem ad concordiam velit.

Consilium dedit d. Lunæ P. Quasimodogeniti de ceremoniis & excommunicatione restituendis, ad quæ sita, ut videtur, aulici cujusdam. Sentit autem, parum consultum, nec sperandum aut concedendum esse, ut ceremoniæ denuo restituantur ex præscripto impiorum hypocritarum, qui tamen ne ad minima quidem obligari velint. Si enim verbum Dei ubique sine impedimento pure prædicetur, recipiatur & retineatur, facile ordinari posse aliquot ceremonias ad ædificationem facientes. Sine verbo Dei autem ceremonias nihil prodesse, imo potius obesse. *Elevationem* Sacramenti Wittenbergæ ideo abrogatam, ut libertati locus daretur, ostendereturque nos esse Dominos ceremoniarum: restitui tamen eam posse, si aliis Ecclesiis expediat. Optandum quidem, ut *excommunicatio* flagitiosorum ad exemplum veteris Ecclesiæ instauretur, sed magna obstacula futura, & aulicis, licentiæ assuetis, parû gratam fore. *Seckendorffius*

dorffius ex Actis & aliis *Lutheri* litteris de elevatione abolenda, plura profert, in similem sententiam dicta.

Interim licentiosæ vitæ omni nisu restitit. Siquidem d. XIII. Maji, cum meretrices nonnullæ *Wittembergam* venissent, publico programmate studiosos paterne rogavit & monuit, ut sibi ab impuris & fœtidis morboque Gallico infectis scortis caverent. Minatur etiam, si monitis paternis locum non dederint Studiosi, fore, ut graviter in ipsos animadvertat Princeps optimus. *Darumb rath ich euch / Ihr Spect. Studenten / das ihr euch bey zeit drollet*; sic enim eos vocat, qui in vicinam sylvam *Spect* appellatam ad prostibula excurrebant.

Denique breve judicium tulit ac responsum dedit tabelario, libellum & litteras à *Schwenckfeldio* offerenti, quo acriter eum increpat, quod in *Silesia* incendium excitaverit contra Sacramentum, nondum extinctum, & ipsum autorem ulturum perpetuo: quodque insuper pergat *Eutychnismo* suo & *creaturalitate* turbare Ecclesiam, nullo mandato divino instructus. Vocat eum insanum, à diabolo obsessum, qui nesciat quid deblateret, & hoc ultimum responsum ac judicium suum nunciari vult: increpet Dominus in te Satan, & sit Spiritus tuus, qui vocavit te, & cursus tuus, quo curris, & omnes, qui participant tibi, Sacramentarii & Eutychniani tecum, & cum vestris blasphemis in perditionem.

Tom. VIII. Alt. pag. 274. b. -- 277. pag. 303. pag. 341. b. -- 344. b. Selckendorff. pag. 468 -- 471.

§. CCCCXI.

Cæsar Comitia *Spiræ* superiori anno indicta quidem sed prorogata ad X. Januarii diem A. M. D. LIV. celebrari & Ordines a seesse frequentes iussit, imprimis autem *Electorem Saxonie* & *Landgravium* rogavit, ut comparerent. Uterque etiam præstituto tempore adfuit, ac ille, ne purior religio, quam profitebatur, moribus suorum dehonestaretur, insignem de disciplina

*An. 1544.
Comitia Spi-
ra habita.
Cæsar's pro-
positio.*

plina ab aulicis servanda, constitutionem publicavit, ac diligentem concionum auscultationem præscripsit, & computationes prohibuit. Asserverabant Cæsaris Legati, *Granvellanus* & *Navius*, semel iterumque Legatis Electoris Sax. religionis conciliationem serio cordi esse Cæsari, ac optimum modum esse, ut ea iniretur, sive placeat Papæ, sive displiceat, quippe qui ludat tantum Concilii indictione; nemini in causa religionis vim aut injuriam à Cæsare metuendam, idque inter alia edictum fuit, cum promovere leges Comitiorum d. IV. Febr. publicarentur. Cæsar ipse omnibus modis Protestantes sibi conciliare studebat, Saxonem præsertim & Landgravium. Die XX. Febr. Cæsar in Ordinum confessu commemorat, constare satis omnibus, quantum à se in componendis religionis dissidiis desudatum sit per annos bene multos, ac nuper admodum Ratisbonæ, sed cum ibi concordia iniri non potuisset, causam ad Concilium publicum, aut Nationale, aut Ordinum conventum fuisse rejectam. Deinde sollicitatum ab se Pontificem, indixisse Concilium, cui ipsemet interesse decreverit, nisi Gallix Rex bellum sibi movisset. Nunc vero cum idem adhuc dissidium religionis maneat, Reipublicæ vehementer incommodum, non esse diutius differendum remedium. Petere igitur, ut secum ipsi dispiciant, qua via potissimum controversiæ tolli possint, eamque commonstrent. De Gallix Rege quoque, ac fœdere ejus cum Turcis inito, multa addebat, quæ Dux Sabaudix à Gallo pulsus, quod Cæsari fidus esset, prolixè confirmavit. Quod cum Gallus futurum intelligeret, amplissimam legationem decernit; sed eam non admisit Cæsar, & feciale præmissum, male acceptum asperimis verbis dimisit, & renunciare Regi jussit, eum, tanquam hostem Germaniæ, non habere quod agat intra fines Imperii. Egerat etiam Cæsar cum *Catholicis*, qui aderant, *Ordinibus*, ante Saxonis adventum, ut litteras ad Pontificem darent, eumque rogarent, ut *Sabaudix* Duci opem contra Tur-

cas ferret, si *Niceam* in maritima ora provinciae Narbonensis, à qua depulsi nuper erant, denuo aggredierentur. Evangelici enim propterea nolebant iis se jungere, ne Papæ honorem tribuere viderentur, titulum *Sanctitatis* ei tribuendo.

Tom. VIII. Alt. p. 413. a, b. Sleidan. pag. 435. seq. Seckend. p. 473. seq.

§. CCCCXII.

Multi habitæ sunt deliberationes, cum de causa religionis, tum de bello Turcico, & *Hermannus* cum primis, *Archiepiscopus Colonienfis*, multa satis libere (*Seckendorffio* referente) de reformatione religionis & pace servanda monuit, nec Ecclesiasticis solum, sed & Politicis id studium incumbere dixit, ita ut graviter peccare utrosque diceret, si vel una hora in emendanda doctrina & corrigendis moribus cessarent. Salva etiam conscientia negabat tributa à subditis exigì posse (quæ tunc ad bellum Turcicum imperabantur) nisi iis de religione prospiceretur; se itaque dixit progressurum, ut cœpisset, & in genere constituendum esse existimavit, ut, cunctantibus Episcopis, à Dominis territorii reformatio fieret. Idem cum reliquis, qui post oblatam anno 1530. in Comitibus Augustanis confessionem, Evangelicam doctrinam receperant, declarationem Casaream anno 1541. obtentam, à cavillo liberari petebat; impediri enim dicebant & à pace excludi eos, qui post id tempus reformationem suscepissent, aut in posterum essent suscepturi. Licet enim non omnes ad *fœdus Smalcaldicum* accessissent, aut posthac accederent, eodem tamen jure reformationis omnes frui debere existimabatur. Catholici ad tempus Comitiorum Ratisbonensium factæque declarationis (in quam tamē consensisse se denuo negabant) respiciendum, & si quid postea innovatum esset, restituendum esse postulabant. Prolixe quoque causam explicarunt susceptæ adversus *Henric. Brunsvicensis* expeditionis, Saxo & Hesus, cum foecis, & de scripto gravissimorum criminum eum accusabant; sed cum Cæsar, post multas inter utrosque disceptationes, nihil amplius

de stylo de-
creti.

amplius fieri vellet, in aliud tempus dilatum fuit negotium, nec huc spectat. Turbata magnopere his aliisque litibus causa religionis, ac, cum occupationes bellicæ magis premerent, ad proximum conventum, mense Decembri habendum, rejecta fuit. Acerrime vero disputatum est de *stylo* decreti, sive *Recessus* comitalis, post discessum Electoris & Landgravii, qui quidem antequam abirent, promiserant, se eo laboraturos, quo finis, qui Cæsari placeret, Comitibus imponeretur; varia tamen Cæsaris ministri immiscuerunt, quæ Saxonici admittere non poterant. *Pontificii* etiam non pauca objecerunt, præsertim quod eis Protestantes, qui æquale jus haud immerito postulabant, pari secum conditione essent. Sed ista omnia callidissimo Cæsaris consilio sopita sunt, qui per Mediatores *Fridericum Palatinum*, & *Joachimum II.* Brandenburgicum, & ipse sollicitare Evangelicos non destitit, ut sibi stylum decreti sine ulteriori disceptatione committerent, licet non dissimularet, *Catholicos* id minime facturos, se enim ita decreturum, ut non sint habituri, de quo jure queri possint. Qui, post institutam deliberationem, cum aliam servandæ pacis viam non viderent, consenserunt. Idem ergo artificium hic erat, quod in Comitibus Ratisbon. ut utraque pars suum in decreto sensum reperiret, & quicquid Cæsar in favorem Evangelicorum decerneret, extraordinario modo, & cum excessu quodam, sive *ex plenitudine potestatis suæ* faceret, adeoque contradictioni Pontificiæ partis, opportuno tempore & loco subjectum esset. Hinc insolitæ formulæ & clausulæ inferebantur. Quod enim inter alia in *Recessu* dicebatur, *diffidium & schisma non nisi Christiana reformatione & definitione in Concilio universali*, commode tolli posse, & hanc viam tentandam; si vero pro temporum statu obtineri nequeat, alia comitia proximo autumno vel hyeme habenda, ac *viris doctis, bonis pacisque amantibus* negotium dandum *formule reformationis* conscribendæ, quid servandum sit in articulis

contro-

controversis, usque ad Concilium generale, per quod graves abusus, qui invaluerint, emendentur, & noxium schisma, cum incommodis inde secutis, tollatur, ex mente Cæsaris contra se potius dirigi, quam sua desideria probari, facile intelligebant Nostri. Eludere etiam satis poterant adversarii & torquere verba ad suum sensum, atque Cæsar elabi, seque excusare, si vel Pontifex vel Ordines, qui non consenserant, amicæ transactioni repugnarent. Falsum ergo est, quod Maimburgius scripsit, Imperatorem fere omnia edicto d. X. Junii condito indulgisse, quod Lutheranismus aequè utile ac religioni Catholica noxium fuerit. Quæ lateant in decreto ex-Jesuita non satis perspexit, ea autem Seckendorffius prolixè detexit.

Tom. VIII. Alt. pag. 413. seq. Sleidan. pag. 441. seq. Seckendorff. pag. 474. seq.

§. CCCCXIII.

Pontifex multis modis Caroli V. actionibus commotus ad iram fuit. Primo, quod noluerit permittere, ut Cardinalis Far-
 nesius, cum eo Legatus in Germaniam profectus, in conventum
 Ordinum Spiræ veniret, ne offensionem Protestantibus esset.
 Deinde, quod per Decretum, in eo conventu factum, maximum
 sibi sedique Apostolicæ præjudicium creasset. Sensum igitur
 aliquem injuriæ sibi illatæ necessatio significandum existimabat.
 Et, ut Sarpinus aperte scribit, licet observabat eos, qui ab ipsius par-
 tibus in Germania stabant, & numero & viribus imminutos, ne-
 que deessent ex intimis, qui dissimulandum suaderent; persuasus
 tamen Regem Galliæ eo acriorem nominis authoritatisque suæ
 propugnatores fore, quo apertius se Cæsari inensum ostenderet,
 decrevit à verbis capere initium, ut arrepta inde occasione, ad fa-
 cta ejusmodi pergeret, quæ ratio temporum rerumque permissura
 esset. Itaque d. XXV. Augusti prolixas ad Cæsarem litteras dat,
 eique exprobrat, quod nulla habita ratione Pontificis, qui solus
 jure divino & humano concilia cogendi, & de rebus sacris decer-

R r r r

nendi

nendi potestatem obtineat, de generali & nationali concilio & Imperii conventu statuere præsumserit: idiotis & hereticis iudicium de religione permiserit: de bonis Ecclesia pronunciauerit; Ecclesie perduelles, ipsiusmet edictis jam olim damnatos, pristinis honoribus restituerit. Neque factum satis excusare, quod vel induci se à malevolis, & Ecclesia Romana alienatis, siverit, & Decreta temporaria fecerit, ad Concilium tantum duratura. Proponit illi postea exempla illorum, qui eodem modo spiritua- lia invadentes severe puniti sint, & Christianorum Imperato- rum, ejus prædecessorum, qui ob defensam Sedis Romanæ au- toritatem, maximis à Deo honoribus & beneficiis amplificati sint. Quod res controversas conciliari & Ecclesia Romana cupiat emendationem, id esse admodum laudabile; sed ministerium illud ei relinquendum, cui DEUS eam curam demandave- rit. Esse quidem Imperatorem adiutorem & advocatum, ac ta- lem se posse ferre, sed non rectorem atque caput. Sese quoque publica reformationis percupidum esse, idque indictis conciliis non semel declarasse, quoties vel minima spes affulsit, ea coire posse. Denunciatum etiam pridem concilium esse, sed bello- rum causa in commodum tempus dilatum. Sternendam Cæsaris beneficio viam Concilio, vel saltem armis interim cohibitis, dum in Concilio de religione deliberetur. Paternis igitur monitis obtemperet, in sacris tractandis nullum jus sibi vendicat, sed disceptationes omnes religionis ad suum tribunal rejiciat, quæ nimia lenitudine concesserit rebellibus Romanae sedis adversariis, ea rescindat, alioqui futurum, nisi officio suo deesse velit, ut se- verius agere cum eo cogatur, quam natura, voluntas, aut con- suetudo sua ferat.

Hæc summa est Epistolæ Pontificis ad Cæsarem, ejus epitomen alii quoque, ut Sleidanus & Sarpinus, referunt: integram vero exhibuit & refutavit Seckendorffius.

Tom. VIII. Alt. p. 414. a. Sleid. L. XVI. p. 451. seq. Suav. pag. 93. seq. Seckendorff. pag. 479--486.

§. CCCCXIV.

§. CCCCXIV.

Alias quoque litteras minaciores & acerbiores Pontifex *Alia Papa*
 ad Cæsarem dedit, quarum *Lutherus* in exordio libelli duabus *Epistola ad*
 Papæ epistolis oppositi, *wider das Pabstum vom Teuffel gestiff* *Cæsarem*
 mentionem facit, quas suppressas *Pallavicinus* scribit, eas *durior.*
 tamen *Luthero* innotuisse constat, quia magis ad posteriores
 sæpe quam priores respicit, easque refutat, & aliam adhuc re-
 furationem promittit, quam tamen editam esse, non liquet.
Raynaldus alteras istas Pontificis litteras produxit, easque *Se-*
ckenendorffius Commentario suo cum epicrisi inseruit, quarum
 summam dare vel ideo necesse esse videtur, ut rectius ea intel-
 ligantur, quæ *Lutherus* in memorato libello perstrinxit. In
 exordio Papa rogat Cæsarem, ut, cum in recessu *Spiræ* facto per-
 peram egerit, contra fidem & religionem Deo debitam, querelam
 & expostulationem suam, & justam & necessariam, patienter au-
 diat. Deinde refellit ausus conatusque Cæsaris bonam speciem
 & intentionem præ se ferentes, ut *concordia & pacis studium*
 inter Principes Germaniæ; regerit enim Papa: *modo ne fuerit*
pax illa, quam Dominus non venerit in terram mittere, sed extur-
bare. Et cum Cæsar dixerit, *per se non stetisse, quo minus legiti-*
mo, libero & generali Concilio, quæ in religione controversa sunt,
definita fuerint, removet à se culpam Pontifex, & temporum
calamitatibus bellisque moram tribuit. Mox exprobrat *ἐπι-*
τιμοσκοπίας Cæsari duris verbis 1. quod res fidei & religionis
 componendas in suo recessu *Spiræ* definiverit, primo *Nationale*
Concilium sponderit, quod minime ad ejus jurisdictionem per-
 tineat, maxime cum sciverit *Contarenum* Cardinalem speciali
 mandato suo interdixisse, sed ad vicarium Christum solum
 spectet: quodque 2. in *Nationali Concilio* putaverit esse posse *fa-*
cultatem determinandi res religionis absque Papa, cum nemini
 nisi *Petro* dictum sit: *rogavi pro te, ne deficiat fides tua &c. &*
declaraverit, determinata à se rata fore usque ad Concilium ge-
nerale,

nerale, ut si quæ factio Lutherana prævalitura ibi mordicus tenet & omnis vere pius & Catholicus execratur, determinarentur, ea ex nunc rata statuerit, adeo incircumspecte, ut prius approbet, quam sciat esse approbanda, *qui tamen illam licentiam non habeat veritates fidei decernendi sine se, cum ipsum deceat audire, & non docere, & jam statuta probare atque recipere, non statuere ac probare, quin etiam illas gladio, quem, inquit, per nos accepisti à Deo, tueri atque defendere usque ad sanguinem, & non adversariis partibus quovis modo adherere aut favere. Nam ejusmodi audere, quæ tu audes, quid est aliud, quam miserabiliter Ecclesiam scindere, imo etiam turpiter atque infeliciter ab ipsa Ecclesia temetipsum rescindere & segregare, & reliquam Germania partem, quæ (Dei gratia) hæctenus à tanta labe manserat incontaminata, uno exemplo tecum idem in barathrum errorum adducere, ut relicto fonte aqua viva convertantur ad cisternas dissipatas. Addit porro urgetque curam sacrorum ad Cæsarem minime pertinere, quum ei non sit dictum: *pasce oves meas, sed uni Petro, & in ejus persona cunctis successoribus ejus. Talia qui violet, ea quæ Dei sunt, sibi, ut furem & latronem surripere. Imo defectionem ab Ecclesia Cæsari imputat, & ut perperam acta revocet, monet, ne in se iram Dei de terra provocet & de cælo, quia potentes potenter tormenta pati debeant. Atque, ut fulmina efficacius penetrent, Cæsarem audire vult, quæ summus Deus ex suo ore ei dicat: *per me Reges regnant: ego sum, qui novi super aspidem & basiliscum ambulare &c. terribilis in Reges terræ, regens illos in virga ferrea & confringens eos quasi vas figuli. In mentem etiam ei revocat, quam ob causam Deus per vicarios suos Imperium ad Germanos ex Græcis transfulerit, hocque ipsi in magni commentarii locum relinquit commemoratum. Exprobrat denique, quod fœdera inierit cum schismatico Rege, (Angliæ) & Catholica Ecclesia hoste acerrimo, quem pro horrendo scelere Romana sedes (ipso etiam Cæsare pro-***

proclamante) damnarit, & generale vel nationale concilium, liberum ac Christianum in Germania promiserit, ubi non possit esse liberum & Christianum, sed *Lutheranum*, quia Lutherana factio ibi vigeat & cæteris sit potentior, atque ad arma concurratur; non enim ibi posse esse Christianum, ubi Christi vicarius dicatur Antichristus. Non renuit ergo dare Concilium, etiam in Germania, modo queat esse liberum & Christianum, tale autem dici non posse, ubi hæretici commisceantur, tanquam pars Concilii sint, qui seipsum jam segregarint. Tum etiam liberum fore, si Cæsar arma deponi jusserit, animumque ad pacem vel inducias inclinaverit.

Huic & superiori Epistolæ *Lutherum* opposuisse scriptum Germanicum de *Papatu à Diabolo fundato*, supra monuimus, & ex disertis ejus verbis patet. Tametsi enim sequenti demum anno editus ille sit, tamen huic pertinet, ac inde factum cense-
Lutheri li- ber de Papa- tu à diabolo fundato.
 feri debet, quod serius prodierit, quia nonnisi sub finem hujus anni Epistolarum istarum Pontificis notitia ad Protestantés pervenit. Visum etiam mihi fuit vel propterea summam posteriorum litterarum recensere, quia *Pallavicinus* eos suppressas censuit, *Raynaldus* autem incautius forte publicavit. Ex iis sane Antichristi characteres pellucunt.

Prolixus quidem *Lutheri* tractatus est, operæ tamen pretium esse arbitror ejus hic dare epitomen, cum ad sequentem etiam Sectionem, quam paramus, multum faciat. Post exordium breve, quo ad *Papa* duas contra *Carolus V.* epistolas valde iratas, & jactabundas, non Cæsari, aut ulli præter se jus esse Concilium vel universale, vel nationale convocare, respondere sibi volupe ait, primo rogat quemlibet Christianum, imo sani judicii hominem, an comprehendere queat, quale illud Concilium sit, vel esse possit, ubi abominatio desolationis *Romæ*, *Papa*, sibi reseruet, omnia in concilio decreta rescindendi, mutandi, annihilandi, prout in omnibus fere suis decretis rugiat?

an non ejusmodi Concilium lusus sit & illusio? Nihil enim opus esse tot sumptus impendere in Concilium, si Papa jam ante stauerit omnia in Concilio conclusa sibi subiecta & nihil esse, si non arriserint. Satius fore ut sumtibus parcatur, dicere: *infernalisissime (allerhellischster) Pater, quia perinde est, quicquid vel ante, vel in, vel post Concilium desinitur, Tua infernalitati (Hellschheit) potius sine Conciliis fidem adhibebimus, eamque adorabimus: dic modo ante, Domine, quid vis me facere? Tum de vestra infernalitate late cantabimus: virgo ante partum, in partu, post partum, ut sis casta virgo Maria, qua nec peccavit, nec peccare porro potest.* Hinc narrat, per quatuor & viginti annos in Comitibus Wormatiensibus hucusque, *Concilium universale, liberum & Christianum in Germania, vel Nationale, flagitatum esse, sed obtineri à Pontificibus non potuisse, & tria hæc vocabula, liberum, Christianum, Germanicum, Papæ ejusque Curia nil nisi venenum, mortem & diabolium esse; vereri enim Papam, ne exemplo Constantiensis Concilii, Papa infra Concilium huicque suprema cognitio de actis Pontificum asseratur. Liberum Concilium postulatum à Germanis ait, tale nempe, in quo aures & linguæ liberæ sint, ad proponenda & audienda, quæ ad emendationem Ecclesiæ & abusuum correctionem faciant, maxime vero, ut verbum Dei liberrime locum habeat, & judicio Spiritus Sancti ex eo & secundum illud omnia decendantur, unde & opus sit, Theologos adesse Scripturæ Sacræ peritos. At liberum longe alio sensu intelligi à Pontifice, tale nempe, in quo ipse cum Clero suo ab omni censura liber sit, & omnia relinquatur, ut sint, & probentur, quæ egerit, hoc enim esse antiquum Papatum carmen, ut ipsi imperent Concilio, illiusque decreta probandi aut abolendi jus habeant, pro arbitrio suo; Concilium vero non sit nisi consilium, quod omnibus Pontificis desideriis serviliter assentiatur. Hoc ab illis vocari liberum, & ita intelligendam esse linguam Curia Romanæ,*

næ,

na, ut semper contrarium significet. Porro dicit Christianum Concilium posci à Germanis, candido & simplici animo, in quo nempe de capitibus fidei Christianæ ex verbo divino tractetur; non vero de jure Pontificio, de cingulis, stolis, casulis, calceis, tonsuris, consecrationibus, præbendis, prælaturis, palliis, dignitatibus & rebus frivolis atque ludicris aliis innumeris. Sed Christianum Romæ dici, quod est Pontificium decretisque Paparum conforme, v.g. prohibitionem sacri calicis & conjugiorum Cleri, inventum purgatorii, Missas & similia à Spiritu Sancto damnata. Quod tertium attinet, ut Concilium sit Germanicum, sive fiat in Germania, veteratorie responderi ait à Pontifice, & effugium quæri, verbis illis, quæ in fine referuntur, *si jusseris arma deponi*. Probe enim illum scire, quod hoc non sit in potestate Cæsaris, imo, quod ipse Pontifex semper occasionem & facultatem habeat, Gallos ad arma concitandi, & Concilium, si ita expediat, turbandi.

Hinc refutat illud, quod Papa scribit, *Cæsari non competere jus convocandi concilia*, & opponit exempla Imperatorum Christianorum, *Constantini, Theodosiorum, Martiani, Caroli M. Ludovici pii*, & aliorum, qui concilia indixerunt, ad ea vocarunt, quos voluerunt, iisque ipsi interfuerunt. Ad objectionem, hunc morem in *Decretalibus abrogatum* deinceps esse, respondet, pessime hoc factum. Ad exemplum *Eli*, quod Papa adduxit, quoque se graviter moneri dixit, ne indulgendo Cæsari perperam acta, severitatem divinam provocet, 1. Reg. II. 29. ff. III. 13. ff. regerit, omnino *Paulum III. Heli* similem, & sarris notam esse ipsius turpissimam in filium indulgentiam, & insatiabilem in eo ditando cupiditatem, & notos *Mantuani* versus de Curia Romana adscribit:

--- *Petrique domus polluta fluente
Marcescit luxu. Nulla hic arcana revelo.
Non ignota loquor, liceat vulgata referre.*

Sic

*Sic urbes populique ferunt, ea fama per omnem
Jam vetus, Europam, mores extirpat honestos,
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis,
Seruit honoranda divum Ganymedibus edes.*

*Quid miramur opes recidivaque surgere tecta?
Thuris odorati globulos & cinnama vendit.*

Mollis arabs, Tyrii vestes, venalia nobis

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, corona,

Ignes, thura, preces, cælum est venale Deusque.

Sed hæc vetera, nunc honesti mores sunt.

Pallavicinus valde operosus est, ut impurum suum *Paulum* ab his aliisque sordibus purget; sed laterem lavat, & perlongum esset, *Satana* hujus, ut *Jo. Balæus* de Romani Pontific. actis L. VII. loquitur, *vicarii*, facinora insigniora omnia referre, *parricidia*, *furta*, *veneficia*, *proditiones*, *tyrannides*, *incestus* ac *stupra nefanda*, quæ non tacuerunt scriptores fide digni. *Platina*, qui immodicis laudibus *Paulum* effert, celare non potuit, quod erga suos sanguinis propinquitate sibi conjunctos, (filios scilicet nothos, sorores, cum quibus consuescebat) adeo indulgens fuerit, ut & intemperanter eis faveret, & ad summos honores, aut ad summum auctoritatis locum, stabilesque divitias eosdem proveheret. Quæ vel ideo tangere visum fuit, ut pateat, *Lutherum*, quando eum hominem peccati, *Sodomiticum Papam*, omnium peccatorum autorem & magistrum vocat, nil à vero alienum dixisse.

Cæterum tria discutienda sibi Noster in hoc tractatu proposuit. I. an *Papa Romanus* sit caput *Ecclesie*, supra *Concilia*, *Cæsarem*, *Angelos*, & omnia? Quod non sit, facile probari posse asserit, & patere ex omnibus decretis *Conciliorum veterum*, *historiis* & *scriptis Patrum*, *Hieronymi*, *Augustini*, *Cypriani*, quod *Romanus Episcopus* cæteris non major, sed omnes æquales fuerint. *Gregorium* oblatum primatum repudiasset, nec *universalem Episcopum* appellari voluisse, ultimumque *Romanum Episco-*

Q. I. an *Papa Rom.* sit caput *Ecclesie*.
Negatur.

Episcopum fuisse, ac post ipsum Romanam Ecclesiam nullos amplius Episcopos, sed Papas habuisse, qui larvæ diaboli sint & originem referant ad *Phocam* parricidam, *Bonifacio* III. suprematum conferentem. Hujus successores noluisse ab Imperatoribus dependere, sed à Deo ipso immediate, & hanc potestatem Decretis sanxisse, eoque traxisse Matth. XVI. 18. seq. & Joh. XXI. 16. seq. & per Dei iram magis magisque invaluisse super ceteros Episcopos, ac caput etiam super Reges & Principes extulisse. Hinc liquere, quod non à Deo ortum trahat Papatus, nec in Dei nomine ceperit, sed à diabolo fundatus sit inque ejus nomine in Ecclesiam irrepsit, prout ex pessimis fructibus colligatur, ac porro demonstrari possit à *sufficienti divisione*. Primo enim non esse fundatum à Magistratu civili, & si hic eum constituisset, nihilominus à Diabolo esse, quia Magistratui tale jus in Ecclesiam non comperat: neque *Phocam* id intendisse, sed forte putasse, Pontificem veluti quendam Superintendentem futurum esse, qui observaret doctrinam & disciplinam in Italia & vicinis provinciis, ex Niceni Concilii ordinatione. Impossibile enim esse, ut unus homo omnium Ecclesiarum & Episcoporum inspectionem habeat. Præterea Pontifices ipsos nolle deducere jus suum à Cæsare & Regibus, sed hos potius à se regna accipere velle. Nec II. à Magistratu Ecclesiastico, seu Episcopis totius orbis, aut à Conciliis: neque hanc potestatem eis competere; immo, teste historia, vix ullum reperiri Episcopum aut Ecclesiam, quæ Pontificis imperium sponte receperit, sed omnes potius ei se opposuisse, ac hodieum totius orientis Episcopos Ecclesiasque Papam non respicere, aut unquam pro superiore habuisse. Nec Papam ipsum tribui velle suum dominatum Ecclesiastico Magistratui, aut Conciliis, ut pateat ex ejus Decretis, in primis *Papa Paschalis*, qui, cum *Archiepiscopo Panormitano* pallium hac appendice mitteret, ut se Pontifici jurejurando obstringeret, hicque humiliter significaret,

druck
er. J. J. V. X.

caret, mirari Regem Siciliae & Consiliarios ejus, tale juramentum à se postulari, cum tamen Christus Matth. V. 33. prohibuerit jurare, nec in ullo Concilio id reperiatur, superbe respondit: *putasne Concilia potestatem habere Romanae Ecclesiae terminos praescribendi? An ignoras, omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem facta esse & robur accepisse?* Hinc ex concessis colligit Lutherus, cum Pontifex jus suum neque à Magistratu Politico, neque ab Ecclesia Catholica, quam Christus regit Spiritu suo Sancto, habeat, (non enim nisi duo hi Ordines, de oeconomico jam non est sermo, à Deo instituti sunt, & per hos omnes alios Deus ordinavit) à Diabolo fundatum illud esse oportere. Quod ne gravius duriusve dictum videri queat, ex Scripturae dictis probat, hancque in rem allegat Matth. III. 17. V. 9. I. Pet. IV. 11. Tit. I. 13. Joh. X. 5. 10. 27. Ad ea Scripturae dicta quoque respondet, quibus Pontifices divinam suam originem adstruere laborant, nominatim ad Matth. XVI. 18. 19. *Tues Petrus &c.* XVI. 18. 19. praemissa ironia; non enim magis primatum hinc elici posse, quam ex Gen. I. 1. *in principio*, (id est, Romae) *creavit Deus caelum* (i. e. Pontificem) *& terram*, (i. e. Ecclesiam Christianam) vel ex Jes. I. 3. *cognoscit bos Dominum suum*, (id est, Papa Romanus est Dominus omnium) *& asinus praesepe Domini sui*, (id est, Ecclesia est mancipium Papae) Haec aliaque multa oracula longe clarius in Papam torqueri posse scribit, quam Matth. l. c. eoque facere etiam *Logicam & parva Logicalia*, ut nullus & nemo mordent se in sacco, id est, Papa est Dominus & caput Ecclesiae. Item propositio hypothetica (id est Papa) induta cappa categorica (id est, in urbe Roma) sedet in arbore Porphyrtiana (id est, caput Ecclesiae universalis est) & devorat genera & species, id est, habet potestatem condendi leges) Atque ita in omnibus creaturis scriptum, pictum & praefiguratum esse ait, quod Papa sit caput, judex & Dominus omnium, quae in caelo & terra sunt. Hunc autem probandi modum ipsum Papam ostendisse. Ex c. *solite,*

solite, de majoritate, quando ad Constantinopolitanum Imperatorem scripsit: annon legisti, quod Deus *duo luminaria magna* fecerit, *Solem* (id est, Papam) & *Lunam* (i. e. Imperatorem.)

Circa modum probandi Pontificatum, ostendit dissentire Canonistas. *Glossam* enim dist. 50. c. *considerandum*, & Abbatem c. *significasti*, statuere, quod Matth. l. c. nil faciat pro Pontificatu asserendo, quia sint verba de futuro, & promissoria, sed illud Joh. XXI. 17. *pasce oves meas*. Sic dissentire Pontifices eorumque Juristas: illos enim dicto Matthæi præfractæ inniti dist. 22. c. *omnes &c. sacrosancta &c.* atque adeo sequi, cum Papa rapuerit ad se claves, antequam jus probarit, quod fur & latro possessorque pessimæ fidei sit in spiritualibus & temporalibus, cui eripere Reges Principesque ablata queant. Itaque insignia Papæ, claves & coronam, sputo & stercore conspergenda esse, quoniam tyrannidem suam ex dicto ejusmodi extorquere cupiat, cui reclamet ipsius conscientia & totius antiquitatis testimonium.

Post hæc verum verborum Christi sensum de *petra* ostendit, quod de fide agat, non de operibus nostris, & explicat ex ipsius Petri verbis i. Epist. II. 4. 5. 6. 7. & Pauli Ephes. II. 20. ex quibus locis sic colligit: nullum dubium esse, quin ædificare super petram nil aliud sit, quam in Jesum Christum credere; & unum ex duobus hisce verum esse oportere: Ecclesiam Romanam, si non simul cum aliis omnibus Ecclesiis super hanc Petram ædificata sit, diaboli Ecclesiam esse; at si idem fundamentum habeat cum aliis, non posse eam super alias Ecclesias dominari earumque caput esse. Christum enim lapidem angularem, ignorare duplicem & dispares Ecclesias, & totam Christianitatem credere unam sanctam Ecclesiam, cujus pars sit & esse debeat Romana Ecclesia, non caput, quod soli Christo competat; secus si sit, eam non Christianam sed Antichristianam &

synagogam Papæ esse. Ipsum deinceps textum aggreditur, observatque ad ψ . 15. 16. 1. Christum omnes discipulos interrogare, quis esset, & Petrum nomine omnium respondere, & Patres, *Augustinum, Cyprianum & Chrysostomum* recte dixisse, Petrum *os Apostolorum* fuisse & pro iis omnibus respondisse. 2. Ad ψ . 17. 18. 19. similiter notat, *beatum* prædicari non Petrum tantum, sed omnes alios, qui Christum confitentur filium Dei, & huc tendere totam Scripturam S. 3. *Petrum* dici (*ein Fels*) ideo, quia confessus sit veram Petram, Christum, cui tota Ecclesia superstruenda. 4. *Claves cæli* explicat de remissione vel retentione peccatorum, quæ potestas solvendi & ligandi Apostolis & sanctis nequaquam data sit ad dominatum exercendum super Ecclesiam, sed tantum in peccatorum utilitatem, nec *dominium, sed beneficium* inferant. Neque soli Petro, nedum Papæ Romano, sed omnibus Apostolis & toti Christianitati datas claves, prout Christus ipse explicuerit Matth. XVIII. 18. 19. 20. & duobus quoque vel tribus in suo nomine congregatis, eandem potestatem tribuerit, item Joh. XX. 21. seqq. Urget porro, factum & opus, quod Matthias non à Petro sed per Christum è cælo, mediante sorte, electus & confirmatus sit Apostolus, & cæteri Apostoli æquale jus ac potestatem cum Petro habuerint. Neque enim ulla idonea ratione probari ab adversariis posse, quod reliqui Apostoli Ecclesias suas non nisi sciente & jubente Petro fundaverint. Pontificem autem Rom. si Petri jus sibi arrogare velit, demonstrare debere, quas Ecclesias in orbe Petrus fundaverit, aut quod nullam nisi Romanam fundaverit. Nam si passim in mundo Petrus prædicaverit, & Episcopos constituerit, Papam gloriari non posse, quod solus Petri successor sit, sed cæteros omnes id jure jactitare. Certum autem esse, quod Petrus Hierosolymis & Antiochiæ fuerit, adhæc in *Asia, Ponto, Cappadocia, Bythinia, Galatia*. Has Ecclesias omnes gloriari de eo posse majore cum specie, quam Romanam,

nam,

nam, ad quam nil dederit litterarum: nec, quod ibi fuerit martyrio affectus, solidum argumentum præbere, cum multi martyres ibi vitam finierint, nemo tamen eorum Episcopatum Romanum obtinuerit. De officio Petri quæri, & quomodo Romæ Episcopos ordinaverit. Incertissimum autem esse, quando, ac dubitare quosdam doctos, an unquam Romæ fuerit. Tempus foundationis nullius Ecclesiæ minus exploratum, quam Romanæ, atque conijcere se, non diu post Christi ascensionem ibi constitutam Ecclesiam esse, forte à Judæis Romæ habitantibus, vel advenis Romanis, Act. II. 10. conversis Spiritus S. miraculosa effusione & Petri prædicatione; multos quippe sanctos Romæ à Paulo salutari Rom. XVI. antequam Paulus & Petrus Romam venissent, aut venire eo potuissent, ob edictum Claudii Act. XVIII. 2. Imo ne *Antiochenam* quidem Ecclesiam à Petro fundatam, sed à Barnaba potius aliisve Act. XIII. 1. expressis. Nec referte, an Ecclesiæ ab Apostolo quodam constitutæ sint, idque nec de *Alexandrina*, nec *Hipponensi* afferri posse; eas tamen non minus claras extitisse, quam Romanam, & ab hac esse independentes. Apud Deum enim non esse personarum respectum, & Spiritum spirare ubi vult, nec Romæ alligari. Antichristum dici à Paulo se efferre super omnia, 2. Thess. II. 3. Christianam autem Ecclesiam acquiescere in Christo, unico capite & petra salutis infallibili. Papam igitur & diabolum in ipso, satis gnarum, si verus sensus dicti Matth. XVI. maneret, *quicumque in Christum crediderit, salvus est*, nil effici posse, cum ita blasphemie pervertisse: quicumque Papæ obsequitur, salvus & tutus erit. Quare vehementer invehitur in blasphemum *Nicolai Papa* factum in c. omnes, sic grunnientem: *Omnes, sive Patriarcha cujuslibet apices, sive metropolitæ primatus, aut Episcopatum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet Ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia. Illam vero solus ille fundavit, & supra petram fidei mox nascentis ere-*

xit, qui beato aeternae vitae clavigero terreni simul & caelestis imperii jura commisit. Non ergo qualibet terrena sententia, sed illud verbum, per quod constructum est caelum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam. Illius certe privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium, quia, quisquis cuilibet Ecclesiae jus sumum detrahit, injustitiam facit: qui autem Romanae Ecclesiae privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in heresin labitur.

Tam horrenda haec verba Nostro visa sunt, ut scribat, se desinere, nec in luto blasphemus & infernali, aut in stercore diabolico diutius volutari velle; legat, inquit, alius. Qui Deum vult audire, legat Scripturam s. qui diabolum audire vult, decreta & bullas Pontificum legat. Va, va, va illi, qui Pontifex fit, aut Cardinalis; melius isti homini foret, si nunquam natus esset. Judas Dominum prodidit & morti tradidit: Papa prodit & corrumpit Ecclesiam Christi, quam Dominus chariorem & pretiosorem habuit, quam sanguinem suum, pro illa enim semetipsum immolavit. Va tibi, Papa!

Atque hinc deducit Pontificum affectatum dominatum in Romanum Imperium, exercitamque in Imperatores & Reges saevitiam, quod multos deturbarint ex throno, vel excommunicaverint & trucidaverint, ut *Fridericum II. & III. Caesares*, unicumque haeredem *Conradinum, Philippum, Henricum IV. & V. Ludovicum Bavarum*; non tamen semper impune tulerint, ut exemplo *Philippi, Galliarum Regis, Bonifacium VIII.* carceri mancipantis, confirmat. Interim minus hoc damnum ait esse, quod Papa regnum mundi per tres partes, Europam, Asiam & Africam, triplici corona designatas, affectet; longe majus esse, quod jura quoque caelestis Imperii sibi arrogaverit sub praetextu potestatis clavium, quas non nisi solventes habeat, neque tamen gratis solvat, sed nundinationes instituat,
cultum

cultum Deo soli debitum & sacra omnia mutet & mutilet, pro arbitrio, conscientias humanis mandatis alliget, irretiat, terreat & perdat doctrinis suis dæmoniacis, ut, si diabolus ipse Romæ imperaret, pejus agere nequiret.

Progreditur inde ad alterum dictum à Papa contra Cæsarem prolatum, Joh. XXI. 17. *pasce oves meas*, quod crepat in *Joh. XXI. 17* cap. *significasti extr. de elect.* & in hunc sensum interpretatur, *quod omnes oves Christi, sine discrimine Petro (ejusque successori) commendatae sint, ut quilibet sciat, se non pertinere ad ovile Christi, si Petrum ejusque successorem non agnoscat pro pastore suo.* Quærit hic *Lutherus* haud abs re, quid reliqui Apostoli paverint, an forte mures, pediculos, vel porcos, cum officium Dominus omnibus mandaverit, Matth. XXVIII. 19. & Marc. XVI. 15. nisi hoc quoque soli Petro dictum esse fingant, sicut illud Matth. XVI. Arguit porro, æque absurde & ridicule verba *pasce oves meas*, ad œcumenicum pastorum trahi, ac si quis sic explicaret *Virgilii* verba: *Tityre, tu patula recubans sub tegmine fagi*, id est, tu Papa sedes Romæ, *Sylvestrem tenui meditaris arundine Musam*, i. e. es Dominus super totam Christianitatem. Ad rem & serio respondet: si maxime præceptum illud, *pasce &c.* soli Petro datum esse dicatur, id tamen non pertinere ad Episcopos Romanos, cum idem successionis jus omnes Ecclesiæ à Petro fundatæ allegare potuerint. Neque à fundantis persona, aut à tempore, argumentum sumi posse ad universalem Episcopatum; alioqui *Antiochiam* omnibus præferendam fuisse, in qua & Petrus sedem habuisse dicatur, & in qua primi vocati sint Christiani, Act. XI. 26. Etiam si vero Christus indefinite dixerit, *pasce oves meas*, nec locum nominaverit, neminem tamen sanum inde colligere posse, ac si ex verbis indefinitis universale munus Petro commissum intelligi debeat; cum illo enim consistere nequaquam posse, quæ paulo post solenniter omnibus Apostolis, itemque S. Paulo à Christo mandata sint. Trina
autem

autem illa interrogatione & iussione indicasse Christum, quod nemo pascere oves suas debeat, nisi qui ipsum amet. Probare igitur Pontificem debere, quod id faciat (agnoscit hoc *Paschalis Papa* in d. c. *significasti* & c. scribens: *conditionem apposuit, si diligis me*; sed *Papa Clemens* omisit) dein pascere, ait, non idem est ac Pontificem & supremum Dominum esse, potestatem exercere, Christianos subjugare, Imperatores pedibus conculcare, Reges & Episcopos juramentis obstringere & sibi subjicere; sed pascere, est *Evangelium & fidem prædicare*, & ita Ecclesiam super petra ædificare, & reliqua præstare, quæ *Paulus & Petrus* hinc inde ab Episcopis & Pastoribus exigunt, & quidem gratis & absque mercede, licet alimenta (itidem sine contractu mercenario) præberi Pastoribus debeant; neque gratis solum pascere debere, sed & præmia Prophetarum expectare, quæ *Christus* in eodem loco *Petro* prædixit, & quæ is & multi sancti *Episcopi Romæ* acceperint; cum nunc Pontifices nil patiantur, sed ferro & igne jamdudum grassentur, idque intra annos viginti palam contra Evangelicos crudeliter exercere denovo cœperint. Faciant periculum Imperatores & Reges, & Pontificem adigant, ut Pastoris munus vel in una parochia *Romana* ex præscripto *Christi* administret, deprehensuri sunt, cum, qui nunc totum orbem pascere velit, ne unius quidem oviculæ curam suscepturum esse.

Q. II. an
Papa à ne-
mine judi-
cari possit?

Alterum, quod discutere in hoc libello volebat *Lutherus*, hanc concernit quæstionem: *an Papa à nemine judicari possit, ut in decretis insanit?* Responsonem ex prius dictis *Noster* peti posse facile ait; cum enim inde constet, quale spectrum diabolicum, quam blasphemus & perditus homo sit *Papa*, neminem illum judicandi aut damnandi jus habere, quam qui baptizatus & ratione humana præditus sit. Baptizatum enim stipulari oportere, quod renunciet diabolo & omnibus ejus operibus. *Papæ* autem negotium nil aliud esse, quam opus diaboli; ideo
quo

que quemlibet infantem in Baptismo non solum iudicem constitutum esse super Papam, verum etiam super eius Deum, scilicet Diabolum, juxta Pl. XCI. 13. 1. Cor. VI. 2. 3. Deinde quemlibet sanæ mentis iudicare Papam valere, qui perspectam habeat ejus ignorantiam, avaritiam, & reliqua vitia, omnibus in oculos incurrentia. Et ipsos *Juristas* testari, quod jus Canonicum nil nisi avaritiam, honores & violentiam oleat, & Canonista sit asinus. Imo asinum quemvis, & omnes creaturas cum ipso sanctam Curiam Romanam iudicare posse. Quodlibet enim animal nosse, quid sit, Papasinos autem Romæ nescire, quod sint asini, an sint viri vel fœminæ. Eos nil agere aliud, quam prædari, devorare opes mundi & bona Ecclesiastica, Regibus coronas rapere, & opera contra naturam (*unnatürlich* Rom. I. 26. 27.) ac diabolica patrare, quæ horret omnis creatura, & propter quæ gemit clamatque ad eum, qui ipsam subjecit istiusmodi servitio corruptionis, ut tandem liberetur. Rom. VIII. 20. ff.

Ad exceptionem, hoc iudicium *Lutheri* & hæreticorum de Papa nihili reputari, & longe gravius esse sanctæ sedis iudicium, ut Paulus III. ad Cæsarem scripsit, quod illi ad concilium non debeant admitti, respondet ita: *1. Provoco & appello omnium nostrum nomine, ad sanctam sedem Romanam, illam scilicet, in qua explorantur Papæ, an sint viri, vel mulieres. Si sunt viri, ostendant testes contra nos hæreticos. Si sunt mulieres, dicam illud Pauli: mulier taceat in Ecclesia. Hoc facere cogit vulgata fama, omnem, jam vetus, Europam, quæ mores extirpat honestos. Reges enim & Regina in Curia Romana dicuntur ut plurimum esse palam Hermaphrodita, Androgyni, Cynadi, Pedicones, & similia monstra in natura. At illis non competit iudicium de Hæreticis facere.*

2. Supra se demonstrasse dicit, quod Papasini Romanæ sedis sint crassi, rudes & adeo imperiti asini in Scriptura S. ut ne

Tt tt

quidem

quidem Orationem Dominicam, Decalogum, aut Symbolum Apostolicum intelligant; eos igitur ad iudicandum quid hæresis sit, ineptos nec admittendos esse. Præterea urget 3. quod, cum Confessio nostra Augusta A. XXX. Cæsari & Ordinibus Imperii prælecta fuisset, & Pontificii Principes suos Theologos interrogarent, an non ex Scriptura S. refutari posset, illi hoc negaverint, sed ex Patribus & Conciliis fieri posse dixerint. Ex qua adversariorum confessione hoc elicit, quod nos non simus hæretici, cum Scripturam habeamus, credamus & confiteamur: quodque non audeant nos hæreticos nominare, sed quidam *schismaticos* vocaverint, alii incommodos (*die Unbequemmen*) alii *Novatores*, donec jam *status Protestantes* appellitent. Illud vero, si nullum aliud adesset, sufficiens testimonium præbere, Papam Satanissimum & verum Antichristum esse, quod supremum se constituerit iudicem omnium, ipse autem à nemine iudicare sed libere agere ac vivere velit. Habere enim Ecclesiam Christianam Spiritum S. & Evangelium, ut bona doceat, & mala redarguat, sicut semper fecerit, secundum Christi dictum Joh. XVI. 8. *Spiritus S. redarguet mundum propter peccata*; Papam vero supra hoc verbum esse ac minime redargui velle: quod nil aliud sit, quam supra Deum extolli, cuius est verbum, prout Paulus 2. Thess. II. 4. dicat de Antichristo, & Christi mandato Matth. XVIII. 15. seqq. repugnet, ubi omnes, qui peccant, castigationi subiciat, eosque corripere velit, primo à proximo, deinde ab Ecclesia, ac ne hanc quidem audire eive obedire volentes, pro ethnicis & publicanis haberi. Nullo hic opus esse processu Juridico, exceptione, vel appellatione, cum omnia sint *notoria de facto & jure*. Christum enim hic loqui, cuius iudicium ipse (Lutherus) accipiat & denunciaret hic denuo publice, ut alias sæpe fecerit, omnibus, qui ignorent, vel non intellexerint, quod Papa & Papatus ipse, audire nolens, totus ethnicus, à Deo damnatus, & ex Dei Ecclesia

ecclesia

clesia proscriptus, id est, Diaboli & Antichristianum regnum fit, omnibus detestandum, fugiendum & impugnandum. Quod cum ita sit, non bene nos agere, præsertim Imperatorem, Reges & Principes, quod ita imponi sibi à Papa sinant, cum quo teneantur, si Christiani velint dici, pro meritis agere, ac cujus peccatorum omnium, si ad ea sileant, se participes faciant, quæ ethnicus ille diabolus Romæ in Ecclesia per tot secula patravertit. Nec juramento Papæ præstito eos obstringi; sed eo solutos esse, cum nullus Episcopus, etiam verus, potestatem habeat ab extraneis, liberis personis, Magistratu, aut Episcopo jusjurandum exigendi. Adhæc, juramentum contra Deum præstari non debere, & præstitum idem esse, ac si diabolo ipsi factum sit, agnitumque sine mora rescindendum & contra illud agendum esse, vi primi & secundi præcepti. Itaque hic Juristas *jus repetundarum* exercere posse contra Papam, cum non sit Episcopus, nec Christianus, sed Ethnicus, imo lupo indomitus, omnia vastans & rapiens, claves Ecclesiæ sacrilge ad se solum trahens, iisque ad libidinem & tyrannidem suam abutens. Cæsarem, Reges, Principes, Episcopos & Dominos monendos à JCrīs, ut, si Christiani & salvi esse cupiant, damnatum Papam ad restitutionem omnium, ab initio Papatus hucusque per claves furtivas & mendaces ablatorum, cogant, & si reddere nequeat, quæ abliguriit, vulpinum jus in eo & Cardinalibus exequantur, *dass sie mit der Haut bezahlen müssen*. Hanc tamen penam temporalem non sufficere, ut luant, quod vel unica Bulla aut Decreto sint promeriti. Summam dicendorum his verbis comprehendit: miseræ Romanæ Ecclesiæ, & aliis sub Papatu Ecclesiis, consuli aliter non posse, quam si Papatus cum regimine suo prorsus aboleatur, & verus Episcopus Romæ iterum constituatur, qui Evangelium pure & sincere prædicet, vel per alios prædicari sinat, Imperia & regna missa faciat, utpote ipsi non commissa, ab aliis juramento sibi devincendis abstineat,

super alios Episcopos se non extollat, nec illorum Ecclesias & bona ad se rapiat, aut pallis, annatibus & similibus oneribus gravis sit; posse enim sine his Episcopos Romæ & alibi esse. Petrum noluisse à Centurione Cornelio adorari, Act. X. 25. 26.

Q. III. de
translatione
per Papam
Imperio ad
Germanos.

Denique III. hanc quæstionem disceptat: *an Papa Romanus, ut Christi vicarius, Imperium à Græcis ad Germanos translulerit?* Pernegat autem, & crassimum & palpabile mendacium vocat hanc assertam à Pontificiis translationem, ac quærit primo, unde acceperit Papa Imperium, & quomodo dare possit, quod ipse non habuerit, qui Romæ tutus haud fuerit à *Longobardis*, qui per ducentos annos in Italia regnaverint. Mirabile caput se fore, si Ecclesiastes *Wittenbergensis*, Electori Saxonie regnum Bohemie vel Polonie donare vellet: quemadmodum *Leo X.* Imperium Constantinopolitanum *Francisco I.* Galliarum Regi dederit, qui prudentior Papa fuerit & stultitiam ejus irriserit. Conqueritur deinde, quod Deus, iratus propter peccata nostra, puniverit nos rudibus asinis & malis stultis Romæ, qui existiment, Germanos adeo stupidos & fatuos esse, ut historias non legant, sicut ipsi non legunt. Sed quicquid illi cacent, bestias in Germania pro articulis fidei venerari debere. Ex historiarum autem monumentis patere, quod postquam *Constantinus M.* Imperatoriam sedem *Constantinopolin* transtulisset, Roma paulatim decreverit, donec *Gothi* sub *Honorio* Cesare eam occupaverint, & post hos *Vandali* ac *Longobardi*, ut Roma intra centum annos vel quater occupata & devasta fuerit à solis *Gothis* & *Vandalis*, à quorum jugo Imperatores Constantinopolitani Italos aliosque populos liberare haud potuerint, & ipsi à *Gothis*, *Persis* atque *Saracenis* vexati. *Carolus M.* igitur, Germanie & Gallie regnum obtinentem, & potentissimum illis temporibus Regem, à Pontifice Romano vocatum liberatorem *Longobardos* Italia eiecisse, & nil tale cogitantem à Papa Romanorum Imperatorem proclamatum esse,

esse, inter sacra Natalitia Servatoris, nec hunc titulum accipere voluisse, donec Constantinopolitanus Imperator consenserit, ut in Occidente Imperator appellaretur, sicut ipse per Orientem; transactionem igitur inter duos istos Principes fuisse, non translationem aut donationem Pontificis Romani, qui hic in manifesto mendacio deprehendatur, quando de translato Imperio à Græcis ad Romanos nugetur, quum 1. id fieri non potuerit, sed Orientis Imperium Constantinopolitanus retinuerit, & transactio primum inter *Irenem* Imperatricem & *Carolus*, missis utrinque legatis, facta, & *Venetorum Respubl.* excepta fuerit. Neque allegari posse, quod *Oro II. Rom. Imperator Johannis Constantinopolitani* sororem, *Theophaniam*, duxerit; sic enim ad filium *Ottonem III.* Orientis Imperium transferri per successionem, Pontificem autem ne pilum quidem derivare ad Germanos à Græcis potuisse. 2. Nihil quoque superfuisse ex Imperio Occidentis, quod Carolo à Papa daretur, cum ille jam Germaniam & Galliam ex paterna successione possideret. Nudum igitur nomen Imperatoris Romani *Carolus* à Pontifice accepisse, magnique id successoribus ejus constituisse, & Papas deinceps nostros Imperatores suæ servituti obnoxios reddidisse, eos coronasse, ac sæpe tentasse inanem illum titulum à Germanis in Gallos transferre, ut his eodem modo illudere possent. Ritum autem illum unctionis & coronationis Pontificiæ sperni debuisse à Cæsaribus, cum Pontifices eo pessimæ abusi sint, & Cæsares extiterint sine Papali inauguratione, ut *Ludovicus III.* *Conradus I.* *Henricus I.* *Conradus Suevus*, *Rudolphus*, *Maximilianus*, & alii nonnulli: imo etiam Episcopi sine palliis, per electionem solam, quæ sufficiat.

Tom. VIII. Alt. p. 418--462. Seckendorff pag. 486. b. -- 494.

§. CCCCXV.

Bellum inter *Cæsarem* & *Gallum* diuturnum haud fuit, sed *Pax* inter contra omnium spem & expectationem subita pactione finitum, *Cæsarem* &

T t t 3

Ponti-

*Regem Gall. Pontificis & Sacerdotum studiis, in odium & exitium precipue
inopinata, Protestantium. Nam inter pacis conditiones à Gallis propositas
Pape studio. & pronis auribus ab Imperatore acceptas, hæ quoque erant, ut
P. Suavis refert, quem lubens hic sequor: ut uterque pro virili
veterem religionem propugnaret, Ecclesie recolligenda, Curiaque
Romana emendanda (à quo fonte dissidia manabant) invigilaret:
ea gratia uterque Papam ad Concilium cogendum sollicitaret;
Rex vero Gallie legatione in Germaniam ad Ordinum conven-
tum missa, Protestantes ad assentiendum Concilio hortaretur.
Non poterat id latere Protestantes, cum ex Italia Augustanis
Pontificis & Curie Romanæ læticia, ob pacem istam factam,
concepta nuntiaretur, & Germani Romanarum partium, Ec-
clesiastici maxime, eam non dissimularent, immo vitulari jam
inciperent, & Gallum, quem antea Turca pejorem dicebant,
nunc ut Christianissimum laudabant. Satis igitur nostri intelli-
gebant, id jam agi Romæ, ut, consentientibus jam Cæsare &
Gallo, indicto Concilio Lutheranismus condemnaretur, ac po-
stea non nisi violenta & sanguinaria executio fieret. Arcanas
igitur consultationes ea de re Lutherani instituebant, & Elector
Lutheri ac collegarum consilium exposcebat, qui pie responde-
bant, conservationem puræ & orthodoxæ doctrinæ, humana solum
prudentialiter obtineri non posse; faciendum igitur quantum pro tem-
pore secundum veram voluntatem Dei fieri queat; fugienda au-
tem illicita media esse. Augustanos imprimis angebat, quod fa-
ma ferret, Cæsarem Comitata Wormatia indicta, Augustam
translatum esse; id si fieret, libertatem civilem & sacram, qua
tum gaudebant, in periculum vocatum iri metuebant, eoque
consilium ab aliis petebant, & Landgravius quidem jocosum &
simul serium dedit, ut Johanne Chrysostomo uterentur, id est, ali-
quot florenorum millia Navio aliisque offerrent, qui Cæsarem
ab hoc instituto dimoverent. Evanuit tamen mox metus, quan-
do Cæsar Comitata Wormatia denuo habenda indixit.*

Tom. VIII, Alt. p. 414. a. Sleid. p. 450, Suav. L. II. p. 91. Seck. p. 496. seq.

§. CCCCXVI.

§. CCCCXVI.

Minebat etiam metum, quod nostris pariter ac adversariis cognitum satis perspectumque erat, Pontificem quovis modo Concilium dilaturum, & si salva ejus existimatione fieri posset, plane sublaturum esse. Qua de re Suavem audire placet: Pontificem quidem, inquit, hoc de Concilio Aulæque suæ emendatione caput non adeo sollicitum habuit, qui certus esset, ubi semel huic operi manum admovissent, propter diversos & prope contrarios eorum fines, concordiam inter eos non diu duraturam; nec dubitaret, quando Concilii ope istam reformationem exequi instituisent, sibi perquam facile fore, omnem eam actionem ad amplificandam auctoritatem suam dirigere. Illud eum magis premebat, ne congregato illorum rogatu Concilio, coactus id fecisse videretur; sic enim & existimationem suam imminutum iri, & ingentem animum sumpturos eos, qui de auctoritate Pontificia mitiganda consilia coquebant. Quamobrem Regum sollicitationem prævortendam ratus, pariter dissimulatis omnibus ab Imperatore offensionum causis, (iis haud dubie, quas in epistolis commemoratis ei exprobarerat) etiam recentibus & gravibus, nempe reconciliatione absque suo præscitu facta, & conditionibus adjectis dignitatem ipsius perstringentibus, diploma evulgat, quo universam Ecclesiam hortatus ad exultandum gaudio, ob pacem eam, qua sublatum erat Concilii impedimentum, illud Tridenti restaurat, & ad Idus Martias anni sequentis inchoandum denunciat. Tempus quidem præfixum nimis breve esse sciebat, è re tamen sua futurum putabat, si vel pauci, iique Itali, Aulici, clientes sui primi adessent, & de modo in Concilio procedendi agerent, quod adtuendam dignitatem Pontificiam rei caput esset, eamque pene totam conficeret; horum enim decretis necessario teneri eos, qui deinceps advenirent. Neque novum esse, Concilio generali paucos aliquot dare initium, cum in Pisano & Constantiensi id usu venerit, qui felicem tamen habuere progressum. In expediendis

Papa simul
latum
dium
Con-
cilium
Tri-
dent.
restaurandi.

diendis

diendis quoque legatis festinavit, quibus *diploma legationis* tantum dedit, non autem, pro more, *diploma facultatis*, quam vocant, neque in scriptis mandati formulam, quid illis mandare vellet adhuc incertus, sed pro ratione eventuum, & prout Cæsar actiones suas institueret, consilia capere certus.

P. Suavis pag. 95. seqq.

§. CCCCXVII.

Papæ festinatio Cæsari displicet, quæ primaria Concilii causa esse cupit, hunc igitur ille conciliare sibi studet.

Non placuit *Cæsari* ista Pontificis festinatio, qui cupiebat & ad nominis sui famam, & ad invitandos in concilium Germanos, & multis aliis nominibus, sibi tanquam principali causæ eam actionem tribui. Misit ergo legatos ad omnes Principes, qui denunciationem Concilii significarent, & ad illud invitarent. Multa etiam Præsulibus Hispanis & Belgicis præscripsit, atque in his, ut *Theologi Lovanienses* deliberarent, ac statuerent de dogmatis in concilio proponendis, quæ illi ad XXXII. capita revocarunt, nullo è sacris litteris ad ea firmanda loco adducto, sed velut thesibus magistralem in modum propositis. Ea *Cæsar* edito suo confirmat, dein evulgat cum mandato, ut omnes ea credere & sequi teneantur. Nec animum Papæ offensum celabat, sed & coram Nuncio & apud alios aperte palamque eum prodebat, & cum mense Decembri XIII. Cardinales Papa creasset, & tres ex iis Hispanos, ne hi aut insignia dignitatis acciperent, aut nomen & habitum admitterent, prohibuit. *Theologi Parisienses* etiam à *Rege Gallia* consultare jubentur de dogmatis in concilio proponendis, sed orta inter eos contentione, nihil decretum fuit, hoc tantum statutum, ut in XXV. articulis, ante duos annos evulgatis, omnes acquiescerent. *Pontifex* autem artem arte deludere volens, etiam si Regi Gallia significasset, alieniori esse erga se Cæsarem animo, adeoque cum de mittendis quamprimum legatis ad Concilium, qui sedem Apostolicam vacillantem suffulcirent, interpellasset, tamen Nuntio suo apud Cæsarem mandavit, ut ad omnes occasiones, si quando Cæsar Prote-

Prote-

Protestantibus succenseret, attentus excubaret, eaque opportunitate captata, omnem à se opem & subsidium ad autoritatem Cæsaream armis spiritualibus temporalibusve recuperandam, prolixè offerret. Quod Nuntius quoque sedulo fecit effectumque dedit, adeo officiose, ut Cæsar, qui Papæ opem operamque utraque via rebus suis commodam conspicabatur, de acerbitate multum remiserit, novis illis Purpuratis titulum ornatumque Cardinalium assumere permiserit, & Nuntium ad familiares sermones de rebus Germanicis, & sæpius & lubentius admiserit.

P. Suavis pag. 96.

§. CCCCXVIII.

Sic omni ex parte sibi & regno suo vacillanti præsidia quæ Pontificis
 rere & duabus anchoris inniti voluit Pontifex, nec levis cura *metus &*
 eum incessit sollicitudoque de conventus Ordinum Wormatiæ *astutia.*
 habendi successu. Metuebat enim ex una parte, ne Cæsare, quem *stomachosis suis litteris* commoverat, volente aut permittente, decretum in eo fieret, quod rebus suis magis, quam superiora, præjudicaret; ex altera vero parte ignominiam, si in Comitibus parum honorifice tractaretur. Astutia igitur usus, Nepotem suum *Farnesium Card.* ad Cæsarem mittit, eique imperat, ut iter per Wormatiam faciens, Catholicis, quæ observanda sint, præscribat, & dein ad Cæsarem pergat, ac provideat, ne quid fiat, quod autoritatem suam lædat.

Suav. l.c.

§. CCCCXIX.

Hinc factum, ut impedimenta utrinque cursui Evangelico *Persecutio*
 objicerentur. Nam per Cæsaris provincias & per Belgium multi *in Belgio.*
 passim valde erant cupidi purioris doctrinæ, sed occulte, propter Cæsaris edicta & supplicia; hinc nonnulli litteris Argentinam missis, *Petrum Brulium*, natione Lotharingum, qui ibidem concedente Senatu secundus post *Calvinum* Ecclesiæ Gallicæ minister fuit, accitum ierunt, ut urbes *Flandria, Hannonia,*

Uu uu

Arthe-

Arthesiaque, in quibus non pauci fame coelestis cibi laborabant, inviseret & recrearet. Eo cum venit, fideliter privatim in verbo divino, id desiderantes, informavit per urbes Tornacum, Vallencenas, Atrebatas & Insulas, & hinc ad primum locum regressus, tanto studio & ardore docuit, ut aliquando palam apertis januis convenientes in domo quadam homines pios institueret. Quod cum sacrificuli & Monachi rescivissent, eum apud Magistratum accusant, qui undique conquiri illum iussit, & per urbis muros à fidelibus demissus fractoque crure deprehensus, igne vivus crematus fuit d. XVII. Februar. sequentis anni, nil quicquam pro eo intercedentibus Senatoribus Argentoratensibus & Protestantibus Wormatæ tum agentibus, imprimis autem Electore Saxon. & Hassiæ Landgravio. Exustus etiam antea est hoc anno *Thomas Calbergius*, civis *Tornacensis*, quod ex Psalterio Genevensi aliquot hymnos propria manu in librum quendam peculiarem consignaverat, & examinatus productusque in publicum, fidem de præcipuis religionis Christianæ articulis professus revocare volebat. *Audenarda* quoque *Kilianus de Muelere*, moderator Scholæ ibidem, in vincula conjectus, quod dixisset *Papam esse caput Ecclesiæ*, sed *Romanæ* aut diabolicæ potius, quæ spelunca est latronum & Synagoga Satanæ, & negasset adorandam esse hostiam in missa, purgatorium & similia commenta, ad supplicium deinde deductus, suspensus ac tandem combustus fuit. Idem fatum habuit *Otto Catelina Gandavensis*, qui jam comburendus circumstantes sic allocutus est ex Matth. XXIV. 23. seq. *cavete vobis à Pseudo-prophetis, qui dicent vobis: ecce hic, ecce illic est Christus &c.*

Sleidan. pag. 457. Martyrol. Han. ed. p. 264. ff. & p. 473. 475. ff.

§. CCCCXX.

in Gallia.

In Gallia non minus persecutioni obnoxii fuere Evangelii confesores. Inter quos Lutetiæ duo ad flammam condemnati, & antea linguæ ipsis ex sectæ sunt; sed, quod majorem in re

NOVA

nova admirationem excitat, postmodum non tantum linguæ illæ in ipsa Concilii publici classe reperitur; verum etiam amissis jam linguis suis diserte & articulate loquentes auditi illi fuerunt. Præter cætera etiam ista verba ab adstantibus excepta sunt: *Nos, dicebant, aliquando tandem & peccato, & carni, & mundo, & diabolo, postremum vale dicimus: nunquam cum illis quicquam commune habituri.*

Martyrolog. cir. pag. 474.

§. CCCCXXI.

Interea tamen sisti haud potuit cursus Evangelii, sed latius *Reforma-* etiam illud propagatum est. Nam non tantum *Archiepiscopus tionis pro-* *Colonienfis* in instituta reformatione perrexit, nil moratus *Cle-* *gressus.* *ri & Academiæ* contradictionem & appellationem; sed alii *in Episcopa-* *tu Colon.* quoque ejus exemplum secuti, aut divinitus excitati sunt, ut doctrinam puriorem amplecterentur & promoverent. Inter quos non postremo loco ponendus est *Franciscus*, ex Comitum *Waldeccensium* illustrissima familia, qui & *Osnabrugensem & Monaste-* *Mundensem Episcopatum* regebat, & jamdudum Evangelicæ *riensi.* doctrinæ favere cœperat, eoque connivente, illi in præcipuis urbibus locus fuit: nec deerant ex nobilitate plurimi, minorumque oppidorum incolæ, qui reformationem desiderabant; sed collegia *Canonicorum* acriter resistebant, & *Ordines Monasterienses* opponebant mandatum Cæsareum, quo jubebatur *Capitulum* veteres ritus Christianos, eodem, quo in cathedrali templo, modo ubique servare, cui se obtemperaturos affirmarunt, & ab *Episcopo* postularunt, ut innovationes circa sacra aboleret, & mandati transgressores puniret. Verum *Episcopus* respondit, se mandatum à Cæsare non habere, & id, quod *Capitulum* haberet, interpretari secundum decretum *Comitiorum Ratisbonensium*, ita, ut religio cultusque eo statu servetur, qui à se aliquot in locis ad normam fidei Christianæ, & veteris Apostolicæque Ecclesiæ ritum formatus esset; sibi enim

Uu uu 2

cum

cum ex decreto illo, tum jure Principis incumbere, ut populum in provincia sua ad doctrinam Evangelii & disciplinam Christianam, per pastores pios & Evangelicos, instruat, cum non sine dolore deprehenderit, populum vera pœnitentiæ notitia nequaquam imbutum, immo male informatum esse, ut gratiam Dei apud statuas, reliquias, & in ceremoniis quæreret, fidem autem in Jesum Christum, quæ nec sine contritione, nec sine charitate & studio vere bonorum operum esset, negligeret, Sacramentorum vim & usum ignoraret &c. His de causis temotum, ut aliquod, tunc licet, initium emendationis in quibusdam provinciæ suæ locis, pura verbi prædicatione & Sacramentorum administratione, ex præscripto divino fecerit; paratum quoque cum ipsis ulterius hac de re tractare, ac debitum obsequium Deo & verbo ejus præstare: nec dubitare, quin apud Cæsarem & omnes respondere de hoc suo instituto possit. Si vero res aliter cadat, & obstacula objiciantur, ferenda illa & Deo magis obediendum esse, quam hominibus. At Capitulo in Cæsareo mandato persistente, destinata optime ab Episcopo successu destituta fuerunt. Capitulum tamen, Episcopo post triennium Romam citato, ejus defensionem suscepit.

Mersbur-
gensis.

In *Mersburgensi Episcopatu* mors *Sigismundi a Lindenau* januam aperuit uberiori reformationi, quando Canonici, tribus duntaxat absentibus exceptis, unanimi consilio, *Augusto* Saxon. Duci, fratri *Mauritii*, adolescenti octodecim annorum, egregium illum præsulatum, cui nec *Misnensis* nec *Numburgensis* par est, detulerunt, nulla reservatione, nisi ut arbitrium de ritibus in Ecclesia cathedrali integrum sibi relinqueretur: (maxima enim ditionis Episcopalis pars jam tum Evangelicæ doctrinæ addicta erat.) Augustus igitur promte ita oblatum Episcopatum accipiebat, neque Clericatus aut sacerdotii cœlibatusve vinculo obstringebatur, & prudenti consilio, retento sibi regimine Episcopatus politico cum redditibus, sacrorum curam *Georgio*
Prin-

Principi Anhaltino, inter Canonicos Seniori, & Ecclesiæ Metropolitanæ Magdeburgensis Præposito, Episcopali item Misnensi, sub titulo *Administratoris* in rebus spiritualibus exercendam tradebat, cui etiam consensu *Mauritii* Ducis inspectio districtus Lipsiensis & Thuringiæ, quatenus *Mauritio* suberat, committebatur. Quam bene puritati religionis in amplissimo illo Præfulatu prospectum fuerit, & quam egregie *Georgius* Anhaltinus officium Episcopale administraverit, prolixum nimis foret enumerare. Nullum enim genus aut argumentum veræ laudis, viro Ecclesiastico tribuendæ, inveniri potest, quod ille non meruerit, ita ut sui temporis eximium decus, sequentibus exemplum prope inimitabile, haberi possit. *B. D. Veielius* autem & *Illustr. Seckendorffius* hoc nos labore sublevarunt, quod grato animo agnoscere par est.

In *Pomerania* similiter religionis Evangelicæ impedimentum sublatum est morte *Erasmi Manteufelii*, Episcopi *Caminensis*, qui pertinaciter veteri religioni seu superstitioni adhærebat, & Reformationi in *Pomerania* maxime adversabatur. Ducibus enim *Pomeraniæ* commune jus erat in Episcopatum, iisque Episcopus majori vinculo obstringebatur, quam alibi in hierarchia Romana fieri consueverat, habebantque facultatem nominandi Episcopos. Sed, cum in diversa tum abirent *Barnimus* & *Philippus* Duces, Elect. *Saxoniæ* & *Hassii* eos monuerunt, ut virum sapientem, qui ad *Pauli* præscriptum isto munere recte fungi posset, spretis abusibus veteribus, eligerent. Qui obsecuti monitis, *Bugenhagius* Episcopatum de Capituli totiusque provinciæ desiderio, detulerunt, ac eo nomine splendidam legationem *Wittenbergam* miserunt. Accipere vero spartam hanc diu acriter renuit *Bugenhagius*, & vix persuaderi potuit à legatis, palam dicentibus, nisi consentiret, fore, ut bellum inter Duces, qui de alio præter ipsum convenire non possent, oriretur. At mox mœror cum summa mentis angustia eum incessit,

Uu uu 3

stulce

stulte se consensisse confessus est, & Deum rogavit supplex, ut se ab hoc nexu liberaret, exauditum quoque se affirmans, multas rationes protulit, cur Episcopatum illum suscipere non posset. Ad hoc tamen se obtulit, si alius constitutus esset Episcopus, quod, indulgente Electore & viribus permittentibus, eo rursus proficisci, & ad ordinandas Ecclesias denuo operam conferre vellet, quæ vere esset Episcopalis.

Albertus Borussiarum Dux, de cuius pio in reformanda religione studio supra dictum est, hoc anno ordinationem Ecclesiasticam denuo, ex Comitiorum provincialium decreto, recudi fecit, novis quibusdam constitutionibus auctam. *Academiæ* quoque *Regiomontam* fundavit, privilegiis & immunitatibus ornavit, bonisque legibus firmavit. Primus Rector ibi fuit *Georg. Sabinus, Schulerus* dictus, J. V. D. & Poëta elegans, gener *Melanchthonis*, qui tamen ejus mores non semper probavit.

Rigenfi.

Sub finem hujus anni Legati à *Guilielmo Brandenburgico*, Archiepiscopo Rigenfi, ad Elect. Saxoniarum & Landgravium missi venerunt, multa de Senatu urbis, quæ in fœderis Smalcaldici protectione erat, conquerentes & de jurisdictione, quam ex dimidia parte Archiepiscopus, ex altera *Magister ordinis equestris Livonici* sibi vindicabant. Cumque *Archiepiscopus* infimularetur, ac si non satis æquus esset puriori doctrinæ, per legatos Lutheranis se satis purgavit, ac detexit aulae Cæsareæ molimina, quæ Magistrum ordinis, *Jo. Reckium*, & quosdam Livoniarum & Curlandiæ Episcopos secretis mandatis instruxerat, ne posthac ullum ad Archiepiscopatum pervenire sinerent, qui veterem religionem non profiteretur. Ipsi etiam frater *Albertus*, de sinceritate & constantia in puriore doctrina certos securosque esse iussit Proceres Smalcaldicos, ac retulit, reformationem apud subditos susceptam ab eo esse, at non solum equites Ordinis, sed etiam quosdam in urbe Riga inhærere superstitioni veteri, vel clam ei favere.

Roten-

Rotenburgi denique ad Tubarim Evangelicæ religionis urbe Rotemburg.
exercitium publica autoritate constitutum est, magna cum
prudencia & constantia Senatus, eo præsertim tempore peri-
culoso.

Sleidan, p. 445. seq. Seckendorf, pag. 497--515.

§. CCCCXXII.

Inter scripta Lutheri, primum locum occupat opus cceptum Lutheri
in *Genesin*, quam publice prælegit & exposuit; pars enim præ-
lectionum hoc anno prodiit sub hoc titulo: *In primum librum* ^{scripta exeo}
Mose, Enarrationes Reverendi Patris D. Martini Lutheri, plena ^{getica & ho-}
salutaris & Christiana eruditionis, bona fide & diligenter collecta. ^{miletica.}
Cum præfatione Lutheri ad Lectorem, & Viti Theodori, ad Jo-
hannem Ernestum, Saxonie Ducem. Absolutæ tamen sunt hæ
enarrationes anno sequenti & uno volumine editæ.

Johannis Caput XVI. publicis concionibus exposuit, &
Apoc. XII. 7. seqq. in festo Michaëlis, ubi, cum pauca differuisset
de Angelis creatis, statim tractare incipit de *Angelo increa-*
ta, sive de Filio Dei, Jesu Christo; ad hunc enim tendere
omnia in Scriptura S. tanquam fundamentum totius doctrinæ
Christianæ, eoque pertinere omnia, quæ de Deo, de Angelis,
de cælo & inferno, de morte & vita docentur. *Michaëlem* pro-
bat esse Filium Dei, cui soli nomen competat, *הוּאֵהוּ* quis sicut
Dominus? Quis similis Domino inter filios Dei? Nemini enim
nisi soli divinæ majestati hoc convenire, ac alibi Scripturam
vocare Christum *imaginem Dei invisibilis* Col. I. 16. & *splendo-*
rem gloriae characteremque hypostaseos ejus, Ebr. I. 3. Ostendit
etiam Christum sæpius apparuisse Patribus, in primis Abrahamo
& Jacobo, sub forma Angeli, & attributa operaque divina ei
adscribi, qualia Angelo creato non competant.

Habuit etiam Concionem Dom. XVII. Trinit. super
Evang. Luc. XIV. 1. ff. in sacelli Torgaviensis inauguratione,
quod primum erat à reformatione ccepta exstructum, ac Ele-
ctor,

ctor,

Etor, insuper habitis omnibus ritibus veteribus, sola verbi divini prædicatione & precibus initiari voluit. *Lutherus* quoque in præloquio monuit, ea sola sufficere, neque chrisma aut suffitum Episcoporum requiri. De pio Sabbathi cultu inprimis agit, qui verbi prædicatione & oratione publica præcipue constet.

Quatuor sequuntur Conciones de *Resurrectione mortuorum*, ad 1. Cor. XV. 36. seqq. hoc & sequenti anno habitæ, sed ob argumenti convenientiam conjunctæ.

Polemica.

Ad *Polemica* refero *Confessionem brevem de S. Cæna*, occasione à *Schwenckfeldio* suppeditata, editam. Cum enim illum in schedula, cujus supra mentionem fecimus, una cum *Sacramentariis* eadem censura perstrinxisset, & ob abrogatum anno proximo ritum elevationis, in suspensionem *Zwvngliana* doctrinæ se venisse percepisset, diffensum suum à Sacramentariis publico hoc testimonio, quod morti vicinus, ad tribunal Dei allaturus sit, confirmaturum se esse profiteretur. Alias occasiones, quas *Peucerus*, *Pezelius* alique hariolati sunt, prætereo, quas *Seckendorffius* adduxit & refutavit. Narrat ipse *Lutherus*, quod in colloquio Marburgensi cum *Zwvnglio* & *Oecolampadio* instituto consentire non potuerit, speraverit tamen fore, ut aliquando etiam de hoc articulo conventio fieret. At cum non sine horrore legerit *Expositionem fidei Christiana* à *Zwvnglio* editam & Regi Galliarum inscriptam, in qua salutem Ethnicorū asserat, inde se collegisse profanam ejus mentem, & quod non serio Marpurgi egerit, ac ab eo tempore omnem spem de iis, qui sententiam *Zwvnglii* sequerentur, abjecisse. Revocat itaque in memoriam repetitque quæ illi contra doctrinam sanam de Sacramento acerbius scripserunt dixeruntve, de *Deo panaceo*, de *Capernaitis*, *Anthropophagis*, *cænis Thyesteis*, & similia. Tanto iniquius & protervius vero in se suosque ista spargi, & Papisticum errorem sibi tribui docet, quanto evidentius constet, quod

quod tam cruda & carnalia nunquam docuerit: immo, ne in *Papatu* quidem talia fuisse audita, quod corpus frustatim comedatur, aut sanguis particulatim hauriatur, sed sonuisse ibi veterem hymnum: *sumit unus, sumunt mille, tantum iste, quantum ille, nec sumtus absumitur.* Vehementer igitur exaggerat adversariorum scommata, à quibus omnino per reverentiam Sacramenti abstinere debuissent, si per impossibile verum esset, quod dictitent, nil nisi panem & vinum in S. Cœna esse. Subjicit porro verba satis acerba, quæ Helvetios vehementer offenderunt, & unde Pontificii veteres pariter ac recentiores magnam convitiandi ansam arripuerunt. *Ego, inquit, illorum Deum simili ratione (sicuti nostrum impanatum vocant,) etiam appellare potuissem, & appellarem, nisi nomini Dei parcerem; vero quippe nomine eos insignire possem, quod non solum sint panivori & vinibibi, sed etiam animarum devoratores & interfectores, und sie ein eingeteufelt/durchgeteufelt/überteufelt/lästerlich Herk und Lügenmaul hätten.* Recenset deinceps varias Sacramentarium sententias & opiniones, in quas scissi sint, septem & amplius, ac hos spiritus omnes inter se dissidentes, in hoc tamen convenire ait sensu sc. sublimi & spirituali, quod panis sit panis, & vinum sit vinum. S. Cœnam itaque nihil aliud illis esse, quam vulgare & quotidianum convivium, ubi panis & vinum adsunt. Nam his præsentibus de Christo disseri, legi, laudari atque adeo spiritualiter edi posse, æque ac in S. Cœna: & Christum stulte fecisse, quod peculiarem cœnam instituerit, qua mundus antea plenus fuerit. Suffecisse quippe, si dixisset: quando & ubicunque panem comederitis & vinum biberitis, facite in mei memoriam, sicut Paulus dicat Coloss. III. 17. *quicquid feceritis in nomine Domini Jesu Christi facite &c.* Posthæc refellit objectiones adversariorum præcipuas, vel alibi à se refutatas indicat, ut Joh. VI. 63. *caro nihil prodest, & Christus ascendit in caelos,* Eph. IV. 8. 10. Et quia satis monitos dicit eos, atque convictos, nolle se

X x x x

amplius

amplius cum iis disceptare affirmat. Tandem etiam ad argumentum ex *elevatione* petitum sibi que objectum, ut supra indicavimus, respondet

Ex *Epistolis* hoc anno scriptis paucæ memorantur, quas in Indice indicabimus. Interim qui summam earum nosse desiderat, *Seckendorffium* adeat.

Tom. VIII. Alt. p. 345 -- 413. Seckendorff. p. 515. seqq.

§. CCCCXXIII.

*An. 1545.
formare
formationis à
Theol. Wit-
tenbergens.
jussu Electo-
ris concin-
nata.*

Cum anno M. D. XLV. *Comitia Wormatiæ* habenda Cæsar indixisset, ac jam Spiræ mandasset, ut quilibet Procerum formam & modum reformationis à viris doctis & piis concinnari curaret, *Elect. Sax. Theologis Wittenbergensibus* injunxit, ut collatis consiliis *sententiam* suam de toto regimine *Ecclesiæ & Reformatione Christiana* aperirent, ac indicarent, in quibus per D. G. persistere constanter & immutabiliter vellent ac possent. Promte illi parateque jussa exequuntur, licet haud celarent, se non sperare posse, ut *Episcopi & indocta, impia & superba Capitula Canonorum*, doctrinam Christianam & pias ceremonias unquam reciperent. Libellum ab iis conscriptum exhibet integrum *Seckendorffius* diligentissime descriptum, additis diversis lectionibus, quæ in editione *Pezeliana*, in Palatinatu *Neostadii* anno 1600. procurata, reperiuntur, & annotationibus quibusdam.

*Eius sum-
ma.*

Nos summa duntaxat capita indicabimus, ut vel de argumento generatim constet. Titulus hic erat: *Vera & salutaris reformatio seu gubernatio Ecclesiæ Christi præcipue in his quinque, (vel sex) membris consistit:*

Primum, in vera & pura doctrina, quam Deus Ecclesiæ suæ, certis & manifestis testimoniis patefecit, tradidit & doceri mandavit, & cui alligavit Ecclesiam, extruxitque super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Eph. II. 20. cujusque summa in *Aug. Confess. continetur.*

Secun-

Secundo, in legitimo usu Sacramentorum, secundum institutionem Christi.

Tertio, in conservatione ministerii Evangelici, & obedientia erga pastores Ecclesiarum: sicut Deus vult & postulat conservari ministerium Evangelii, & servat ipse sua potentia & presentia.

Quarto, in conservatione honesta & pia disciplina, retinenda per judicia Ecclesiastica, seu jurisdictionem Ecclesiasticam.

Quinto, in conservandis studiis necessaria doctrina & scholis.

Sexto, ad hac opus est defensione corporali & facultatibus, ad personas, qua sunt in officiis necessariis, alendas.

Placuit hic libellus Electori, cum leniter & moderate scriptus esset, nec dubitavit Pontanus, cui Elector perlegendum miserat, eundem fructum, Deo volente, ex hac reformatione expectandum esse, ac ex Aug. Confessione. Elector scriptum postea cum Landgravio communicavit, hicque d. VIII. Febr. respondit & Theologorum suorum litteras de eo misit, qui nihil omnino invenire se dicebant, quod mutandum aut emendandum esset, præter ea, quæ Landgravius observasset. Tam modeste enim compositam esse reformationem, ut, si ab adversariis rejiciatur, nullatenus præterea cedendum, sed Dei judicio causa committenda sit. Suadent etiam, ut denuo revisa & emendata, five ab altera parte acceptetur, five recusetur, typis excusa, ad omniū notitiam promoveatur. Quæ Landgravius monuerat de infantum Christianorum ante Baptismum acceptum decedentium salute, de potestate Episcopis permittenda, si puram doctrinam recipiant, & causis matrimonialibus, Saxonici amice receperunt, & mentem suam modeste plenius explicarunt, ut Landgravius acquiesceret. Bucerus etiam Consultationem de Reformatione edidit, sed Electori minus placuit, cum ob verborum tum quod

Approbatio
Electoris &
Landgra-
vii.

cenferet *Bucerus*, accusandos esse coram *Cæsare* & Ordinibus Episcopos, five potius ipsum Pontificem &c.

Seckendorff. pag. 521 -- 543.

§. CCCCXXIV.

Acta in Comitibus de pace, an per Concil. Trid. indictionem finita sit?

Comitia Imperii indicta d. XXIV. Martii initium ceperunt; *Cæsar* enim articulari morbo impeditus, eo tam cito, pro ut quidem constituerat, venire non poterat, legatos tamen ibi habebat *Cardinalem Augustanum*, *Ottonem Truchsessum*, & *Friedericum Furstenbergium Comitem*. Ex Principibus nemo aderat, metuebant enim, ne indictum à Pontifice Concilium pro termino & fine pacis in Germania de religione hucusque constitutæ haberetur. Nihil autem omittebant Legati *Cæsarei*, ut suspicionem illam Protestantibus eximerent, allegabantque in primis, Concilium tempore Comitiorum *Spirensium* jam indictum esse, & ita pro termino pacificationis ibi initæ haberi non posse, neque à Protestantibus *Spiræ* aliquid hac de re monitum esse. Nostri regerebant, se videre, quod Pontifex ita instituerit Concilium, ut iudicis partes manifesto sibi sumeret, neque alios suffragatores admitteret, quam quos juramenti vinculo obstrictos haberet; quapropter cum plura ausurus esset, machinationibus occurri & declarari debere, quod pax sit servanda nullo ad illud Concilium habito respectu. Principes enim non tantum pro se suisque personis in Comitibus comparere, sed obligari etiam, ut pro provincialibus civitatibus & subditis suis eam gerant, horumque incolumitatem tueantur; cum his quoque de subsidiis, ad bellum *Turcicum* præstandis, domi consultandum, ac de pace illis prospiciendum esse, ut suas quisque facultates, uxores, liberos, in tuto futuros esse scirent; illis enim alias perinde esse, five à *Turcis* five ab aliis ea sibi eriperentur. Cumque ad hæc non in genere tantum pacis continuatio, nulla Concilii mentione facta, promitteretur, sed & responderetur d. XXIV. April. de Concilio, *Cæsarem* quidem non posse illi aliarumque nationum

nationum consensui resistere, si tamen per illud concordia in religione non obtineretur, nec reformatio juri & rationi conveniens, ac necessaria, succederet, tunc Cæsarem cum Ordinibus ulterius consulturum esse, Legati Saxonici cæterique Evangelici regerebant, *etiamsi alia nationes Concilio Tridentino se submitterent, sibi tamen non licere repugnare conscientia, & solidis ex S. Scripturarationibus, ut causam adversariorum judicio deferant; ideoque non sufficere oblata Cæsarea, sed pacis prolongationem diserte fieri debere, usque ad Concilium liberum & Christianum, atque plenam de religione transactionem. Facile conventurum esse Pontificem cum clientibus suis, reformationem quoque instituturum, quæ suo juri, suisque rationibus conveniret; sed quod aeterno verbo Dei & consuetudini veteris & vera Ecclesia Apostolica (secundum quam reformatio fieri deberet) conformis sit futura, se ex argumentis & exemplis notabilibus expectare non posse, fore potius, ut errores confirmentur; licet etiam postea Cæsar, ut jam obtulisset, denuo tractare vellet, partem oppositam non esse cessuram. Disceptatum etiam de jurisdictione Camerali, quam non tantum ratione causarum præteritarum sed & futurarum, quæ ad religionem pertinebant, Evangelici rejiciebant, &, antequam sibi in his capitibus satisfaceret, consultationes de bello Turcico, etiam sine præjudicio & salvis capitibus illis habendas, plane recusabant, sicque à Principibus suis mandatum esse dicebant. Ferdinandus Rex & ipse Cæsar facti sunt, in sua potestate non esse, ut Concilium impediatur, petieruntque aliquid ab Evangelicis proponi, in quo Cæsar honeste iis gratificari posset; ac suaserunt, ut suspensiones & querelas suas contra Pontificem in Concilio proponerent; si enim nationes in Concilio comparuerint, nihil valituras decisiones Pontificis, sed aliter actum iri: Cæsarem contra Concilium nullam Evangelicis securitatem præstare posse, ac ne sibi ipsi quidem. Legati regerebant, de pace & securitate omnino He-*

ris suis cavendum esse caverique debere; satis enim patere, quod Concilium pacis tollendæ causa indictum sit, Pontificis malam administrationem & introductos abusus satis demonstratos esse, eum *Lutheranos jam Bullis suis damnasse*, ea etiam, qua Concilium indixisset. Sed *impossibilia postulari* à Nostri dicebant *Cæsareani*, licet nihil quam promissionem de pace flagitarent, & alia proponi media vellent. *Granvellanus* satis acerbe altercari & paria Nostri objicere cœpit, ac inter alia quoque *Anabaptismum*; sed omnia illi facile diluebant. Unde mitior factus, una cum *Navio* Cæsaris nomine hæc obtulit: curaturum eum esse, ut Concilium rite & legitime haberetur, ac Evangelici sufficienter audirentur, ita tamen ut postea etiam decretis obtemperarent. Si vero interea & usque ad Comitium proxima aliquid iniqui & molesti à Concilio ageretur, Cæsarem de remedio & concordia cogitaturum, & interim pacem servaturum esse. Ad hæc *Legati*: semper *Evangelicos postulasse Concilium liberum*, tale vero non esse, quod *Tridenti* habeatur, in quo *Pontifex*, licet pars sit, iudex esse velit, contradictum semper huic molimini esse, & speciatim anno 1541. constare tamen, quod Papa illud pro legitimo venditet, in quo ipse cum suis decidat. Nihil profuturum, etiamsi audiantur Evangelici, cum adversarii iudicis partes sibi sumserint; iudicium igitur deferendum esse viris piis & honestis, ab utraque parte delectis, qui secundum verbum Dei & formam vetustissimorum Conciliorum atque primitivæ Ecclesiæ, pronunciarent & reformarent. *Tridentum* Italicam potius, quam Germanicam urbem esse, eo *mitti Theologos suos non posse*, *machinationes clandestinas à Papa metuendas* esse; si vero Concilium liberum & Christianum in Germania convocetur, & prius de modo procedendi conveniatur, ita sese gesturos esse Evangelicos, ut nullius culpæ rei sint futuri. Pacem itaque postulant usque ad piam, amicam, & integram transactionem de religione ineundam, in
Con-

Concllio libero, Christiano & partibus non obnoxio, vel in nationali, vel in Comitiiis generalibus, quæ tria media Spiræ anno 1544. approbata fuerint, à quibus discedere non possint. Ad quæ *Palatinus Elector Fridericus*, Mediator inter Cæsarem & Evangelicos electus, regessit, Spiræ nuper Concilio ratione loci non esse contradictum, ideoque *Tridenti* esse comparendum. In Germania Concilium haberi non posse ob plebis immodestiam. Palatino autem respondit legatus Electoris Saxon. nomine reliquorum, Evangelicos omnino & nominatim contra locum Concilii sive Tridentum in Comitiiis Spirensibus A. 1542. protestationem interposuisse, Decreto Comitiali insertam, & superiore anno etiam, adversus quodcunque Concilium, quod Pontifex indiceret. *Palatinus* ubi obfirmatos vidit Protestantes, suavit Cæsari, ut ad concordiam in religione faciendam Concilium Nationale, vel Comitii generalia convocaret, & quæ inter Germanos conventum esset, *Tridentum* mitteret, pacemque servaret, etsi in Concilio isto pacta illa non approbentur. Non displicere hoc consilium Cæsar prætulit & Evangelicis renunciari iussit, qui consenserunt; sed cum Romanæ religioni addicti Proceres hunc modum non approbarent, frustra statui de colloquio Nostri regesserunt, & *decretum Spirense* superioris anni de servanda pace nominatim repeti postularunt, cum alioqui non satis tuti sint futuri; Cæsari quidem se non diffidere, sed adversæ partis consilia sibi esse suspecta. Verum Cæsar se excusavit, quod Spirense decretum allegare nominatim nequeat, pollicitus tamen est, se præcedentia decreta omnia in genere per modum decreti repetiturum, inter quæ *Spirense* comprehendatur, permissurum etiam, ut Evangelici protestarentur, quod idem simul speciatim intelligerent. Sed illi perspiciebant callide agi, neque istis verborum strophis fidi satis posse; tandem igitur in prorogationem Comitiorum ad d. VI. Jan. anni sequentis *Ratisbona* habendorum

dorum

XXXIII 2

dorum eamque decreti formulam confenserunt, quæ d. IV. *Augusti* publicata est, qua inter alia exprimitur, quod, cum in hoc conventu nihil de religione suscipi potuerit, visum fuerit è re, quatuor ex utraque dissidentium parte collocutores & auditores ordinare, qui ante futura Comitia *Ratisbona* conveniant, controversias religionis aggrediantur, ac de omnibus, quæcum *S. Scriptura* congruant, & *Ecclesia* salutem atque abusuum emendationem promoveri videantur, *Christiane* & amice agant, ad solius *Dei* gloriam & veram atque *Christianam* unionem & reformationem *Ecclesia*, rejecto omni obstaculo, respicientes; de iis postea in Comitibus referant, quo cum Ordinibus Imperii deliberari, & pia perfecta que unio iniri queat. Deinde subjicitur mandatum de pace servanda secundum constitutionem de pace publica (A. 1521) & omnes ac singulos recessus pacificationum, sicut ab Ordinibus ex utraque parte acceptati essent. *Cameræ* denique ad paucissimos redactæ reformationem ad futurum conventum rejicit, ne fatalia, quæ vocant, processuum periclitentur. In hujus decreti caput illud, quod est de colloquio Doctorum, Pontificii se non consentire, Cæsari tamen modum non præscribere, testati sunt; *Augustana* vero *Confess. additi* repetierunt superiorem actionem de Concilii recusatione, & *Spirensis* decreti novissimi valore. Dux hæ protestationes in parenthesis Decreto insertæ sunt, & facile hinc colligi potest, ex parte Pontificiorum, ad Papam respicientium, fomitem quasi belli, in cineribus jam gliscentis, occultatum esse; nam illa clausula, prout acceptati ab utraque parte recessus essent, illos absolvebat à crimine pacis fractæ, qui expresse non consensissent in Recessus, & contra obedientiam Cæsari, ex officio regio & plenitudine potestatis agentis, promissam, excipere poterant, se id fecisse ex necessitate & pacis causa, cum Protestantibus, majoribus tunc instructis viribus, resistere haud potuerint; cessanteque conditione, obligationem quoque cessare.

Sleidan. pag. 459. seqq. Seckendorff. pag. 543. seqq.

§. ccccxv.

§. CCCCXXV.

Hinc elucet, in his quoque Comitibus summa cum calliditate actum esse cum Protestantibus, instinctu haud dubie legati Pontificii *Farnesii*, qui simulac audivit *Cæsarem* *Wormatiam* venisse, cum eo & Rege *Ferdinando* seorsim egit, ac mandatum suum de Concilio exposuit, quod quia *Sleidanus* paucis duntaxit verbis expressit, *Suavis* autem prolixè retulit, ex hoc transcribendum potius quam excerptum censui. *A Pontifice* quidem, dicebat, *legatis datam* Concilii aperiendi potestatem; sed ipsos rursus expectare rerum in eo, qui tunc habebatur, *Ordinum* conventu gestarum, nuncium. Neque magnopere attendendum, quid Protestantes contra Concilium obganniant; quando, quæ ab ipsis adferuntur impedimenta, nova non sint, sed multo antequam de Concilio sermo institueretur, prævisa; non esse dubitandum ipsos, qui obedientia jugo, religionis Christianæ fundamento, excusso, tam multa impie nefarieque innovarint contra ritus tot sæculis religiose observatos, atque à tot venerandis Conciliis approbatos, huic quoque Concilio jam jam inchoando, quantumvis legitimo, Oecumenico, & Christiano, quod ab eo errores suos damnatum iri certo sibi persuadeant, eadem animorum obstinatione recalcitraturos. Itaque non aliud superesse, nisi ut *Cæsar* eos vel auctoritatis suæ amplitudine ad obedientiam flectat, aut armorum violentia ad parendum adigat. Nisi id fiat, & neque ad eorum errores damnandos porro eat, neque damnatis erroribus, ad eosdem abdicandos cogantur, tum apud omnes invalituram eam opinionem, hæreticos utique dominari, Pontificem & *Cæsarem* iis obsecundare. Pontificem certe, qui lenitatis viam primum tentandam putarit, nunc existimare, validioribus utendum magisque efficacibus remediis, atque omnino armis experiendum. Ea gratia se concedere ei partem Ecclesiasticarum obventionum in Hispania, & permittere venditionem clientelarum in plerisque Ecclesiis, atque de suo præter pecuniarum sub-

Callide actum
in his Comitibus cum
Protestantibus instinctu
Farnesii,
Cæsarem ad arma contra eos hortantibus.

Yy yy

fidium

fidium promittere peditum millia duodecim, & equites quingentos suis sumptibus alendos: operam quoque suam apud alios Italiae Principes, ut in id bellum auxilia subministrarent. In quodam Cæsar incumbit, se non defuturum armis spiritualibus ac temporalibus eos aggredi, qui ipsi in dominiis suis negotium facessere studeant. Speciatim vero & præcipue impugnat promissum nomine Cæsarum in conventu Ordinum Imperii factum, de convocando alio conventu ad controversias religionis definiendas, si Concilium generale non progrediatur, ostenditque non licere Cæsari captato inde colore nova in Recessu indicere Comitia.

Cæsaris re-
sponso.

Ad hæc Cæsar respondit sigillatim, de Concilio vero inchoando nihil definite, sed interdum aiebat, potuisse inchoari loco magis opportuno: interdum, ante apertionem multa necessario providenda. Unde manifeste videbat Cardinalis, ipsum omnia eupere suspensa, ut pro eventuum varietate, ad aperiendum, aut dissolvendum Concilium, sua consilia inclinaret. Ad illud, de alio Ordinum conventu non indicendo, in quo de religione ageretur, in genere & indefinite respondit, se auctoritatem Pontificiam, quanti debeat, & possit, semper æstimaturum. Quod vero Lutheranos Pontifex bello censeret laceffendos, id se consilium vehementer probare, & viam, quam proponeret, libenter amplectari: debitam tamen cautionem adhibendam. Nam & inducias cum Turcis, quas interventu Regis Galliae sedulo & clam nunc tractet, prius pacificandas, & Protestantes, qui magno numero sint, & potentia formidabili, vel à se invicem disjungendos, vel ex improviso adoriendos; alioqui bellum fore anceps & periculosum. Institutum hoc retrusum atque abditum custodiendum quoad occasio detur: ubi ea apparebit, missurum, qui cum Pontifice agat. Interim, quas Pontifex offerat conditiones, se haud quaquam recusare.

Franciscus

Tametsi vero belli molitiones occultæ essent, Protestantibus

buis

bus tamen suspicionis causam dedit *monachus* quidam *Franciscanus* viru-
Italus, quo ad *Carolus*, *Ferdinandum*, *Farnesium*, *Episcopum* lenta con-
Augustanum & *Granvellanum*, aliosque, concionem habens, cione Casa-
 gressus est ad *Lutheranos*, & multa atrocitate in eos investus, rem ad bel-
 tandem oratione ad *Cæsarem* conversa, dixit: *tempus est*, lum contra
tissime Cæsar, *ut officium tuum facias*: *nimis diu cessatum est*, Luthev. ac-
jam pridem confectam rem esse oportuit: *ornavit te Deus ingen-*
tibus beneficiis, *teque constituit Ecclesia defensorem*: *quapropter*
exere vires tuas, & *pestiferum illud genus hominum tollas e medio*.
Nefas enim est eos diutius intueri solem, *qui sic omnia polluunt at-*
que confundunt: *Neque vero dicas te facturum*; *jam enim*, *jam*,
inquam, *fieri debet*, *nec interponi moram ullam oportet*. *Quot*
autem hominum millia de salute perpetua periclitari quotidie pu-
tas per istorum vesaniam, *quos omneis abs te sane Deus reposcet*,
nisi remedium mature adhibeas.

Hæc concio non modo Protestantibus, ut *Suavis* aperte fatetur, injecit suspicionem, sed etiam occasionem existimandi, id ei à legato Pontif. imperatum, ex publica oratione, quid privatim ac secreto ageretur, conjecturam capientibus. *Granvellanus* sane hoc classico fertur offensus esse (forte & Cæsar) vel quod ita simularet, vel quod Protestantibus hoc esse videret cautionis loco. Cardinalis, ut his rumoribus mederetur, sibi que consuleret, de nocte clanculum discessit, Romamque magna celeritate contendit. Auxit etiam Protestantium opinionem, quod ex litteris Roma scriptis nuntiatum esset, Pontificem, cum centuriones aliquot dimitteret, spem eis fecisse, se eorum operam anno proxime sequenti ad bellum conducturum. *Maimburgius* laudat hanc Cæsar's calliditatem, & pro singulari Principum arte deprædicat, quod odium & decretum contra Protestantes bellum occultaverit. *Seckendorffius* tamen in mitionem partem interpretatur.

Tom. VIII. Alt. pag. 503. b. Sleid. p. 467. seq. Suav. p. 105. seq. Seckend. pag. 551. b. 552. a.

Evangelicorum candor & integritas.

Utcunque vero id se habeat, Evangelici, quamvis animadvertent, callide secum agere Pontificios, pii candoris specimen dederunt, dum pacis, ad breve licet tempus servandæ, & conscientiæ causa, rupturam, quam instare nemo non videbat, quamdiu licebat, evitabant, & veluti scientes decipi se sinebant, non celantes interea suspensiones, nec tamen quemquam contrario astu circumvenientes. Nam etiam si *Gallici Legati*, ad terrorem Evangelicis incutiendum, prout inter *Cæsarem & Regem* convenerat, adessent, & clam Nostros animarent, ac spem amicitiae societatisque regiae denuo facerent; tamen blanditias illas spreverunt, nec quicquam contra *Cæsarem* agere voluerunt. *Saxoniae Elector* propterea neque cum *Rege Angliæ*, foedus denuo offerente & quærente, iniiit, neque *Galliæ Regis* petito, ut pacem inter Anglum & se procuraret, annuit, sed ob invidiam declinandam ad foederatos rejecit. Eandem ob causam etiam *Cæsari*, sequestrationem *Ducatus Guelferbytani* serio rursus urgenti, obsecuti sunt, qui confestim *Henrico* mandavit, ut legibus rem gerat, ab armis abstinere. Ille vero *Cæsari* non paruit, sed etiam proterve oblocutus, ejusque Consiliarios, *Granvellanum* in primis, ac *Navium* odiose criminatus est, ac occulte copias coëgit, ut amissa recuperaret. Interim Evangelici inter se statuunt, ut in ditionibus & civitatibus publica admonitiones de suggestu fierent ad corrigendos mores & veros fructus doctrinae Evangelicæ demonstrandos. Sequentem enim veram penitentiam & contritionem (peravolte wahre Reu und Aenderung) sperandum esse, ut *Deus* adversariorum consilia mirabili modo frangat. Conventum quoque est, ut quique curarent à viris idoneis causas expendi & consignari, cur *Concilium Tridentinum* recusandum esset, & ad eas examinandas aliaque negotia expedienda, conventum indixerunt *Francofurti* mense Decembri habendum.

Seckendorff. pag. 522. seq.

§. CCCCXXVII.

§. CCCCXXVII.

Cum de Concilio Tridentino multus in Comitibus sermo esset, Elector Saxoniae exempla libri de Conciliis A. 1539. editi, distribui iussit, qui tamen nec ab Evangelicis omnibus approbatur, neophytis praesertim, qualis tunc erat *Electoꝝ Palatinus*. Graviorem tamen offensam peperit alius *Lutheri liber*, hoc anno lingua populari scriptus *adversus Pontificatum Romanum à Diabolo constitutum*, cum propter picturam praefixam, tum propter acerbiter styli summam. *Pictura*, ut *Sleidanus* retulit, summam argumenti statim indicabat; conspiciebatur enim *Papa* in sublimi cathedra sedens, junctis & protensis manibus ornatu solenni; sed auribus asininis. Circa erant plurimae daemones variis figuris, quorum alii superimponebant ejus capiti diadema triplex, oleo fastigiatum: alii funibus eum demittebant in medium infernum, horribili specie subjectum: alii titiones & ligna comportabant: alii, tanquam officiosi, pedes ei sublevabant, ut recta molliterque descendat. Alteram quoque, eodem *Sleidano* referente, tunc emisit picturam. *Sui ample & mammosae* (per quam designabat Germaniam) *Papa* infidebat, quam calcariibus fodit: dextrae digitis duobus pollicis proximis bene precatus occurrentibus, sinistra oletum tenens, adhuc recens & fumans, ad cujus nidorem porca suspiciebat, & rictu naribusque praedam captabat; ille vero per ludibrium & acerbè bestiam increpans, ut me fessorem, inquit, habeas, & calcaria mea perferas oportet, quantum vis id invita facias: *de Concilio mihi satis jam diu molestiam exhibes, quo me traducas, & libere criminari possis: en illud, quod tantopere petis, Concilium*. Haec ludicra plerique vehementer improbabant, tanquam parum viro gravi digna neque satis verecunda, quaeque nil nisi exasperationes & scandala parerent. Unde Legati Saxonici litteras Comitibus Nuenarii mittebant ad Electorem, quibus inliberè talia petebat. Ad quae Elector Legatis respondit: *D. Martinum habere*

Y y y y 3

bere

bere spiritum singularem, qui sibi in hujusmodi rebus & alias (hierinnen noch sonst) modum poni non patiat. Nec dubitandum esse, quin graves causas habuerit, cur tam aspera verba adhibuerit. Excitatum eum esse singulariter contra Papatum, ut illum prosternat: nec id eum sentire aut agere, ut Papatum converteret, hoc enim impossibile esse, ideoque lenibus verbis minime opus habere. Illud intendit, ut rem tam clare proponat, quo quisque abominationes Papatu deprehendere & cavere queat. Arbitrari etiam se, Pontificem non ista saltem verba aut similia, sed etiam longe alia & majora meruisse. Atque propterea neque patrum neque parentem suum, neque seipsum illi quicquam prescripsisse, aliam enim longe illum intentionem habere, quam qua ab aliis penetratur. Itaque se impedire non posse, si sint, qui scandalum inde accipiant. Queritur etiam, quod Cochlei quidam libellus acerbissimus publice in confesso Ordinum lectus fuerit. Ferdinandum Regem constat illum Lutheri libellum totum perlegisse & ita de eo judicasse: si verba aspera expungerentur, haud male cetera à Luthero scripta esse.

*Irritatus
Lutherus
fabula in
Italia de sua
morte infelici
sparsa.*

Irritari quoque potuit Lutherus scripto quodam brevi ignominioso, de ejus morte ab Italis sparso & Roma, Neapoli aliisque in locis typis excuso, à Landgravio ad Electorem misso, qui illud Luthero transmisit. Mentiebantur autem malevoli impudentissime, ex Christianissimi Regis Legati litteris se accepisse horrendum & inauditum miraculum, à Deo benedicto editum in morte infelicissima Martini Lutheri, corpore & anima damnati, quod in honorem & gloriam Jesu Christi, terrorem malorum, & solatium piorum publicare visum fuerit. Fabulae autem summa hæc est: Lutherum periculose ægrotantem S. Cœnam desiderasse, eaque accepta mox exspirasse; ante mortem autem, cum lethalem sensisset morbum, rogasse, ut corpus suum altari impositum divino cultu adoraretur; sed divinam bonitatem ac providentiam, ejus errori pernicioso finem facere volentem,
mira-

miraculum patrasse sequens. Simulac enim (neglecto isto mandato) cadaver ejus in sepulchro conderetur, excitatam esse tantam in aëre tempestatem, ac si diaboli & inferni corruerent, (sate sicle Teuffel und Höll untereinander) ut omnes in summum terrorem conjicerentur; vidisse deinde eos, qui aderant, cum oculos in caelum elearent, sanctissimam hostiam, quam accipere *Lutherus*, tam indignus scilicet, ausus fuerit, in aëre suspensam esse; hanc vero illos summa cum veneratione apprehendisse, atque in loco sancto reposuisse, & sic cessasse tempestatem. Sed nocte secuta, atrociorum turbinem rediisse cum vehementissimo omnium stupore & metu; atque ideo populum surrexisse & immane quantum consternatum fuisse. Aperto autem, cum illuxisset, *Lutheri* sepulchro, repertum impium corpus ejus non esse, neque quicquam ex eo reliquum fuisse, sed ex sepulchro foetorem sulphureum intolerabilem erupisse, ex quo adstantes in morbum inciderint, indeque multi resipuerint, & ad Ecclesiam Catholicam se converterint, quæ columna sit veritatis.

Lutherus ipse hoc mendacium Italicum typis vulgari fecit, cum inscriptione & præloquio hoc carmine comprehenso:

Mendacium Italicum, de D. Martini Lutheri morte, Romæ editum.

Papa, quid agroto sua fata precare Luthero,

Nil melius vivas, seu moriaris, habes.

Is tua, dum vivit, pestis te adstigit & urit.

Mors tua tunc certe, cum morietur, erit.

Dura lues pestis, sed mors est durior illa:

Elige nunc utrum, perfide Papa, velis.

Epilogi vero loco pauca hunc in sensum subscripsit: *Et ego Martinus Lutherus Doctor, testor hac mea scriptura, me figmentum hoc furiosum de mea morte accepisse d. XXI. Martii, & libenter latanterque legisse, exceptis blasphemis, dum istud mendacium*

daciunt

dacium divina Majestati tribuitur. Me enim alioqui valde titillat & delectat (Germanice per proverbium *sich effertur, es thut mir sanfft auf der rechten Kniescheiben/ und an der lincken Ferßen*) quod mihi Diabolus ejusque squama, Papa & Papista, tam vehementer infensi sint. Deus illos à Diabolo reducat & convertat. Si vero decretum divinitus fuerit, ut preces meae pro peccato ad mortem (ab ipsis commisso) irrita sint, faxit Deus, ut mensuram suam impleant, nec alios quam hujusmodi libellos in solatium & gaudium suum scribant. Mittamus eos vadere, quo vadunt, sic voluerunt. Ego interim videbo, an salvari possint, & quomodo poenitentiam acturi sint de omnibus mendaciis ac blasphemis suis, quibus mundum replent.

Occasio fabule moribus Lutheri.

Fama autem de obitu Lutheri hinc dimanavit, quod hoc anno vir Dei variis corporis infirmitatibus, calculo, pedum tumore, & animi mœroribus confectus, mortem sibi ipsi praesagierit, & tædii dolorisque impatiens, Wittenberga ex improvise abierit, & nunquam eo redire constituerit, ob Jctorum in causis matrimonialibus, speciatim desponsalibus clandestinis, contradictionem, pravam disciplinam Studiosorum, lasciviam fœminarum, aliaque vitia ibi grassantia, quemadmodum ex litteris ejus ad uxorem missis, constat, quibus eam monuit, ut Wittenberga veluti ex Sodoma, abiret, & in prædium Zeulsdorfense, in præfectura Bornensi, cis Lipsiam, sese reciperet; hunc enim annum vita sua ultimum esse, & sperare se missionem ab Electore, utque salarium suum brevi hoc tempore retineret: se vicissim illi domum majorem olim sibi donatam, gratis restitutum esse. Intercedente deinceps Academia apud Electorem, & hoc ad Lutherum Medicum suum mittente atque petente, ut Wittenbergam rediret, ut id faceret, ægre persuaderi se passus est.

Tom. VIII. Alt. p. 415 -- 417. pag. 501. seq. 504. a. Sleidan. p. 468. seq. Seckendorff. pag. 556. & 580 -- 583.

§. CCCCXXVIII.

§. CCCCXXXVIII.

Sed ut à privatis *Lutheri* rebus ad publicas redeam, easque paucis absolvam, unde ordiar & ubi definam, fere ignoro: ita omnia turbata erant & Nostris exitium minitabantur. *Hispani, Itali & Galli* valde insolentes fuerunt, & conspirasse videbantur in perniciem & extirpationem Evangelicorum: nec poterant satis tegi odia, quæ fovebant, & belli molimina, quæ meditabantur, quin erumperent passim magis magisque. In ipsas *Comitiis Wormatiae* idprehenderunt Nostris. Parum enim abfuit, quin *Hispanorum* zelo civitas illa beneficio Evangelicæ prædicationis, quæ per viginti annos in templo Dominicanorum fruebatur, sub Cæsaris adventum privata fuisset. *Persecutiones in Belgio* contra Evangelicos sæviebant, edictis atrocissimis Cæsaris ibi renovatis & summo cum rigore executioni mandatis. Quæ continuata sævitia ad terrorem Protestantibus incutiendum pertinere videbatur, eamque Cæsareani excusabant ita, ut dicerent, eos, qui punirentur, esse ex *Anabaptistis* aut *Davidis Georgii* sectatoribus. Hispani sane, ut ex certis constabat relationibus, jactabant, se non Germaniam solum, sed & Pontificem Cæsari subjecturos, eumque in verum & plena potestate præditum Imperatorem evecturos esse. *Thannius* Legatus Electoris Saxon. Hero suo significavit, sibi ex *Italia* relatum nihilque certius esse, quam ut anno proximo Cæsar & Pontifex Evangelicos bello oppressuri sint. *Henricus Brunsvicensis*, instructus auro *Gallico*, quam potuit occultissime, militum manus conduxit, & ex agro *Verdensi* ac *Bremensi*, post damna sociis *Smalcaldici* fœderis in itinere illata, Ducatum suum ingressus, *Steinbruccum* & *Schoningam*, arces, totamque pene regionem, spe pacis aut sequestrationis male munitam, occupavit, & *Guelferbytum* obsidione cinxit. *Landgravius* autem coactis subito ex provinciis suis copiis & adjutus ab Electore, eum cum filio *Carolo* deditione cepit, & Cæsari significavit, &

Facies temporum vitiosa Evangelicis.

Henricus Brunsvic. grassatur, ac deditur Landgravio.

Zz zz

secre-

*Lutherus
eum detinendum
monet.*

secreta quædam molimina in ipsum Imperatorem & *Ferdinandum* fratrem, ex chartis repertis detexit. Verum hic felix Evangelicorum successus ita exasperavit Cæsarem & Pontificem, ut tanto vehementius proposito suo de bello Evangelicis inferendo insisterent. *Lutherus* itaque, quem aliosque non latebant istæ fraudes adversariorum, suasu hortatuque magnorum virorum, libellum per modum Epistolæ ad *Electorem & Landgrævium* scripsit, eosque monuit, ne *Henricum* dimittant, cum Deus ipse singulariter & mirabiliter ejus tyrannidem & sævitiam hac ratione coercuerit, & metuendum sit, liberum factum pejorem futurum, præsertim cum nulla vera emendatio aut pœnitentia ab eo sperari queat. *Achabi* historiam commodum in memoriam iis revocat, quod *Benhadadum*, Regem Syriæ, à Deo in manus *Achabi* traditum, dimittens, pœnam in se derivasset eandem, quam hosti inferre debuisset. *Henricum* enim *Commissarium*, ut vocari voluit, *Pontificis*, & Ducem fœderis, quod perperam defensivum nominent, quum non nisi ad persecutionem & oppressionem Evangelicorum tendat, utique auspiciis & opibus Pontificis bellum & machinatum & secutura majora molimina fuisse, si primi conatus successissent. Eo igitur, qui fax & tuba fuerit, tam cito & sine præstita satisfactione dimisso, nec beneficium divinum, quo victus fuerit, grata mente agnosci, & adversariorum superbiam malitamque augeri & confirmari. Ad *exceptionem*, quæ fieri poterat, teneri Evangelicos ad misericordiam exercendam erga *Henricum*, respondet, hanc veram esse, ut eo retento, occasio majorum criminum tollatur, & ipsi pœnitentia emendationis & satisfactionis via ostendatur. Intempestivam autem, imo impiam esse misericordiam, si quis malorum ita misereatur, ut peccandi novas vires occasionesque ipsis suppeditet.

Tom. VIII. Alt. p. 462. b. -- 471. Sleidan. p. 472. ff. Seckendorff. pag. 366 seq.

§. ccccxxix.

§. CCCCXXIX.

Posthæc consultationes varias instituerunt Protestantes *Consultant*
 de Concilio *Tridenti* indicto, & de *Comitiis Ratisbonensibus*. De *Evangelici*
 illo fere consentiebant, quod pro libero Concilio haberi ne- *de Concil.*
 queat, nec Legati eo mitti debeant. Hæc autem *Cæsar* proro- *Trid. & Co-*
 gavit ad d. XVI. Decembris. Quæ cunctatio Nostros novis *mit. Ratis-*
 suspitionibus turbavit. Interim *Saxo & Landgravius* inter se *bonens.*
 convenerunt & collocutores denominarunt *Melanchthonem*,
Bucerum, *Snepfium*, *Brentium*; auditores *Francisc. Burcardum*,
Cancellarium Saxon. Volradum Comitem Waldeccensem, *Balta-*
sarem à Gultlingen, & *Hier. Baumgartnerum*, Senatorem *Norim-*
berg, cumque hic adesse non posset, *Electör Sax.* monuit Sena-
 tum hujus urbis, ut virum in puriore doctrina constantem pro
 eo mittat. Valde etiam sollicitus idem *Electör* fuit *Buceri* cau-
 sa, & invitatus consensit, ut locum inter collocutores haberet,
 quia vero *Melanchthon* affirmavit, nihil ab eo metuendum esse,
Snepho & Brentio præsentibus, utpote longe acrioribus, quam
 ut *Bucero* cedant, acquievit, licet exiguam aut plane nullam de
 successu colloquii spem haberet, ac modum circumspiceret,
 quo illud evitari posset. *Lutherus* etiam idem sensit, quemad-
 modum ex ejus ad *Electorem* litteris liquet, quibus rogat Prin-
 cipem, ut mature prudenterque consideret, an *Melanchthon* *Ra-*
tisbonam mitti debeat, cum nullius momenti & successus col-
 loquium sit futurum. Non habere *Melanchthonem* virum, qui
 dignus sit, eum quo disputet. *D. Georgium Majorem* sufficientis-
 simum esse, si nil nisi affirmare, aut negare posset. Adesse etiam
Snepfium & Brentium, viros satis cordatos & doctos. Adhæc,
 revera ægotare *Philippum*, nec in periculum eum esse conji-
 cendum; juniores etiam *Doctores* in acie collocari & post se-
 niores proloqui discere debere. Hæc propterea addere necesse
 est, quia *Hospinianus* *Lutherum* vel ex invidia, vel malevolen-
 tia in *Melanchthonem* suasisse suspicatur, ut domi relinquatur.

Serius nonnihil Electorales advenerunt Ratisbonã, ac solus quidam D. Major cum D. Laurentio Zochio Jcto, hoc instructi mandato, ut collocutores in agnita veritate & puritate doctrinæ persisterent, nec ulla ratione ab ea dimoveri se sinant, aut ex substantia dogmatum quicquam remittant; Electorem enim in contrarium cum animæ & conscientiæ suæ damno minime esse consensurum: deinde, ut pro norma habeant *Augustanam Confessionem & Apologiam*. Datum illis quoque est, quod simul sequi deberent, exemplum consultationis anno 1545. à *Luthero & reliquis Wittenbergæ* conscriptum. Quod vel ideo notandum est, ut enixa & repetita voluntas Electoris ad transigendum de *Episcoporum autoritate & de bonis Ecclesiasticis* denuo appareat, & culpa continuati dissidii & belli secuti ab eo removeatur. Addebatur, ut *Bucero* non permittant singulares opiniones proponere, & si id ausurus esset, ut ex literis Prætoris Argentoratensis, *Jacobi Sturmii*, eum compescerent. D. Majorem abiturum Ratisbonam non sine gravi monito dimisit *Lutherus*. In aditu enim Musei *Lutheri Major* hæc verba ejus manu scripta reperit & legit: *nostri Professores examinandi sunt de Cæna Domini*, ac quid ea sibi vellent, quæsit, cui *Lutherus* respondit, id ipsum, quod sonarent, & ex colloquio redeuntem *Majorem* rationem reddere & examen subire debere, juxta cum aliis. Posteaquam igitur *Major* à suspitione multis obtestationibus ac clara confessione se purgavit, *Lutherus* addit: si crederet, quod coram affirmaret, debere illum idem etiam proloqui in Ecclesia, in lectionibus, concionibus & privatis colloquiis, confirmare fratres, reducere errantes in viam, & contumacibus spiritibus resistere; alioqui confessionem larvatam & nullam esse. Hæc atque alia talia D. Major expendit, *Luthero* gratias egit, observaturum se recepit, & sæpe hosce magni viri sermones narravit.

Tom. VIII. Alt. pag. 502. b. 503. a. Seckendorff. pag. 576. seq. & pag. 621. a.

§ cccxxx.

§. CCCCXXX.

Periculosum ergo maxime hoc tempus erat, præsertim cum *De fœderis*
inter ipsos etiam Protestantes quædam similitates obortæ essent, *Smalcaldi-*
nempe fœderatos Smalcaldicos, ac de continuando fœdere quæ-
situm. Theologi Wittenberg. ad Electoris postulatam respon-
derunt, illud omnino continuandum esse, ac has rationes attu-
lerunt: (1.) quod per id tot annis à vi inferenda deterriti sint
adversarii. Et si enim divina misericordia initium reformatio-
nis factum sit, & Deus Ecclesiam colligere in his temporibus
cœperit, verum cultum multis in locis restituerit, *errores Pon-*
tificios redarguerit, & *Epicureismo* ex Italia in Germaniam viam
aliquatenus obstruxerit; Diabolum tamen, ut solet, homines
turbulentos ad seditiones & divisiones impulisse, *Muntzerum*
aliosque; sed qui fœderatorum autoritate repressi sint: dissolu-
to fœdere, & cessante inter Principes communicatione, motui
debere, ne opiniones & sectæ multiplicentur. (2.) Hujus fœ-
deris continuatione effectum esse, ut contrarium illud, magno
astu Norimbergæ (anno 1538.) procuratum, licet ei *Ferdinandus*
Rex, *Georgius Saxo*, *Bavari*, *Moguntinus* & *Brunsvicensis* no-
men dederint, causæ Evangelicæ tamen non nocuerit, & *Brunsv-*
wicensis, vir temerarius, qui ducatum fœderis susceperit, captus
sit, quidam etiam ex illo jam obierint. Hæc omnia divinæ pro-
videntiæ accepta ferenda esse, & hac concordia, post Deum,
sterisse huc usque rem Evangelicam. Deum igitur precantur,
ut & Doctoribus consensum in dogmatibus orthodoxis largia-
tur, & Principum animos uniat, ut quamdiu fieri possit, in fœ-
dere hoc persistant, neque ipsi illud dissolvant; nam etsi sum-
ma industria concordiam colant, Diabolum tamen non cessa-
turum, ut unionem illam dissipet: operam potius impenden-
dam esse dicunt, ut plures in consortium attrahantur; fœdera
enim, pro tutela religionis veræ inita, si bonis legibus ordinen-
tur, Christiana esse & Deo placere. Interim ad Dei gloriam

unice respiciendum eique soli confidendum, nec cum alienis à religione societatem ineundam esse, cum non careat periculo & successum fortiatum non prosperum, prout exempla doceant. Hinc dissuadent, *Helvetios* in fœdus recipiendos esse.

Seckendorff. pag. 576. b. 577. seq.

§. CCCCXXXI.

*Persecutio-
nes, Valden-
sum in pri-
mis.*

Ad hoc fœdus inter Evangelicos continuandum impelle-
re quoque socios poterant continuatæ passim persecuciones, in
Belgio, ut diximus, & Gallia cum primis, contra *Valdenses*, apud
Merindolum & *Cabrieram*, quorum doctrinæ capita & dira sup-
plicia prolixè enarravit *Sleidanus* L. XVI. Commentar. & ad-
huc copiosius *Epitomator Martyrologii* L. III. unde ea tantum
promemus, quæ *Guilielmus Bellajus Langejus*, (cujus sæpius su-
pra passim mentio facta fuit) *Taurini* Prorex, de eorum inno-
centia, post accuratissimam inquisitionem, apud *Franciscum*
Regem, ex Provincialium reliquorum testimonio, retulit: *Me-
rindolienses esse amatores maxime pacis & tranquillitatis; mo-
rum suavitate, conformatone singulari, nec non aquabilitate vita
quadam praditos; dictorum conventorumque veritate & con-
stantia commendabiles; nomina, si qua fecissent, aut expungere
omnino, si tum quidem possent, aut certe transferre, eos vero, qui
in are essent ipsorum, nunquam injus vocare suetos; atque hac de
caussa potissimum & ornatos honoribus, & amoris vinculo singu-
lari cum vicinis esse junctos: Eleemosynarum beneficio viatorum
difficultates eos sublevare; sed & suorum egestatem, quatenus
illi necessitate premantur, humaniter ac pie sustentare; ut temere
jurent, aut obscæna proferant, eos adduci non posse; sed nec
ipsum diaboli vocabulum ab ipsis unquam audiri: quod si ali-
cubi versentur, ubi aut lasciva alicujus rei commemoratione, aut
blasphemiarum aliquo genere Deum ab hominibus offendi arbi-
trentur, illinc confestim se submovere: quum ad nundinas aut
mercatus urbium vicinarum, ad negotiandum excurrant, in tem-
plis*

plis eos vix unquam conspici; sin conspiciantur interdum, aversas tamen inter orandum habere facies ab imaginibus; quibus nec cereos offerant, nec oscula pedibus figant; reliquias etiam sanctorum eos adorare nunquam, ac ne dignari quidem obrutu; nec crucibus illis ligneis aut lapideis, juxta vias publicas erectis, ullum honorem exhibere; lustrationibus etiam, peregrinationibus religiosi ac confessionibus ipsos plane nihil tribuere; quin si vel obulo remissionem à Sacerdote propositam redimere possint, id eos tamen omnino negligere: ad tonitrua ac fulgetra se crucis signo minime communire; sed ex imo suspirantes, aut oculos in cælum attollere aut flexis genibus Deum adorare: pro luminaribus denique, ac templorum ornata nihil in pelvim eos mittere; sed in subsidium afflictorum atque pauperum expensas ejusmodi ferre.

Verum hoc tam insigni elogio & testimonio obtineri non potuit, quo minus isti probissimæ notæ homines extreme affligerentur. Nec juvabat ipsos, quod Cardinalis Sadoletus, & quidam Theologiæ Doctor, ab Episcopo Cabellionensi ad examinandam confessionem Merindoliensium constitutus, fassi fuerint, sibi nihil admodum in ea displicuisse, ac hic etiam dixerit, se nunquam fuisse attonitum, quam quum Confessionis articulos expendisset, atque sacrarum litterarum testimonia, in ea adducta, diligenter contulisset: tota se vita tantum in divinis scripturis non profecisse, quantum illis octo diebus, quibus Scripturæ locos in articulis istis allegatos excutere coactus esset.

Sleidan. pag. 463. seqq. Martyrolog. pag. 267. ff.

§. CCCCXXXII.

Similiter Pontifici curæ cordique fuit, ut in Italia vi & mi- *In Italia,*
nis lucem Evangelicam extingueret, sicut hoc ipso anno ejus in-
stinctu Mantua & Ferraria factum esse Raynaldus refert.

Inquisitionis Hispanicæ & Lusitanicæ sæ vitia facis nota est, *Lusitania.*
& exemplo etiam inter paganos caret; interim vix credibile
est, eam etiam nimiam Romæ visam fuisse, quod tamen con-
firmat

firmat

firmat *Raynaldus* apud *Seckendorffium*. Cum enim neophyti ex Mohammedanis conversi, ob minimas suspiciones in carceres raptati, & tanquam relapsi atrociter excruciantur, ac tandem vivi comburentur, querelis miserorum commotus Pontifex, Regem Lusitaniæ monuit, ut moderationem adhiberet, & cum Rex in sententia perstitisset, acriter ad eum rescriptit effecitque, ut aliquamdiu abstineret.

Seckendorff. pag. 579. a. 580. a.

§. CCCCXXXIII.

*Progressus
doctrina
Evangelica
in Italia.*

Inter tanta vero pericula & tot persecutiones, Evangelicæ doctrinæ progressus opprimi plane non potuit, sed subinde apparuit. In *Italia* ipsa latuerunt viri Evangelio addicti. Etenim, *Seckendorffio* notante ex actis Comitiorum, *Baltasar Alterius*, Neapolitanus, à mercatore Norimbergensi modum sibi indicari petiit, ut cum *Eberhardo Thannio*, Electoris Consiliario, commercium literarum habere posset: qui etiam retulit, esse illustrem quendam virum *Bononia*, Evangelio addictum, qui sex millia militum colligere posset, si bellum contra Papam geratur.

Anglia.

De *Anglia Regis* ad Evangelicam causam propensione nova magna spes denuo oriri videbatur; multa enim *Christoph. Montius*, à Rege ad *Landgravium* missus narraverat, quæ hic cum Electore communicaverat. Accesserunt *Buceri* suasiones, qui multa Anglum præstitisse dicebat, quod Antichristi dominatum abrogasset, Monachismum abolevisset, & doctrinam Christianam à multis erroribus purgasset. Verum hæc Electorem parum moverunt, qui *Regem Angliæ* pro hoste Evangelicæ doctrinæ habebat, utpote qui nil in reformatione præstiterit, quam ut se caput Ecclesiæ constitueret, sua quæreret duntaxat commoda, interim in pios Christianos sæviret, & flagitiose viveret. Res ipsa docuit, frustra bonam spem quosdam concepisse. Nam cum legatis, ad Regem missis, ut pacem inter ipsum & Gal-

annuis trium Ecclesiarum collegiatarum, *Altenburgensis, Gothana & Isennacensis*, ut centum & quinquaginta juvenes in Academia Wittenbergenſi ſuſtentari potuerint. Alia prætereo, cum conſervationis plura quam propagationis doctrinæ purioris documenta occulta conſpiciantur.

Seckendorff. pag. 532. b. 568. 569. ſeqq. 672.

§. CCCCXXXIV.

Scripta Lutheri exegetica & homiletica.

Lutherus interea ſcriptis quantum poterat per valetudinem firmare noſtros in veritate agnita, eamque ab adverſariis impugnatam defendere ſtudebat. Hunc in finem *Commentarium* edidit in *Hoſeam* Prophetam, à *Vito Theodorico* per aliquot annos collectum & publici juris factum. In *praefatione* agit de *Prophetarum lectione*, noſtro ſeculo etiam *neceſſaria*, & tum maxime exulceratis temporibus, quæ non ſolum Republicæ ſed etiam Eccleſiæ minitabantur, cum ut intueantur pii in promiſſiones, altiusque animis inſigant opes regni Chriſti, à Prophetis magnifice commendatas, iisque ſe erigant & conſolentur, tum ut caſtigentur impii & idololatræ, deterreantur, & ad pœnitentiam reducantur. *Hoſeam* autem præ reliquis hoc eximium habere, quod *plurimus ſit in reprehendenda idololatria*, atque hoc nomine etiam noſtris temporibus aptior ejus lectio, *ut admoniti impiam Papæ Eccleſiam plenam idololatricis cultibus fugiant*. Non enim eos probat, qui *Papiſtas ſuo malo genio relinquendos cenſent*, & moderationem *vocant, ſi quis in eos pro concione non ſapius invehatur*. *Si enim*, inquit, *puritas doctrinæ retineri debet, & populo verus cultus commendari, proſeçto magna neceſſitas omnibus piis Doçtoribus incumbit, ut ſæpe populum de vitiiſ impiæ doctrinæ in Papatu & falſorum cultuum pœnis doceant*.

Conciones habita Merſeburgi,

D. IV. Auguſti concionem habuit *Merſeburgi*, cum extædio & mœrore animi Wittenberga abiſſet, & amicos inviſeret, in nuptiis *Sigismundi* à *Lindenau*, *Decani Capituli cathedralis* ibidem, *Epilcopi nuper defuncti agnati*, ſuper Hebr. XIII. 4. hono-

honorabile conjugium in omnibus &c. ubi de Matrimonii dignitate ac utilitate, item contra impurum Cleri coelibatum & vota impie concepta, multa disseruit.

D. V. Augusti in vicina urbe *Halensi* forte invitatus è *sug-* *Halis,*
gestu sermonem ad populum habuit ad dictum Joh. V. 39--43. cum eo usque explicatio Evangel. Johannis perducta ab ordinariis Ecclesie ministris esset, ut auditores perspicere, eos unam eandemque cum *Luthero* doctrinam tenere. Agit in primis de *scopo & nucleo Scripturae S. Jesu Christo*, quem Judaei nec quaesiverint, nec invenerint, quia non recte scrutati in ea sint. Nihil prodesse ait lectionem Scripturae S. si quis Christum non quaerit, inveniatur & agnoscat, etiamsi doctus vir inde evadat, & aliis praedicare possit. Pontificios redarguit, quod aequae ac Muhammedani nolint Christum & per eum vitam aeternam habere, sed eam quaerant in rosariis, peregrinationibus & aliis confectis operibus.

Reversus mox *Merseburgum* d. VI. Aug. Psalmum VIII. è *sug-* *Merseburgi.*
gestu explicavit, & prolixè egit de *regno Christi*, efficacia verbi & dignitate ministerii, per quod regnum Christi venit, cum sit *ein hør Reich/ nicht ein sehe Reich/* quia oculi eo nos non ducant, ubi Christum invenire & discere queamus, sed aures id faciant, & tales quidem, quae verbum audiant ex ore infantium & latentium, secus ac in mundano regno fiat. Propterea Christum in hoc mundo regnum suum fundaturum, non elegisse Imperatorem Roman. aut Pontifices Hierosol. vel potentissimos ditissimosque in populo, sed pauperes, mendicos, contentos, piscatores, *Petrum, Andrean, Johannem &c.* Factum ergo & opulentiam Romanensem redarguit, quando pessimis Pontificum artibus Germani per indulgentiarum nundinationem, Episcopatus palliis & annatis, Canonicatus pensionibus & reservationibus aliisque modis exhausti, ac reditus magna ex parte ad eorum famulos, meretrices, cynædos, derivati sint. Unde affir-

mat, nisi reformatio ante viginti annos intervenisset, Pontifices illam rapacitatem interea proterve continuaturos, & vix unum Collegium in Germania integrum relicturos fuisse. Eum quippe in finem Papam fere bis mille habere vitorum, quos *Commensales* suos vocet, licet victum eis non præbeat, sed titulos eis impertiat, ut tandem per illos omnes *Prælaturas* & *Præbendas* ad se trahat, quemadmodum Romæ fecisse eum in aperto sit, ubi *Petri* & *Pauli*, item *Agnæ* collegia vasta ac vacua sint, proventibus ad aulæ Romanæ commoda conversis. Idem aliis quoque Ecclesiis & Episcopatibus accidisse jam, nisi reformatio intercessisset. Igitur non Evangelicæ doctrinæ, sed Pontifici ipsi destructionem foundationum illarum imputandam esse, nec aliud Episcopis Germanis expectandum, si jugum illud *Papale* non abjiciant: at si decens & Christiana reformatio susciperetur, ita ut *Episcopi* Evangelium prædicarent, *Canonici* litteris incumberent, & vicarios juvenesque ex nobilitate collegiis adscriptos instituerent, conservari illas foundationes posse. *Cur enim*, ait, *istas Prælaturas & Canonicatus non potius ipsi in provinciis nostris conservaremus, quam ut peregrini eis fruerentur?* Episcopi ipsi, si vellent, facile consilium bonum reperire possent, si os infantum consulerent; sed hoc nolunt, & sanguinem tantum multum sitiunt, quia hereticos nos putant, cum tales non simus, dum purum Dei Evangelium, pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicamus. Malam utique intentionem non habemus, sed libenter opitulari vellemus ac fidelissime consulere, ut tam egregiæ Imperatoris foundationes, Canonicatus & Præbendæ non pervenirent ad ganeones & scorta Romana, sed ut ad bonum usum ex prima intentione reducerentur. Cum vero *Missæ* in primis obstarent, quas servari libenter *Episcopi* cuperent, respondet, illas missas faciendas esse, cum certum sit, nunquam sacrificulos libenter eas celebrasse, ac suo exemplo id restari queat, licet devotus & sanctus sibi videretur monachus. Pro *Missis* Biblia esse

arti-

arripienda & discenda, quo bona cum conscientia frui Præbendis queamus. Se non decies mille florenos accepturum, ut unam Missam celebraret. Id demum suadet, ut, cum Episcopi reformationem nullam desiderent, Imperator faciat, ne Papa cuncta ad se rapiat.

D. XII. Augusti *Lipsiæ*, eodem in itinere concionem habuit ad Luc. XIX. 45. 46. de horribili cœcitate & ingratitude pravi mundi, qui visitationem Dei gratiosam non agnoscere, sed in peccatis pertinaciter perseverare, & cum damno suo perire vult. Occasione Reformationis templi à Christo peractæ, causas ostendit, cur eam Pontifex cum Clero suo averfatus sit, & quo prætextu veteres abusus adhuc tueatur, parum diverso ab eo, quo Judæi adversus Christum utebatur. Inter alia *gloriationem de antiquitate* rejicit, ostenditque multos errores & abusus intra ducentos annos & recentius irrepsisse, interque alias etiam sua ætate cultum *S. Annæ*, quæ mater Mariæ virginis & avia Christi habetur, in Saxoniam invecum, multaque de *S. Joachimo, Josepho, Psalterio B. Virginis, coronis & rosariis, & ineptis precatiunculis*, aliaque ignota antea, in consuetudinem venisse, quæ omnia *veterem fidem* vocent. Velle scilicet eos, ut recipiatur, quicquid imprudens aliquis monachus confingat, licet ejus notitiam antea nemo, ne Episcopus quidem, habuerit, e. g. *Psalterium aureum, septem Missas aureas*, & innumeras peregrinationes, quarum aliquas nominat, vix ab annis triginta inventas; hæc ab illis inter antiqua referri, sed prava obstinatione antiqua non censeri, quæ Christus ipse ante annos 1500. docuerit, immo Patriarchæ & Prophetæ ab origine mundi per tot mille annos prædixerint.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 598 -- 684. Tom. VIII. Alt. pag. 474. b. -- 498.
& pag 593 -- 732.

§. CCCCXXXV.

Ad polemica scripta pertinet Germanicus tractatus *wider Polemica*.

Aaa aa 3

000

Tr. de Pa-
patu à dia-
bolo funda-
to.

Pref. ad lib.
de infideli-
tate Papæ.

Das Pabstum zu Rom vom Teuffel gestiffet / quem ad Annum 1544. retulimus & recensuimus pag. 685--701.

Refero huc etiam investivam *Lutheri*, quæ sub nomine præfationis extat, præmissæ libro cujusdam anonymi, cui titulus erat *Pabstis Treu: Fidelitas Papæ, Hadriani III. & Alexandri III. erga Imperatorem Fridericum Barbarossam*. Ubi bene factum dicit, si ab omnibus, qui id facere possunt, Papa tanquam hostis capitalis Domini nostri Jesu Christi, ac everfor sanctæ ejus Ecclesiæ describatur & depingatur. Eoque juxta Scripturam S. probe inservire historias Imperatorum, è quibus pateat, Papas diabolis plenos fuisse & adhuc permanere; adhuc rudes valde, crassos & indoctos asinos in sacris litteris esse, ad æternam ignominiam maledictæ sedis Romanæ. Inter alia Satanicam superbiam & malitiam conspici ex processu *Hadriani IV. & Alexandri III. cum Friderico I. Imperatore*, qui propterea jam in inferno sive primum, sive medium, sive ultimum locum teneant, nullo indigeant pellicio; nisi enim perditæ & infernalissimi homines, sed pii, veri & docti Episcopi essent, eos non latere potuisse, immo terrere debuisse, quod Cæsari, utpote potestati à Deo ordinatæ, illuderent, eam pedibus calcarent & Scripturam S. blasphemare eo torquerent Psal. XCI. 14. ut *Alexander III. fecit*. Quod scelus turpissimi & damnati Papæ Reges ac Principes nunquam oblivisci sed Papis & sedi diabolicæ Romæ exprobrare debeant, sicut Christus hoc facinus nunquam iis remittat, nec Ecclesia Christiana, cum eos nondum pœniteat facti, sed eo adhuc delectentur. Pium quemvis Christianum vel ob hoc scelus unicum ad nomen Papæ auditum vel lectum exspuere oportere, cum facillime colligere queat, si Papa tale quid in Imperatore patrare audeat, quid aliis & toti Christianitati inferre conetur. *Fridericum Imperatorem* laudat quam maxime, & neque impium, neque hæreticum fuisse, nec si fuisset, id meruisse affirmat.

Cum

Cum Lovanienses Theologi sub finem anni superioris XXXII. *contra Lovanienses.* articulos sive theses, religionem fidemque Papisticam respicientes, publicassent, Cæsareo edicto in Belgio confirmatas, in quibus compendium totius fere doctrinæ, eo usque in Ecclesia Romana receptæ, continetur, Lutherus istis articulis alias opposuit theses numero LXXVI. quas integras inferemus, quia epitomen Pontificiæ fidei ejusque & aliorum eorum refutationem exhibent. 1. *Quicquid in Ecclesia Dei docetur sine verbo, mendacium & impietas est.* 2. *Si idem pro articulis fidei statuitur, impietas & hæresis est,* 3. cui si quis credit, idololatra Diabolum pro Deo colit. 4. Stat sententia S. Pauli, *doctrinas hominum aversari veritatem:* 5. & ubi non est promissio, ibi fides non esse potest; siquidem bona opera, si in fide verbi non fiunt, Deo non placent. 6. *Septem esse Sacramenta sine verbo asseritur* ab hæreticis & idololatri Lovaniensibus. 7. *Baptisma est Sacramentum tam adultis quam infantibus dandum, ad remissionem peccatorum & salutem æternam.* 8. Doctrina tamen Synagogæ Lovaniensium de baptisate, est damnanda ut hæretica. 9. *Hæreticum damnamus spiritum Anabaptistarum,* ut qui propter hominum vitia vel indignitatem damnat verum baptisma. 10. Sic enim Magistratum (imo & ministerium verbi) liceret damnare, propter peccatum vel indignitatem personæ, quod est seditiosum. 11. Stulta est consequentia, baptisandus non credit, vel non est dignus, ergo baptisma datum est nullum. 12. Etiam si antecedens hujus consequentiæ in infantibus sit falsissimum & temerarium: 13. certum est tamen, *Magistros nostros* neque hanc, neque ullam aliam sectam confutare posse, doctrina & eruditione Scripturarum. 14. Ideo compendio confutant, scilicet ferro & igne, cæde & sanguine civium, sicut scriptum, *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* 15. Hæc sunt arma militiæ eorum spiritualia, ut non sit necesse in Scripturis sese exercere, sed liceat indoctissimos Sophistas

non esse 7.

Sacram.

de Baptismo.

phistas

S. Cœna.

phistas manere, 16. In *Eucharistia* sacramento venerabili & adorabili est & exhibetur & sumitur vere & re ipsa corpus & sanguis Christi, tam à dignis quam indignis. 17. Explodenda tamen & abominanda est doctrina *Nostrollorum Lovaniensium* in usu hujus Sacramenti, cum sit prophanationis, hæreseos, idololatriarum plenissima. 18. Ad digne percipiendum *necessaria* est *fides*, qua firmiter creditur promittenti Christo remissionem peccatorum & vitam æternam, ut sunt clara verba in Sacramento. 19. Sine causa, imo sine verbo, mera vanitate *Magistrollorum* docetur *transsubstantiatio* panis & vini. 20. Rapere laicis alteram speciem, quibus Christus ipse totum Sacramentum dedit, est horrendissimum sacrilegium, & satanica Tyrannis. 21. Hic enim maledicta lerna *Lovaniensium*, non solum sine verbo, sed contra expressum mandatum Dei furit & sævit in rem & personas sibi non subjectas. 22. Non Ecclesia Dei hoc sanxit, ut mentitur furor *Lovaniensium*, cum *Laici* major pars Ecclesiæ hanc vim ferre cogatur à colluvie pessimorum hominum, & paucissima parte Ecclesiæ, imo nulla parte Ecclesiæ, sed parte omnium Diabolorum. 23. *Missam* esse *sacrificium*, sine verbo docetur, & quia de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur, ut sic utar verbo Hieronymi. 24. *Missam pro defunctis* offerri, hæreticum est & blasphemum, insigniterque mentitur lerna *Lovaniensium*, esse à Christo institutam. 25. Mortui non manducant & bibunt, cum tamen Christus jubet manducare & bibere in hac vita. 26. Nec S. *Augustinus* suos libros vult æquari sacris literis, nec aliorum, aut sua dicta pro articulis fidei teneri. 27. Et unde diabolica ista arrogancia *Nostrollorum* in alienos subditos, scilicet Christi, ut nobis hominum & suas opiniones æquare, imo præferre audeant articulis fidei? 28. Hæreticos serio censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse *Cinglianos* & omnes *Sacramentarios*, qui negant corpus & sanguinem Christi, ore carnali sumi in venerabili *Eucharistia*.

29. Con-

transsub-
stant. ποτη-
ριου κλεψια.

Missæ non
est sacrifici-
um.

29. *Confutationes* tamen *Lovaniensium* sanguinarum & incendiarum, pertinent ad parricidas, non ad eruditionem, quam in sacris literis prorsus nullam habent. 30. Quem, quæso, articulum hæresis illi confutarent, qui ipsi sunt pleni & distenti innumeris hæresibus, blasphemis & idololatriis. 31. Deinde nihil ex Scripturis, sed omnia ex doctrinis hominum ructant, vomunt & cacant in Ecclesiam, non suam, sed Dei viventis. 32. Habent ergo *Lovaniensium* furiam Ecclesiam, habitaculum Dei, pro sua cloaca, in quam, quasi Domini ejus, sua stercore egerant, & propter illa eam occidunt, o furor furorum. 33. *Confirmationem* esse Sacramentum, sine verbo asseritur, & sentina *Lovaniensium* mentitur esse à Christo institutam. 34. Scimus bonos & pios viros non voluisse sententias suas (ut carne adhuc gravatos) pro articulis aut Sacramentis haberi, aliterque dicturos fuisse, si admoniti fuissent. 35. *Pœnitentiam* cum virtute clavium absolventium, Sacramentum libenter confitemur, habet enim promissionem & fidem remissionis peccatorum propter Christum. 36. Quam fidem cum negent *Lovanienses*, sunt Apostatae, Blasphemi, Turcis, Judæis, Ethnicis deteriores. 37. *Pœnitentia* à *Lovaniensium* Synagoga tradita, scilicet quod sit contritio, confessio, satisfactio, est nulla nisi Judæ proditoris, Saulis & similium, desperationis machina, ideo ut hæretica est damnanda. 38. Neque quid contritio, confessio, satisfactio, promissio aut fides sint, noverunt, nec disci potest ex sterquilino & cloaca *Lovaniensium*, cum sine verbo dicantur omnia. 39. *Liberum arbitrium* ad bonum est nullum, cum gratia autem posse in bonum, hoc est Magistrolliter aliud respondere, quam quæritur in libertate arbitrii. 40. Ritus ordinandi sacrificos missales, id est, crucifixores Christi, est inordinatio Diaboli. 41. *Ordo* non est Sacramentum, sed ministerium & *vocatio* ministrorum Ecclesie 1. Cor. XII. non habet promissionem remissionis peccatorum. 42. Ea *vocatio* legitime fit ab Ecclesia, sine rasura, unctura, & aliis lar-

*Confirmatio**Pœnitentia.**Ordo.*

vis, humana temeritate pro rebus sacris & necessariis, jactatis. 43. Unctio extrema non est Sacramentum, multo minus à Christo instituta, ut rudunt *Magistri Nostrolli*. 44. Impiissime & contumeliosissime contra Christum dicitur, aliquod esse Sacra-

*Matrimo-
nium.*

mentum, & tamen ad salutem non necessarium. 45. *Matrimo-
nium* esse Sacramentum, sine verbo dicitur, & à *Magistris No-
strollis* in speculo *Marcolfi* visum est. 46. Est vero matrimonium creatio, donum & ordinatio divina, sicut Politia seu Magistra-

*Ecclesia ca-
colyca &
catholica.*

tus. 47. In matrimonii causis, nihil habet Papa, multo minus bruta *Magistrollia*, statuere aut definire, sicut nec in politia, quam vis etiam pro ruditate & inscitia sua non possint. 48. Vere una est *Ecclesia Christi Catholica* in terris, sed ad quam non pertinent hæretici & idololatræ Lovanienteses, cum suo idolo abominabili Papa. 49. *Cacolyca* verius est *Ecclesia Papæ & Magistrollorum*, *Ecclesiæ Christi sanguinaria adversatrix & vastatrix*. 50. Neesse est Lovanienteses esse crassissimos porcos Epicuri, & profus atheos, qui sine timore tanta impudentia mentiuntur & blasphemant, in conspectu Dei & hominum. 51. Testis est illis sua ipsorum conscientia, Papatum non modo sine verbo, sed & contra verbum esse, *Ecclesiæ* invecum. 52. Quin & res ipsa simul testatur, nunquam fuisse Papam totius *Ecclesiæ* caput, quod tam impudenter asserunt Liripipia Lovanensium. 53. Ea, quæ articulo XXI. cum sequentibus octo, dicunt, sunt perfecte *Marcolfica*, nec nisi in speculo *Marcolfi* visibilia, simul tamen blasphema & idololatrica. 54. De *animabus & purgatorio*, hui quam certi sunt *Magistri Nostrolli*, ut qui heri de cælo lapsi, & nuper ab inferis reversi sunt. 55. Quia semel Scripturis abjectis, sibi licentiam sumperunt somnia & vanitates humanas in articulos fidei transmutandi, nullum inveniunt

*Vota mona-
stica.*

modum neque finem articulorum. 56. *Vota præcipue monasti-
ca & celibatus* sine mandato & verbo per homines inventa, barathrum sunt perditionis. 57. Tum res ipsa, quæ movetur, fu-

cus

cus & hypocritis est, unde fructus secuti tali religione dignissimi, qualis est pudicitia, sanctitas, pietas Romanæ sedis & Collegiorum. 58. Ut castiora sint inventa lustra Ganeonum & fornice meretricam, quam sint Romanæ Sodomæ, & Collegiorum Gomorræ. 59. *Paupertas* quam vovent, est rapina orbis terrarum, & opes mundi, sicut scriptum est: Ecce peccatores abundantes in seculo obtinuerunt divitias. 60. Atque has non haberent, nisi hæretici idololatræ, & blasphemii ventres essent. 61. *Obedientia* est, facere quod libuerit, præsertim si sit Magister noster, hic etiam Ecclesiæ Dominus est, & Reges servi ejus. 62. Libertatem Evangelicam S. Petrus & Paulus intelligunt non tantum à peccato & morte, sed etiam ab oneribus legis divinæ per Moysen traditæ, multo magis à stercorebus traditionum & opinionum humanarum. 63. Sed quia non fuerunt *Lovanialiter Liripipiati*, & *Marcolsum Noströlorum* nescierunt, ideo sunt jure hæretici ab halna facultate adhuc declarandi. 64. *Fides, Fides*, qua quis statuit sibi remitti peccata propter Christum, est in omni Sacramento & verbo necessaria. 65. Quod autem alma Vaacultas Lovaniensium dicit, Scripturas ei adversari, nimis subtiliter & magistraliter dicitur. 66. Significat enim hoc loco Scriptura, illas tres sacramenta magistralia, Birretum, Talarem, Liripipium. 67. Illa enim Scriptura adversatur ejusmodi fidei, & hujus Scripturæ sunt ipsi magistri, ex qua etiam omnes istos XXXII. Articulos sumpserunt & concluderunt. 68. Fortasse malunt sibi peccata remitti incredulitate, propter Beelzebub principem Dæmoniorum. 69. Hic aperte videmus, Lovanienses bestias simpliciter abjecisse Christianam religionem, & ex corde esse perditissimos paganos. Unum hoc recte faciunt, quod sibi (abjecto Christo) ne omnino sint athei, novos Deos fingunt, & mortuos invocant, sanctos, non sanctos, nihil refert eorum. 71. Ut qualis est populus, tales habeat Deos, justo judicio Dei, cujus verbum contemnunt, & blasphemant.

72. Hic cum Elia libet illis illudere, clamate voce majore, sunt enim Dii, orationem habent, res agunt, aut peregre profecti, aut certe dormiunt, ut excitentur. 73. Quam turpiter & æterna labe dedecorant Cælaris Caroli tot populorum Principis clarissimum nomen, & suum seculum, cum prætexuit eum confirmasse tam sacrilega & Satanica portenta eorum. 74. Non est Regum aut Principum etiam veram doctrinam confirmare, sed ei subjici & servire, ut Psal. II. dicitur, & nunc Reges intelligite, erudimini Judices terræ. 75. Multo minus illorum est, impia, blasphema, idololatrica dogmata confirmare aut tueri, imo contra illis cum Ecclesia resistere & damnare. 76. *Disce ergo frater Christiane ab exemplo miserrimo Lovaniensium, cavere ab hominum doctrina, & diligentius incumbere litteris.*

Lib. de non dimittendo Henrico Br. Pertinet etiam ad hoc polemicum scribendi genus libellus forma epistolæ satis prolixè à *Luthero* elaboratus, ad Electorem Sax. & Landgravium Hassiæ, de non dimittendo *Henrico Brunsvicensi*, quem supra p. 730. quantum ad institutum satis est, recensuimus.

Supputatio annorum mundi an. 1541. edita hoc anno sub prælum revocata emendatior exiit. De hoc etiam scripto ad annum 1541. differuimus.

Prefationes. Inter *Prefationes* eminet illa, quæ Tomo I. Operum Latinorum & speciatim Jenensii præfixa legitur, d. V. Martii scripta, ex qua multa subinde suis locis retulimus. Vid. pag. 2. hujus secundæ partis.

Dialogo de Conjugio *Jo. Frederi, Pomerani*, quem opposuit *Sebast. Franco*, foemininum sexum edito libello proterve insectanti, præfationem præmisit, in qua ait, se Francum indignum putasse, cui responderet, cum non nisi satyris & convitiis indulgeat, aliorumque vitia detegat & mire exagitet, Scripturæ literam prorsus contemnat, & propterea suam (*Lutheri*)

theri) sententiam de præsentia reali corporis & sanguinis Christi proterve rejecerit.

Ad *Georgium Anhaltinum* Principem d. IX. Martii epistola-
lam dedit, de morte *Georgii Heldi*, Forchemii, quem charum
habebat Princeps ob pietatem, fidelitatem & alias virtutes egre-
gias, eoque acerbe optimi viri obitum ferebat. Erigere igitur
Lutherus Principem studebat per litteras consolatorias, quas
integras exhibuit *Seckendorffius* Latine.

Ad *Senatum Halensem* d. VII. Maji scripsit, eique gratu-
latus est de prospero Ecclesiæ ibidem statu, & concordia inter
pastores ac populum, quemadmodum ex D. Jona prolixius in-
tellexerit non absque insigni gaudio. Eum insuper & omnes
monet paterne, ut magis magisque abundant & confirmetur.
Denique *Jonam* ipsis commendavit.

Duarum aliarum Epistolarum ad D. *Jonam* de litteris Pon-
tificis ad Cæsarem exostulatoriis, & ad *Antonium Lauterbachium*,
Pastorem & Superintend. Bremensem, de ritu elevatio-
nis, meminit *Seckendorffius*.

*Tom. IV. Jen. Lat. fol. 598. -- 684. Tom. VIII. Alt. pag. 414. 417. 471.
473. b. 474. -- 498. 489. Tom. I. Jen. Lat. pref. & f. 577. seq. Tom. VIII. Alt.
pag. 498. seqq. Seckendorff. pag. 592. seq.*

§. CCCCXXXVI.

Anno M. D. XLVI. mense Januario Protestantes conven-
tum Francofurti habuerunt, ibique primum de fœdere *Smal-*
caldico, quod ad decennium initum hoc anno finem sortieba-
tur, deliberarunt, continuando, meliori modo constituendo
& amplificando. Ad hoc movebantur periculo, quod confes-
soribus verbi divini puri & immaculati, imprimis sub prætextu
Conciliæ Pontificii imminabat; cum enim defensio sui & tutum
animæ corporisque præsidium quærere, naturali & scripto jure
liceat, testabantur insuper, istam confœderationem neque
Cæsari, neque ulli statui Imperii, vel cuivis alii contrariam, sed

Bbb bb 3

tantum

tantum ad tuendam veritatem Christianam & pacem, contraque vim injustarum, pro se & subditis suis iniri. Conventum quoque est, ut *recusatio Concilii Tridentini* ederetur, Latine à *Melanchthone*, Gallice à *Sleidano* vertenda. Ante omnia preces publicas indicendas, & visitationes Ecclesiarum Scholarumque instituendas statuerunt, ad doctrinam secundum normam verbi divini & Aug. Confess. tenendam, itemque ad vitiorum correctionem & seriam poenitentiam. Actum denique est de non deserendo *Coloniensi Archiepiscopo*, deque *Cæsare* sollicitando, ut pacem religioni det. Verum quia non convenire de omnibus tum poterant, alium conventum *Wormatia* Kalendis April. habendum indixerunt; sed quia multi legatos suos eo non miserunt, & illi, qui aderant, omnia ad *Comitia Ratisbona* instantia distulerunt, sub finem Aprilis decesserunt.

Sleidan. pag. 578. Seckendorff. pag. 613. seqq.

§. CCCCXXXVII.

Comitia Ratisbonensia.

In *Comitiis Ratisbonensibus* d. V. Februarii colloquendi initium factum est, ab articulo *de justificatione*, ex mandato *Cæsaris*, qui voluit ductum August. Confess. sequi, omissis tribus articulis, utpote vel non controversis, vel ante disceptatis. *Petrus Malvenda* tamen, Hispanus, qui Parisiis suam Theologiam didicerat, de verbis aut sententia Confessionis nostræ agere volebat, & novem theses stylo Scholastico conscriptas exhibebat, quibus crassissimum de merito operum errorem incrustabat. *Bucerus* tamen mascule respondebat, & quia Evangelici videbant subdole secum agi, iniquis postulatis & decretis adversariorum compulsi sunt protestationem interponere & abire, prout veritate convictus ingenue id fassus est *Paulus Venerus*, quem sine causa impugnat *Pallavicinus*, ut *Seckendorffius* ostendit.

Sleidan. p. 481. seq. P. Suav. p. 130. Seckendorff. p. 623. seqq.

§. CCCCXXXVIII.

§. CCCCXXXVIII.

De Concilio Tridentino, cujus initium factum est d. VII. De morte
 Januari. nihil attinet dicere, cum instituti nostri ratio id non re- *Lutheri Is-*
 quirat, & justis voluminibus hoc argumentum viri docti per- *lebia.*
 tractaverint. Ad finem igitur propero hujus Sectionis, quam
 morte *Lutheri* finio. Ille ad Comites Mansfeldios *Islebiam*, na-
 tale solum vocatus, componendi dissidii causa, quod inter ipsos
 de fodinis æris & argenti, à privatis oppidorum *Islebiæ* & *Het-*
stedii incolis, magno cum emolumento diu cultis, aliisque re-
 bus, erat exortum, foventibus lites, ut traditur, Jureconsultis.
 Cum enim ex fodinarum redditibus facultates civium, & præci-
 pue institorum ac præfectorum operarum & officinarum, in-
 signiter auferentur, invidia & cupido aulicos quosdam incessit,
 ut consilia agerent, quomodo ad heros suos, Comites, & in-
 de ad se ipsos majorem præventuum partem, privatis ereptam,
 transferrent. *Lutherus* ex amore in patriam & Comites roga-
 verat *Johannem Georgium* Comitem, Anno 1545. *Wittenbergam*
 transeuntem, ut ab *Alberti* agnati consiliis contra subditos se-
 cederet, & his se æquum præberet, ac de litibus componendis
 pie inter se cogitaret. Quod cum se facturum reciperet Comes,
 bonorum virorum, & præsertim *Lutheri* arbitrium ambo Co-
 mites admiserunt, & ab Electore petierunt, ut hoc nomine
Lutherum, qui non solebat ejusmodi negotia tractare, & per
 omnem vitam suam studiis tantum vocaverat, *Melanchthonem*
 & *D. Jonam* *Islebiam* dimitteret. Sed tum re infecta domum hi
 redierunt. Paulo post Comites denuo ad transigendum ani-
 mum applicuerunt, æquisque oblationibus spem fecerunt, fore,
 ut *Luthero* denuo accito, concordia iniretur. Persuaderi
 igitur se passus est *Lutherus*, ut secunda vice *Islebiam* iret, incom-
 modo tempore d. XXIII. Januarii. & ob *Salæ* annis inundatio-
 nem, triduo *Halis* detentus, non sine periculo aquas lintre su-
 peravit & XXVIII. Jan. demum *Islebiam* pervenit, benigne ex-
 ceptus

ceptus cum Comitatu centum & tredecim equitum; in ingressu tamen debilitate insigni correptus fuit, ut moriturus jam tunc esse videretur, relictus tamen mox in hospitio per linthea calefacta & medicaminibus Wittenberga allatis, per dies viginti magno quidem, sed irrito cum labore negotium tractavit, conciones aliquot habuit & ordinationem Ecclesiasticam, à D. Guttelio conscriptam, relegit & approbavit, aliaque salutaria Ecclesiae fecit: neque tamen, ut calumniantur adversarii, genio indulgit, ac inde morbum mortemque attraxit, licet hilariter quandoque cibo ac potu usus sit, & laudaverit, quod in patria sua bene sibi saperent, quæ ederet & biberet. Mortis enim semper memor, de ea etiam in postrema cœna ut & vita æterna sapienter & pie differuit; quemadmodum D. Jonas & M. Michael Celius vere ac diligenter retulerunt. Notarunt enim, cum non semel in vulgaribus sermonibus dixisse: *si concordiam inter Comites procuravero, domum redibo & in loculum me componam, corpusque vermibus comedendum præbebo.* In primis autem in ultima cœna multa ponderosa verba & sermones ipsum protulisse ac inter alia dixisse, narrant: *Deus sibi magnam partem Christiana Ecclesia ex infantibus colligit, verisimile enim est, si infans unius anni alicubi moriatur, ut per totum orbem mille aut bis mille ejusdem ætatis decedant; cum vero ego sexaginta trium annorum senex moriar, vix sexaginta aut centum paris ætatis mecum morituri sunt; homines enim jam non, ut olim, senescunt.* Eadem in cœna, mota quæstione, *an in vita aeterna agniture se invicem sint beati,* rogatus respondit: *Adamus, ex somno evigilans, Evam, quam nunquam viderat, non interrogavit, unde es? aut, quæ es? sed dixit: hoc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Unde vero sciebat istud, quod ex lapide non profuisset mulier ista? inde nempe, quia plenus erat Spiritu Sancto & veram Dei cognitionem habebat.* Ad hanc & ad imaginem divinam restituti per Christum in altera vita renovabimur, & parentes

tes nostros, uxores, liberos, & nos invicem cognoscemus de facie, ac multo quidem perfectius, quam tunc Adamus Evam cognovit. Nec ipse tantum Megalander in precibus fervidus erat, sed etiam alios ad eas fundendas cohortatus est. Ad amicos enim dicebat: *Islebia utique moriar, orate Deum nostrum pro Evangelio, ut illi causa Ecclesia sua bene succedat; Concilium enim Tridentinum & Pontifex vehementer ei succensent & diramoliuntur.* Tandem cum vim morbi sensisset, & spiritum se redditurum adstantibus amicis dixisset, in hanc erupit orationem: *o Pater mi caelestis, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias, quod Filium tuum Jesum Christum mihi revelasti, in quem credo, quem sum professus, quem amavi, quem celebravi, quem Pontifex Romanus & reliqua impiorum turba persequitur & afficit contumelia: rogo te, mi Domine Jesu Christe, suscipe animulam meam: mi Pater caelestis, etiamsi divellor ex hac vita, licet corpus hoc mihi jam sit deponendum, certo tamen scio, me tecum esse permansurum in sempiternum, neque posse me tuis ex manibus a quoquam avelli.* Porro dicebat: *Sic Deus dilexit mundum &c. Joh. III. 16. &c. Deus noster, Deus salvos faciendi & Dominus, est Dominus educendi ex morte, Pl. LXVIII. 21.* Denique ter celeriter prolocutus est verba *Psal. XXXI. 6. Pater in manus tuas commendo spiritum meum &c. & non multo post eam precationem, ac interrogationem Jone & Celii, morierisne, Reverende Pater, in constanti confessione Christi & doctrina, quam predicasti? quam clara voce affirmavit, tanquam dormiturus, e vita discedit, suspirium profundum sed lene ducens, & in eo spiritum reddens, nec digitum, nec crurum movens, ita ut nemo inquietudinem, aut ullum corporis cruciatum observare potuerit.* Impletum ita in eo est dictum Christi Johannis VIII. 51. *si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum, quod rogatus manu sua, & memoriae causa in Codices Biblicos inscripsit, & in librum Postill. domest. d. 7. Febr.*

Ex his, à fide dignis testibus prolatis, calumniæ *Cochlai*, *Maimburgii* aliorumque facile refutantur, & à nostris sæpissime refutatae sint, novissime à *Seckendorffio*. Sanior longe est *P. Suavis*, qui nugas de morte beati viri ferre non potuit, sed hunc in modum scripsit: *Magna quidem Patribus Tridentinis & Curiae Romanae spes accensa ejus morte, qui in oppugnanda Ecclesia Romana doctrina, & ritibus, plurimarum palmarum homo fuisset, schismaticorum primipilus, & novitatum architectus: idque fatum, felicem Concilio successum portendere hoc magis augurabantur, quod per Italiam, secundo rumore, multis prodigiis, fabulosisque circumstantiis comitatum diceretur, quas illi miraculo & Numinis vindicta tribuebant: licet ei morienti, revera non aliud acciderat, quam hominibus LXIII. atatis annum agentibus (climacterico enim obierat) usu venire solet, sed quæ deinceps ad nostra usque tempora sunt consecuta, satis superque testatum reliquerunt mutationis tantæ causas alias fuisse multo potentiores abstrusioresque, Lutherum vero tantummodo Ministrum.* Thuanus quoque non aliter de sancti viri morte scripsit.

Tom. VIII. Alt. p. 348. seqq. Tom. IX. Alt. p. 1580. Sleidan. pag. 487. seq. Suav. p. 130. Seckendorff. pag. 634. seqq.

§. CCCCXXXIX.

*De versu
Lutheri pe-
stis eram
&c.*

De versu illo, quem circa vitæ finem pronunciavit *Lutherus*, aut, ut *D. Razebergius* in *Historia MS. de obitu Nostri* apud *Seckendorffium* notavit, post ultimam cœnam parieti creta inscripsit:

Pestis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa!
quemque tantopere exagitant maledici hostes, pauca addere visum est. Nam conspicitur hodiernum in effigie ejus Jenæ in templo parochiali, à *Jo. Guilielmo*, Duce Saxon. *Wittenbergâ* eo illata, capiti inscriptus, Germanice sic redditus:

*Dir war ich eine Pest / o Pabst / in meinem Leben /
Nach meinem Sterben soll mein Tod den Rest dir geben.*

Com-

Composuisse verum hunc *Matthæus* refert *Nostum* A. 1530. in ædibus *Spalagini*, *Altenburgi*, cum post finita *Comitia Augustana* *Coburgo* domum rediret. Imo jam ante in *Admonitione ad Ordinem Eccles. in Comitibus* istis ejus mentionem fecit, quando hunc in modum scripsit: *Summa, nos & vos scimus, quod sine verbo Dei vivatis, nos autem verbum Dei habeamus. Quare rogamus vos & maximopere desideramus, ut Deo honorem detis, vos ipsos recognoscatis, emendatis, & pœnitentiam agatis. Id si fieri renuatis, agite, è medio me tollite. Si vixero, vobis sum pestis, si moriar, vobis ero mors.* Ubi *margini* adscriptus est versus: *Pestis eram vivens &c.* In eandem sententiam locutus est in *admonitione ad Germanos suos*, in qua, postquam ad conscientie suæ puritatem provocavit, *Pontificios* autem male sibi conscios & timidos esse dixit, animose scripsit: *eveniat tandem, quicquid Dei ira destinavit, bellum aut seditio. Si seditio oriatur, me meosque Dominus & Deus meus Iesus Christus liberare potest, ut Lothum eripuit, & me ipsum nuper, cum non semel in discrimine vita fuisset. Si non placuerit me eripere, nihilominus ei gratias agam: satis diu vixi, mortem merui & Dominum meum egregie vindicare cœpi in Papatu. Post mortem meam demum sentient Lutherum. Quanquam & nunc si in Papistica seditio- ne trucidatus fuero, ingens agmen Episcoporum & Monachorum mecum ducam, ut dici queat: D. Martinus magno cum comitatu humatus est. Magnus enim Doct̃or est supra omnes Episcopos & Monachos, ideoque ipsum comitatum ibuat, illi quidem in barathrum infernale, ad patrem suum, diabolum, cui mendaciis & cadibus servierunt; ego autem ad Dominum meum Iesum Christum, cui in veritate & pace servivi. Nemo nocere mihi potest, & ego quoque nemini cupio nocere. Sed tam male me non tractabunt, ut ego ipsos. Durius caput ipsis opponam, licet Carolum Imperatorem, vel Turcam pro se haberent. Me pavidum aut territum non reddent, sed ego illos in summum pa-*

vorem conjiciam, cedere mihi cogentur, ego eis non cedam. Ego permanebo, ipsi peribunt, modum nimis excefferunt. Vita mea illorum carnifex, & mors eis diabolus erit. *Diß und kein anders*/hoc & nil aliud experientur, licet jam secure rideant.

Ex his & similibus locis facile constare potest, quis illius versus sensus sit. Non tam mortem corporis ominatus est Pontifici ejusque gregi, quam decrementum & interitum dominatus & regni, etiam post sua fata.

Tom. V. Alt. p. 216. & 531. a. Tom. IX. Alt. pag. 1584. b. seq. 1586. a. Conf. Seckendorff. pag. 641. a.

S. CCCCXL.

*Progressus
Reformatio-
nis in Pala-
tinatu.*

De progressu Reformationis hujus anni ad obitum usque *Lutheri*, pauca suppetunt. *Fridericus*, Elector Palatinus, ad negotium cum Protestantibus in Comitibus & colloquiis tractanda à Cæsare adhibitus, semina veræ doctrinæ conceperat, & ad Electoratum evehctus A. 1544. apertius ad eam inclinabat; sub finem autem anni 1545. indulserat, ut Missa Germanice celebraretur, nec quisquam ad formam Pontif. sive Canonem adstrictus esset, sed ut omitterentur, quæ conscientiæ adversarentur. Parochiis etiam injunxit, ut concubinas repudiarent, & uxores ducerent, qui continentiam servare non possent. Die autem III. Januar. hujus anni in templo parochiali Heidelbergæ prima vice communio sub utraque publice celebrari cœpta est, quod paulo ante in festo Natalitio Salvatoris in arce factum, etiam ab Electoris conjugē, & gynecæo. *Protestantes* igitur, d. X. Jan. è conventu Francof. missa legatione, gratulantur ei, & gratias agunt, quod Colonienfis Archiepiscopi Legatis liberaliter responderit; hortantur etiam, ut pergat, & *Augustanæ Confessionis* doctrinam profiteatur, inque proximis *Comitiis Ratisbonæ* operam det, ut pax & jus constituentur. Ad hæc ille respondit, se semper ad concordiam in dissidio religionis procurandam pronum fuisse, & plura fecisse, quam Evangelici putarent: sperasse quoque bonam re-
forma-

formationem tandem securam; quia vero videat periculose rem differri, non se potuisse diutius remorari populi sui desiderium & expectationem: continuaturum etiam deinceps se & publice cum Evangelicis professurum puram Christianam religionem, spondebat. Invitatus rogatusque Francofurtum d. XXIX. Jan. venit, ac denuo affirmavit, se constanter perseveraturum in religione vera. Vocavit etiam Argentorato Heidelbergam *Paulum Fagium*, civem Palatinum, qui in Ecclesia & Academia tam sanctum opus suscipere & promoveret.

Urbs Imperialis *Leutkircha* hoc anno quoque Evangelicam religionem publice profiteri cepit, quæ statim post editam Aug. Confess. eam impense exoptavit, sed *Joh. Faber*, *Leutkirchæ* natus, acriter restitit & factiones in urbe concitavit, quibus adhuc usque annum impedita fuit publica reformatio.

Sleid. p. 478. seq. Suav. p. 130. Seckendorff. p. 616. seq. p. 664.

§. CCCCXLI.

Ex scriptis Lutheri Latinis, anno ejus emortuali editis, *Commentarius in Prophetam Joëlem* memorandus primo loco est, cuius versio Germanica per errorem in Tom. VI. Altenb. & ad annum 1536. relata fuit. Haud dubie vero Lutherus *Joëlem* enarrare cepit an. 1545. Summam recensuit *Seckendorffius*; quia subinde ex hoc Commentario nonnulla sunt adducta, non putamus necesse, prolixam recensitionem instituere.

Abolvit quoque *Enarrationes in Genesin* d. XVII. Novemb. A. 1545. tertio ante obitum mense, easque his verbis finivit: *Hic est charus iste liber Genesin. Det Deus, ut alii post me melius eum tractent. Ego plura prestare non possum, infirmus sum, orate Deum pro me, ut mihi horam concedat beatam.* Tamen si vero ipse Lutherus extenuet egregiam hanc operam, & extemporaliter ac populariter omnia à se dicta scribat, prout in buccam venerint verba: tamen vastæ satis eruditionis & reconditæ pietatis documenta in omne ævum duratura, in hoc Commentario ipsum

edidisse, cordatus quisque & ab affectibus alienus lector deprehendet. Haud igitur magnificentius quam verius *Augustus* Elector in privilegio Germanicæ translationi præfixo, scripsit: *sibi notum esse, quod Commentarius Lutheri in Genesim, ex ultimis & optimis ejus scriptis sit, magna cum diligentia & ex illuminatione Spiritus S. ante mortem perfectus.* Qui *XXV.* priora capita transtulit, *Basilii Faber*, inter alia dixit, hunc Commentarium esse corpus sive compendium omnium scriptorum Lutheri, ita ut *Theologia Martini* dici possit. *Jo. Gudenus*, Ecclesiastes Magdeburgensis, qui versionem continuavit & absolvit, *nucleum doctrinæ divinæ* in eo contineri judicavit. Exscribi proinde potius totus, quam excerpi meretur. Verum quia brevitatis nostra neutrum permittit, ad ea provocare licebit testimonia, quæ frequentissime ex tam præclaro opere sunt citata.

*Conciones,
de Baptismo
Christi.
Halis.*

Ex Germanicis *B.* viri scriptis nonnisi conciones quædam mense Januario & Februario habitæ extant. Primam *Halis* habuit d. VI. Januar. in festo *Epiphaniæ*, super *Matth. III. 13.* seqq. de *Baptismo Christi*, ubi articulum de tribus personis in unitate essentia egregie tractat ejusque cognitionem summe necessariam ad salutem affirmat. Summam quoque sanctitatem & excellentiam Baptismi Christi deprædicat, ita tamen, ut cum eo Baptismus noster inseparabiliter cohæreat. — *Oportet te*, inquit, *tuo Baptismo Christi Baptismo inseri, Christi Baptismus tuus etiam sit Baptismus, & tuus sit Christi, atque sic unus Baptismus.* Blasphemias itaque Baptismi Christi vocat baptismum Turcarum & Monachorum, aquam lustralem &c. Fidem autem veram de hoc articulo excitare Spiritum S. in nobis.

*Wittenbergæ
super Rom.
XII. 3.*

Ultima concio *Wittenbergæ* habita fuit à *Luthero* *Dom. II.* post *Epiph.* ad *Rom. XII. 3.* in cujus exordio monet, *Paulum* pro more suo primo docuisse de articulis Christianæ doctrinæ, de lege, de peccato, fide & justificatione, deinde de *fructibus fidei*, quod facere incipiat *Cap. XII.* fructus autem necessario incul-

inculcari, ne falsi simus Christiani, solo nomine contenti, sed veri: nec crassa tantum & palpabilia peccata fugienda, sed & rationis nostræ speculationem, quæ non Dei verbum sed sua sequatur figmenta, & in hæreses erroresque præcipitet, sub prætextu prudentiæ singularis: *des Teufels Braut/ ratio sehet herein/ and will flug seyn/* quicquid dicit, putat esse Spiritum S. quis hic medebitur? nec JCtus, nec Medicus, nec Cæsar, nec Rex poterit. Submergi autem eam in Baptismo & refrenari rejicique debere, simulac resurgere cupiat. Idque velle Paulum inculcare, cum vetet *plus sapere, quam decet sapere. Q. d. sehet euch für/ für euch selbst/* vosmetipsos dispicite, proprias cogitationes & φεβνημα carnis fugite; *Diabolus lumen rationis accendet,* & à fide vos avertet, prout *Anabaptistis & Sacramentariis* contigit. Rationi & sectariis illud unum opponi debere: *hunc audite.* Se expertum talia & cautum factum fuisse, ac superasse plus quam triginta sectas isto verbo. Neque respici debere, quod objiciant sectarii, JCti vel aulici, superbiam iis, qui verbo Dei arctissime adhærent, nec cedere volunt. Satius esse, omnes calumnias ferre, quam latum digitum cedere ab ejus verbis, qui dicit: *hunc audite.* Summe necessariam esse hanc admonitionem ejusque observationem, subdit, quod præ oculis videat, nisi Deus fideles præcones verbi dederit, diabolum Ecclesias nostras per sectarios scissurum, nec omisurum ante quam perfecerit, & si id per Papam ac Cæsarem nequeat, per eos facturum, qui adhuc nobiscum in doctrina concordēs sint. Orandum igitur nec cendum esse.

Postea cum *Islebiæ* proficisceretur, *Halisque* subsistere ob *Halis festo*
Salæ inundationem cogeretur, d. XXVI. Januar. historiam *conversionis*
 conversionis Pauli pro concione exposuit. In exordio differit de *Pauli.*
 vocatione Pauli, quod verum Doctorem Jesum in itinere audiverit, omnes Apostolos superaverit ac noster Doctor seu Apostolus sit, Evangelium Romæ largissime docuerit; dubitari vero,
 an

an

an Petrus unquam Romam venerit. Jactitare quidem Pontificios, quod utriusque Apostoli capita Romæ habeant; sed nos scripta eorum aliorumque Apostolorum & Prophetarum habere, verum sanctuarium, per quorum ora & scripta Deum ipsum audire, ut secure omnes sanctorum reliquias, & ingentem apparatus, quem *Albertus Moguntinus* Halis instruxerat, contemnere ac rejicere queamus. Cumque Halis adhuc *Monachi Franciscani* essent, convitiis & scommatibus Evangelicam religionem petulantè insectantes, mirari se dicit, cur tolerentur, aut non compescantur. Pontificis quoque & Prælatorum peccatum gravius esse Paulino, cum non ex ignorantia sed ex proposito puritatem doctrinæ persequantur. Se non aliud prædicare, quam Paulum, *penitentiam nempe, & remissionem peccatorum in nomine Christi*, Actor. XXVI. 18. Papæ igitur doctrinam huic contrariam, cane pejus & angue fugiendam ac damnamendam esse. *Bona opera præcipere Deum eaque faciendam esse, & bene omnino ac rectè fieri, daß man immer gute Werke wirckete!* per ea tamen remissionem peccatorum impetrari haud posse, ex fide sequi debere opera &c.

Islebia.

Quatuor conciones *Islebiæ* habuit, quas excepit *Joh. Aurifaber*, *Vinariensis*, ex ejus ore, primam d. XXXI. Jan. ad Evangelium *Matth. VIII. 23. ff.* ex quo 1. asseruit veram Christi humanitatem & Deitatem, quam firma fide credere debeamus, unde 2. fidei naturam exponit, quæ verbo Dei tantum innitatur, & eatenus Christiana sit, distincta à notitia Dei naturali & corrupta, quam *Turcæ* & pagani habeant. Veræ fidei in *Jesum Christum* *θεσάυρητον*, Redemptorem & Salvatorem antiquitatem è *Gen. III. 15.* efficaciam & durationem ad finem usque mundi, egregie docet, contra omnes *Satanæ* & mundi insultus, qui omnibus temporibus naviculam Ecclesiæ conquassare & evertere conati sunt, sed irritò ausu. Sperandum igitur, ultimas etiam tempestates *Antichristi Orientalis & Occidentalis* sedarum

tum & procellas impetuofas confractum iri per Christum, quem precibus excitare debeamus, ut evigilet & surgat, qui dormire videatur adversariis & nobis. Id enim ipsum facere propterea, ne securi simus & stertamus, ac si nullum periculum adsit, & ne in periculis nimis formidemus, dubitemus, aut desperemus.

Alteram concionem habuit in *festo Purificationis Mariae* Festo puri-
ficationis. ex Evangelio Luc. II. 22. seqq. In *exordio* agit de *lege primogenitura*, quæ spectaverit ad sustentationem Sacerdotii satis largam, ac moneat, nos hodiernum Pastores alere debere. Hinc legem de purificatione puerperæ expendit, ejusque rationem & finem, ac ad Messiam in primis respexisse observat, è Judæis & tribu Juda oriundum. Messia autem adventante cessare debuisse; nec Mariam legi huic obnoxiam fuisse, quæ sine doloribus & ruptura claustris virginis pepererit: aut filium ejus, sed propter nos eum omnia fecisse; nostramque salutem.

Tertiam concionem Dom. V. Epiphan. d. VII. Febr. ad *d. 7. Febr.* Evangel. Matth. XIII. 24. seqq. de *zizaniis* habuit. Explicatio- ad Matth. nem parabolæ ipsum Christum petentibus discipulis dedisse ac 13, 24. ff. id innuisse refert, quod Ecclesia sancta & Christiana à principio mundi usque ad finem hypocritis & malis mixta sit, ac proinde graviter errasse *Catharos & Donatistas*, ac hodiernum errare *Anabaptistas*, qui occidere, & *Monachos*, qui fugere non sanctos & in monasteria se recipere velint, ne polluantur: Christum enim ipsum tolerasse Judam, & in Papatu accidisse plerumque, ut qui purissimi esse voluerint, pessimi fuerint nebulones. Hinc minime mirandum dicit, quod post *reformationem Evangelicam* non tantum plurimi vitam non emendaverint, sed etiam variæ sectæ exortæ sint. Comparat Ecclesiam cum corpore humano, quod nunquam prorsus purum sit, sive intrinsecus, sive extrinsecus, nec ideo tamen amputetur aliquod membrum, sed purgetur & sanetur. In sanctis quoque veterem Adamum esse, & resistere bono, ac propterea Petrum 2. Epist.

III. 28. hortari: *crecite in gratia & agnitione Domini nostri Iesu Christi.* Continua lucta & quotidiana expurgatione opus esse; non enim peccata remitti, ut postea agamus, quod lubet, sed præcipi Apoc. XXII. 11. *qui justificatur, justificetur amplius.* Ab hoc exemplo, quod mala intra nos ferre quidem sed superare & expurgare debeamus, disci posse docet, quomodo cum malis & zizaniis in Ecclesia agendum sit, non evellendo ea, sed renitendo verbi prædicatione, seria adhortatione, excommunicatione &c.

ad Matth.
XI. 26. ff.

Quarta denique concio in die *Matthia* Apostoli, qui in 24. Februarii incidit, habita dicitur à *Luthero*, cum tamen d. 18. Febr. obierit. Hinc autores *Apologiæ* contra *Wolsum*, *Kirchnerus*, *Selneccerus* & *Chemnitius* ultimam concionem XIV. Febr. habitam dixerunt, & causa esse potuit, quæ nos latet, cur *Evangelium* Matth. XI. 25. ff. extra ordinem exposuerit. Graviter redarguit sapientes hujus seculi, quod semper Deo ejusque sapientiæ resistent & contradicant, ut *Arius*, *Pelagius*, *Anabaptista*, *Sacramentarii*, & *Pontificii*, qui v. g. Sacramentis non contenti ex *Eucharistia* sacrificium faciant, & *Monachatum* *Baptismo* præferant. Hinc commendat veram sapientiam à Deo revelatam & à Christo patefactam. Subjungit etiam *admonitionem contra Judæos*, quibus offerri debere dicit fidem Christianam, nec tolerandas eorum blasphemias, ne alienorum peccatorum participes se faciant Christiani.

Subjicitur denique his Concionibus *Expositio* multorum dictorum *Scripturæ S.* quæ *Lutherus* *Bibliis* amicorum inscripsit, & forte ex ejus ore in colloquiis habitis cum amicis data occasione, excepta sunt.

Liber *Cantionum* forma *benedictionis* *Conjugum*, ac *Epistolæ* quædam *appendicis* forte loco subjunguntur, quæ diem & annum non habent.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 781 -- 822. Tom. VIII. Alt. pag. 504 -- 588. Seckendorff. pag. 666 -- 693.

SECTIO